3 1761 05216195 7

PA
2271
.H36
1829
v.3
c.1
ROBARTS

Gotthelf

FERDINANDI HANDII

TVRSELLINVS

SEV

DE PARTICVLIS LATINIS

COMMENTARII.

15'9646.
28.2.21.

VOLVMEN TERTIVM.

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA
1836.

Gotthelf

FERDINANDI HANDII

TVRSELLINVS

SEV

DE PARTICVLIS LATINIS

COMMENTARII.

159646.
28.2.21.

VOLVMEN TERTIVM.

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA
1836.

HA.

In libris scriptis interiectio dolorem et indignationem indicans saepissime legitur *ha* et *hah* pro *ah*. Id quidam grammatici improbabant: de qua re satis dictum est Tom. 1. p. 213. Nihil autem absurdius dici poterat ea opinione, qua Gebhardius Crepund. 2, 2. ubique restitui iubebat *ha:* quod an umquam a veteribus hoc lamentoso sensu usurpatum fuerit, primum erat quaerendum. Iam Casp. Barthius ad Stat. Theb. 2, 350. bene demonstravit, quamvis librarii suum morem antiquis scriptoribus affinxissent, tamen *ha* numquam dolorem exprimere aut miserationem. Asper iunior quidem p. 1736. *prohibentis, ut ah ah, aut conquerentis, ut hah.* Lindemannus vero suspicatur scribendum esse primo loco *ha*, altero *ah*. Assentirem, si exempla istius dictionis *ha* usquam invenissem. Nam quod omnes lexicorum auctores post Rob. Stephanum et Trebellionem uno quasi ore dicunt, *ha* esse interiectionem corripientis sive admonentis, ne quid fiat, neve quis in re coepta progrediatur: id nullo antiquorum scriptorum exemplo comprobatur. Nam apud Plautum Capt. 1, 2, 39. Most. 3, 2, 123. Trin. 4, 5, 53. codices praebent *ah*. Quare videtur scribendum esse apud Asperum *aha:* de quo vide Tom. 1. p. 218.

Haha et *hahaha*, et *hahahae* sive *hahahe* ridentium exclamationes sunt, quae notantur etiam a Iulio Romano apud Charis. p. 213. a Prisciano p. 1024. a Mar. Victorino p. 1954. a Probo p. 1430. Ibi nunc Lindemannus e codice edidit *hahahae*, quemadmodum apud Terent. Phorm. 2, 3, 64. Eun. 3, 3, 36. Heaut. 5, 1. 13. legitur. Sed Hec. 5, 4, 22. non correxerunt *he*, nec apud Plaut. Poen. 3, 5, 23. et Truc. 2, 1, 1. ubi quaedam editiones *hahaha*. Et Diomedes p. 412. quoque et Alcuinus p. 2141. simplicem vocalem habent. Sed ipse Probus, *interiectio*, inquit, *composita syllabis tribus hahahe longas recipit, verum in comico carmine solo collocari potest, leni scilicet et humili et iu-*

cundo. Quo nihil efficitur, nisi quod *he* longam habet vocalem, sicut in *ohe.*

Risus potest esse coniunctus cum cavillatione: quemadmodum callidus leno deridet advocatos apud Plaut. Poen. 3, 5, 23. *hahahe, iam teneo, quid sit: perspexi modo.* Probus l. l. *in lyrico autem quamvis et ipsum lene sit, quod numquam possit tumidioribus cothurnatisque verbis ornari, numquam tamen haec interiectio apud Horatium reperitur, quanto magis ut heroico tragicoque carmini necessaria habeatur, fortia tumidaque verba quaerenti.* Quae attendere oportebant critici in Horat. Epod. 3, 71. de quo vide Tom. 1. p. 218. Quae Fea protulit, nihil valent.

HAC.

1. Ratio, qua HAC adverbii speciem induit, ea est, quam in *alia*, *aliqua*, *eatenus* explicui. Proprie dicitur de loco et via, estque τῇδε, ταύτῃ. Gesnerus explicat: per eum locum, in quo sum. At intelligitur quaecumque via digito monstrata, nec tantum de itinere in aliquem locum, sed etiam ex aliquo loco facto dicitur. Nam intelligitur unum illud *in hac via* sive abeuntis sive advenientis. Sic Tibullus et Propertius dixerunt pro *ab hac parte*, et, ut videtur, etiam Caesar. Opponitur *illac.*

Plaut. Rud. 1, 3, 30. *ita nunc hac an illac eam, incerta sum consilii.* Men. 2, 3, 54. *i hac mecum simul.*

Terent. Andr. 5, 6, 14. *sequere me hac.* 4, 7, 46. 5, 8, 35. *iter hac habui.* In his est fere idem quod *huc.* Cornel. Hann. 3, 4. *hac copias traduxit in Italiamque pervenit.* Claudian. in Ruf. 2, 402. *hac petit, hac Stilicho, quem iactas, dextra te ferit.*

Virgil. Aen. 9, 321. *hac iter est.* quod orator dixisset *hoc iter est.* 6, 542. *hac iter Elysium nobis.*

2. Coniunguntur, ut quamcumque viam aut utramque partem designent, vel interposita particula, vel nulla copula adiecta, *hac illac*, *hac et illac*, *hac atque illac*, *hac vel illac*, *sive hac sive illac.*

Terent. Heau. 3, 2, 1. *hac illac circumcursa: inveniendum'st tamen argentum.*

Terent. Eun. 1, 2, 25. *plenus rimarum sum, hac atque illac perpluo.* Tacit. Agr. 28. *mox hac atque illac rapti.*

Plin. Epist. 2, 17, 18. *quae* (umbra), *ut dies crevit decrevitque, modo brevior, modo longior hac vel illac cadit.* Tibull. 4, 1. 95. *quis, parma seu dextra velit seu laeva tueri, sive hac sive illac veniat gravis impetus hastae, amplior.*

3. Poetae *hac — hac* ponunt pro *hac — illac*, sicuti *hic — hic* et similia.

Virgil. Aen. 1, 466. *namque videbat, uti bellantes Pergama circum hac fugerent Graii, premeret troiana iuventus: hac Phryges.* Propert. 1, 3, 13. *et quamvis duplici correptum ardore iuberent hac Amor, hac Liber, durus uterque deus.*

4. Dicunt quidam grammatici *hac* etiam significare hoc modo, hac ratione. Id falsum est. Semper intelligitur via. Metaphoricum usum nullo exemplo comprobatum video.

Terent. Andr. 4, 1, 46. *hac non successit, alia adgrediemur via.*

Caes. B. civ. 2, 2. *pedalibus lignis coniunctis inter se porticus integebantur: atque hac agger inter manus proferebatur.* Morus interpretatur: hac ratione, *ταύτῃ:* Oberlinus, sub porticu. Neutrum probari potest. Si verum est, quod codices habent, significat *ab hac parte:* quocum consentit verbum proferendi. Sed codices quatuor *huc* praebent. Certe restituendum videtur *integebatur*, quod et liber Vossii et editiones vett. servant. Nam una erat porticus, nec potest comparari usus pluralis *vineae*, quod fecit Vossius. Tum facilius convenit ratio particulae *hac.*

5. Ad tempus non referri solebat ipsum *hac.* Sed transferebatur in *antehac*, de quo Tom. 1. p. 393.

HACPROPTER.

Nonius Marcellus 1, 242. Varronis verba affert haec: *noctu Hannibalis quum fugavi exercitum Tutanus, hoc Tutanus Romae nuncupor. Hacpropter omnes, qui laborant, invocant.* neque ulla adest caussa, cur de integritate vocabuli *hacpropter* dubitemus. Accusativus enim, quem praepositio secum fert, in compositis mutatur in ablativum, veluti *antehac* et *praeterea* et *adhuc* dicuntur. *Quapropter* semper in usu erat: *hacpropter* obsolevit. Quod vero Scaliger in Virgil. Cul. 3. scripsit *hacpropter Culicis sint carmina dicta*, pro *haec propter*, non sine ratione factum puto. Nam *haec propter* maiorem in se habet gravitatem pro-

bationis ab hoc loco, ut videtur, alienam. Tamen nihil mutandum erit.

HACTENVS.

HACTENVS quo modo compositum sit ex *hac* et *tenus*, diximus Tom. 2. p. 339. Nexus autem horum vocabulorum non tam firmus erat, quin interposito alio verbo separari potuerint. Distracta posuerunt poetae, Virgilius Aen. 5, 603. 6, 62. aliique. Et videntur fuisse qui semper *hac tenus* scriberent. cf. Nonius Marc. 4, 384. Operae vix pretium erit commemorare opinionem Gerh. Vossii, qui de Construct. p. 338. existimabat *hac* in *hactenus* esse pro *haec:* nam ipse Vossius p. 329. docuerat *hactenus* esse *hac fine tenus*. Ceterum in *quatenus* et *protenus* exstant documenta aliarum formarum *quatinus* et *protinus*, in *hactenus* nullum. Antiqui dixerunt *haccetenus*. Id narrat Mar. Victorinus Art. gr. p. 2457. *hactenus autem et hodie, non ut antiqui haccetenus, haccedie.*

Ex quo Manutius ad Cic. Epist. 2, 1. de hac particula disseruit, eam semper de re usurpari, *adhuc* de tempore, grammatici in duas partes discesserunt, quarum altera istam sententiam impugnabat, altera defendens demonstrabat *hactenus* locum, non tempus significare. Vid. Gifan. Observ. p. 291. (556). Goclen. Problem. gr. 2, 22. Vorstius de Latin. merito susp. c. 18. Ruhnken. ad Mureti Op. T. 2. p. 653. et T. 4. p. 593. Bremius ad Cornel. Milt. 5, 5. Olaus Borrichius autem in Analectis p. 36. temporis significationem locis poetarum et scriptorum recentiorum comparatis probaverat. Quibus Cellarius in Antibarb. p. 164. et in Curis post. p. 362. id tantum opposuit, usum Ciceronis proprium a poetis esse neglectum, a recentioribus scriptoribus depravatum. Tum Andreas Borrichius in Append. ad Curas p. 74. subtilius exposuit, in finita aliqua orationis parte, ubi *hactenus* dicimus, magis tempus quam locum intelligi. Quare Cellarius nihil sibi reliquum videbat, quam ut in Discussione Appendicis p. 47. diceret, *hactenus* ad locum vel rem potius ab antiquis referri quam ad tempus. Quo parum efficiebatur. Sed Morhofius de Pura dictione p. 243. demonstravit, Germanos suae linguae usu deceptos a vera significatione vocabuli aberrasse, idque quum *tenus* in se haberet, et

esset *hac parte tenus*, semper de loco et de re, numquam de tempore dictum esse. Eum sequuntur Kappius ad Iensii Collectanea p. 15. et alii. Denique Heusingerus Observat. p. 410. totam quaestionem arctius adstrinxit et prudenter docuit, *hactenus* quum de tempore capiendum videretur, nihil aliud significare quam hac fine tenus, id est huc usque, non ultra, non amplius. Atque illi assentiebantur grammatici Zumptius atque alii. Novam tamen viam aperuisse sibi visus est Lindemannus de Adverb. 2. p. 13. demonstrando, *hactenus* proprie valere hoc tenore porro, hac via continuo, deinde esse non ultra huius tenoris terminos, denique ad hunc usque locum: ideoque numquam de tempore dici. Quae conclusio non apte absolvitur. Atque ipse concedit, in iis sententiis, quae de tempore dictae videantur, loci vel rei significationi multum esse commune cum temporis notatione. Omnes vero, qui de hac re disputarunt, in eo maxime peccarunt, quod non ad originem vocabuli respexerunt, neque diversa tempora, quibus usus immutatus est, satis distinxerunt.

Tenus quum duplicem habeat significatum, ut sit aut per aliquam regionem vel per aliquem locum usque ad aliam rem, quae attingitur, aut non ultra aliquem terminum, vocabulum *hactenus* significat ad hunc terminum usque: *bis hieher*, *bis auf diesen Punct*, non ultra hunc terminum. Idque et loci et temporis esse potest, neque ulla ratio obstat, quo minus hanc notionem ad tempus referamus, cui etiam sui sunt termini suaque finis. *Hac* autem etiam de tempore dici, monstravimus in *antehac*. Et iam antiqui grammatici ita censuerunt. Festus: *quatenus significat qua fine*, *ut hactenus hac fine*. Servius ad Aen. 6, 62. *hactenus*, *hucusque*, *id est*, *hic sit finis*. Quare non decebat dubitare, num haec particula potuisset de tempore usurpari, sed quaerere licebat, num, quod potuit fieri, dictum esset umquam. Atque ipsum hoc vocabulum non videtur usurpatum fuisse vulgaris vitae consuetudine, sed in usum venisse proprium apud eruditos oratores et auctores doctrinarum. Nullum enim eius documentum apparet in comicis poetis: nam quod apud Plautum legitur *eatenus*, falsum et corruptum esse iam Tom. 2. p. 341. dixi. Antiquissimum verbi *quatenus* exemplum, quod exstat, notatur a Festo fuisse in oratione Scipionis Africani. Hac vero ex caussa intelligitur, quomodo

factum sit, ut antiquior significatio esset metaphorica, nec quisquam veterum scriptorum *hactenus* diceret de loco terrarum aut de regione rerum in oculos incurrentium, quod tamen in *tenus* semper erat factum. Recentiore tempore haec mutata sunt. Grammatici explicant verbo apposito *hucusque*. vid. Arusian. Mess. p. 264.

1. Ergo hoc vocabulum nisi factum, tamen usurpatum propterea esse videtur, ut proprie indicaret partem alicuius expositionis finiri, et eum, qui loquitur, ad alias res transire. Est igitur usque ad hunc scriptionis terminum, in quo is, qui scribit, subsistit, sive non ultra progressurus, sive reliqua omittens, sive alia prudenter supprimens. Quo sensu Varro de Lat. L. 8, 33. et Cicero ad tempus referentes dixerunt *adhuc*. cf. Tom. 1. p. 156.

Cic. Lael. 7, 24. *hactenus mihi videor de amicitia quid sentirem potuisse dicere: si qua praeterea sunt — credo autem esse multa — ab iis, si videbitur, qui ista disputant, quaeritote.* ad Fam. 2, 1, 3. *sed de litteris hactenus. Non enim vereor, ne non scribendo te expleam.* Cic. ad Anton. in Epist. ad Fam. 14, 13.

Cic. Lael. 15, 55. *sed haec hactenus.* Plin. Ep. 3, 14, 5. *verum haec hactenus. Quid praeterea novi?* Incipiunt novum librum secundum de laudibus Stilic. Claudianus his: *hactenus armatae laudes.* et ut ante Heinsium visum erat, Ovidius secundum Remed. am. (v. 397.) *hactenus invidiae respondimus.*

Proprie dicitur in epistolis, ubi cavendum est, ne plura epistolae committantur: Cic. ad Fam. 6, 2, 7. *quae vis insit in his paucis verbis (plura enim committenda epistolae non erant), si attendes, quod facis, profecto etiam sine meis litteris intelliges, te aliquid habere, quod speres —. Sed haec hactenus.* ad Att. 11, 4. *hactenus fuit, quod caute a me scribi posset.*

2. Sed potest in hoc termino constituendo intelligi tempus, vel cum illa rerum distributione coniungi temporis notio. Quamobrem Varro, Cicero, alii praecisa expositione ad aliud argumentum transeuntes apponunt vocabula *nunc*, *iam mox*, quae quidem, ut bene monuit Borrichius, aperte indicant aliam temporis notam praecessisse et sequi aliud tempus. Dicitur enim de ordine rerum in tempore apparentium.

Lindemannus, ut vulgarem sententiam refutaret, „quae res, inquit pugnam vel caussam iudicialem, vel iter intelligens, quum nonnisi temporis progressu fieri possint, nec nisi in tem-

pore ut totum aliquod considerari, factum est, ut *hactenus* aliquoties ad tempus relatum inveniri existimarent viri docti: male vero: nam ut nos Germani particulam *soweit* de rebus in tempore positis dicimus, veluti *soweit war die Schlacht unentschieden* —, ita Romani *hactenus* interdum de rebus in tempore positis, numquam in sola temporis notione usurpant." Quibus acute dictis cavendum est ne fallamur. Nam etiamsi in iis exemplis, quae nos allaturi sumus, res dicuntur in tempore positae, nihil tamen impedit, quo minus notionem vocabuli *hactenus* etiam ad ipsius temporis partes referamus, sicuti multae praepositiones et adverbia, quae temporis rationes exprimunt, de loco proprie usurpantur. Quid quod etiam *adhuc* a loco ad tempus transfertur.

Varro de Ling. L. 5, 5. *quod ad temporum vocabula latina attinet, hactenus sit satis dictum. Nunc quod ad eas res attinet, quae in tempore aliquo fieri animadverterentur, dicam.* Cic. de Div. 2, 24, 53. *sed haec hactenus: nunc ad ostenta veniamus.* Plin. Hist. n. 28, 8, 32. *hactenus de externis: nunc revertemur ad nostrum orbem.* 31, 6, 38. Quinctil. 4, 2, 30. *sed haec hactenus. Nunc quae sit narrandi ratio, subiungam.* Cels. 4, 1. princ. Virgil. Ge. 2, 1. *hactenus arvorum cultus et sidera coeli. Nunc te, Bacche, canam.* Propert. 4, 1, 119. *hactenus historiae: nunc ad tua devehor astra.* Ovid. Art. am. 1, 263. Stat. Silv. 5, 1, 135. *hactenus alma chelys: tempus nunc ponere frondes, Phoebe, tuas.*

Plin. Hist. n. 14. pr. 1. *externae arbores indocilesque nasci alibi, quam ubi coepere, — hactenus fere sunt. Licetque iam de communibus loqui, quarum omnium peculiaris parens videri potest Italia.*

Columell. 7, 13, 3. *hactenus de minore pecore: mox de villaticis pastionibus — sequenti volumine praecipiemus.*

3. In his vero saepe *hactenus* ita ponitur, ut idem exprimat, quod pronomen *haec, in his*, atque cum verbo *esse* coniungatur. Et in generibus distinguendis sequitur *deinde.*

Virgil. Aen. 5, 603. *hac celebrata tenus sancto certamina patri.* Ovid. Met. 13, 956. *hactenus acta tibi possum memoranda referre.* Plin. Hist. 14, pr. 1. vide n. 2.

Celsus 6, 6, 16. *hactenus oculorum morbi, qui lenibus medicamentis nutriuntur. Genera deinde alia sunt, quae diversam curationem desiderant.* 7, 18. p. 456. 3, 22. *hactenus non magna mole pugnatur. Si vehementior noxa est — validioribus auxiliis opus est.* Et sic saepissime Celsus.

4. Non alia est ratio, si quis inter terminos se continet vel iudicando, vel dicendo, vel agendo, nec ultra procedit. In his opponuntur ea, quae ultra sunt. Quare additur etiam *non amplius*. Illustravit hanc significationem Gronovius in Observ. in script. eccles. p. 238.

Cic. Verr. 4, 25, 56. *nimium fortasse dicet aliquis hunc diligentem. Hactenus reprehendet, si qui volet: nihil amplius.* **Lactant. de Mort. Persec. 10, 5.** *hactenus furor eius et ira processit, nec amplius quidquam contra legem aut religionem dei fecit.*

Cic. ad Att. 13, 49. *quare tibi hactenus mando, de illo nostro, si quid poteris, exquiras, de me ne quid labores.* **Plin. Epist. 7, 6, 13.** *non facile me repeto tantum consequutum assensum agendo, quantum tunc non agendo. Similiter nunc et probatum et exceptum est, quod pro Vareno hactenus tacui.* **i. e.** intra hos limites me continens. Sed codices non pauci praebent *hactenus non tacui*, quod est, ut vidit iam Gronovius, tantillum, non plus locutus sum. Atque hoc praestat. **Tacit. Ann. 15, 90.** *solus quippe Natalis et hactenus respondisse, missum se ad aegrotum Senecam* etc. **Germ. 25.** *suam quisque sedem, suos penates regit: frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis, ut colono, iniungit: et servus hactenus paret.* **Virgil. Aen. 10, 625.** *hactenus indulsisse iuvat: sin altior istis sub precibus venia ulla latet, totumque moveri mutarive putas bellum, spes pascis inanis.* **Valer. Max. 6, 8, 7.** *nec hactenus benevolentia processit, sed in eo conservando mira quoque arte usus est.* **i. e.** non in eo constitit.

Sueton. Dom. 16. *ac dum exulceratam in fronte verrucam vehementius scalpit, profluente sanguine, utinam, inquit, hactenus.* **i. e.** *nur so viel.* **Silius 9, 347.** *sitque hactenus, oro, nec libeat tentare deis.* cf. **Gronov. Observ. 1, 15. p. 97.**

5. Quae primaria esse debebat significatio, ut *hactenus* de terrarum regione diceretur, usque ad hunc locum, intra hos terminos, ea non potest antiquioribus testimoniis demonstrari, sed primum apparet in Virgilii et Ovidii carminibus.

Virgil. Aen. 6, 61. *iam tandem Italiae fugientes prendimus oras. Hac troiana tenus fuerit fortuna sequuta.* **Ovid. Trist. 2, 197.** *hactenus Euxini pars est romana sinistri: proxima Basternae Sauromataeque tenent.* **1, 10, 22.** *hac dominum tenus est illa sequuta suum.* **Amor. 2, 11, 16.** *litora marmoreis pedibus signanda puellae. Hactenus est tutum: cetera caeca via est.*

Ovid. Met. 13, 700. *hactenus antiquo signis fulgentibus aere summis inaurato crater erat asper acantho.* i. e. intra hos terminos, *in diesem Umfang.*

Tacit. Germ. 35. *hactenus in occidentem Germaniam novimus.* Anthol. Epigr. 3, 63, 1. *qui non vult properare mori, nec cogere fata mollia praecipiti rumpere fila manu, hactenus iratum mare noverit.* Haec quamquam loci notione reguntur, tamen terminum cognitionis significant.

6. Quod in his propriam habet rationem, postea ad quamcumque rem adhiberi coepit. Ac Livius et qui erant illius aetatis scriptores et poetae *hactenus* ita usurpabant, ut qualemcumque rem ad terminum aliquem temporis perductam, quam aliae res ex alia parte sequerentur, hoc nomine indicarent. Ita demum localis notio ad tempus accommodabatur. Sed quaerendum est, num *hactenus* etiam de tempore dicatur nulla earum rerum, quae sequantur, ratione habita, ita ut significet simpliciter usque adhuc, usque nunc. Equidem id factum esse nego, nullo veterum scriptorum exemplo edoctus.

Liv. 7, 26, 6. *hactenus quietae utrimque stationes fuere: postquam spoliare corpus caesi hostis tribunus coepit, nec Galli se statione tenuerunt, et Romanorum cursus ad victorem etiam ocior fuit.* Nescio an Lindemannus idem atque ego intellexerit, quum ait Livium non de tempore, sed de rebus in tempore positis loqui. Certe non vacuum tempus distinguitur, sed rerum diversus ordo. Virgil. Aen. 11, 822. *hactenus, Acca soror, potui: nunc vulnus acerbum conficit.* Ovid. Met. 5, 250. *hactenus aurigenae comitem Tritonia fratri se dedit. Inde cava circumdata nube Seriphon deserit.* Flor. 1, 11, 5. *hactenus pro libertate: mox de finibus cum iisdem Latinis assidue et sine intermissione pugnatum est.* 1, 17, 1. 2, 19, 1. *hactenus populus romanus pulcher, egregius, pius, sanctus atque magnificus: reliqua saeculi ut grandia aeque ita vel magis turbida.*

7. Tantum igitur abest, ut *hactenus* a veteribus scriptoribus ponatur pro *adhuc*, et recte dicatur *hactenus ita sensi*, *hactenus nihil factum est*, ut semper requirat terminum absolutae rei, cui aliud quid in tempore opponatur. Symmachum et Boethium nemo imitabitur.

Qui nullum discrimen in his vocabulis agnosci maluerunt Andreas Borrichius et Walchius ad Taciti Agric. p. 189. nec

in scriptorum usu diversitatem, nec naturam ac rationes dictionis satis animadverterunt. Tempora scriptorum iam Vorstius de Lat. mer. susp. 18. p. 157. distinxerat. Goclenius autem in secunda editione Analect. II, 2, 22. „*hactenus*, inquit, de re et loco proprie usurpatur, per enallagen vero significationis etiam de tempore cum doctissimis Scaligero, Erasmo aliisque usurpare licet.“ Pincierius in Parerg. otii marpurg. 3, 13. aliquot versibus Virgilii demonstrationem absolvere frustra conatus est.

Tacit. Agr. 10. *hanc oram novissimi maris tunc primum romana classis circumvecta, insulam esse Britanniam affirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. Dispecta est et Thule, quam hactenus nix et hiems appetebat: sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem proinde attolli.* Quot exstant in hoc corrupto loco emendationes, tot mihi videntur esse errores criticae artis. Alii enim non reputarunt, quid auctor dicere potuerit aut debuerit, alii non cognitam habuerunt significationem vocabulorum, aliis denique contortae sententiae placuerunt. In Rhenani emendatione *abdebat* absurdum inest hoc: nivem usque abdidisse insulam, dum romana classis advenisset: neque *hactenus* significat *ad id tempus*, sed *ad eum temporis terminum:* et exempla a Walchio comparata valde ab hac notione differunt. Bekkerus et alii, qui *appetere* pro occupare, possidere, accipiunt, pessimam adhibent interpretationem vocabulo, quod occupandi cupidinem exprimit. Ritterum, qui *appetere* dicit esse hostiliter accedere, et reddit sententiam ita: *erblickt wurde auch Thule, welchem bisher nur Schnee und Wintersturm sich feindlich näherten*, nemo laudabit. Quis enim ita loquitur? Et ubinam in latinis illud *nur?* Apud Livium autem 5, 19, 1. *fata* dicuntur *Deos appetere* non alia ratione, quam qua dicimus noctem vel hiemem appetere. Sellingius mirabili modo *hactenus* explicuit *nihil aliud quam*, quod prorsus abhorret ab ipsa particulae natura. Sed Lindemannus veram, ut ait, Taciti manum restituisse sibi visus est scribendo: *quam hactenus nix et hiems aperiebat.* Id esse dicit: nix et hiems fecit, ut navigantibus appareret insula ad hunc usque locum. Equidem iterum quaero, quis ita loquatur? Nec intelligo, quid sit illud *hactenus aperire*, *bis an diese Stelle sichtbar machen*, de Romanorum statione, non de insula dictum, nec quae praeter nivis splendorem in hieme lux appareat. Plurimi etiam in eo errant, quod *sed* proximo verba *dispecta est* opponunt: quasi intelligendum sit: sed non propius accedere poterant ob maris pigritiam. Corruptelae hanc equidem puto

speciem esse: *dispecta est et Thule, quam hactenus nix et hiems appeti **ebat. Sed mare* etc. Quodnam verbum exciderit, difficilius erit affirmare. Cogita Tacitum scripsisse *appeti sinebat*, quemadmodum Ann. 14, 8. dixit: *quantum corpus sinebat vadere in mare. Hactenus* est non ultra.

Symmach. Ep. 8, 25. *credo arbitreris circumsessum me Campaniae amoenitatibus scribendi ad te hactenus negligentem.* i. e. usque ad hoc tempus, in quo scripsi. 8, 70. *nunc demum affluo voluptate, quod te curarum vacuum nuntiasti: nam me hactenus rerum tuarum amaritudo mordebat.* 9, 8. *arguere diuturnum silentium meum non potes, qui me in sacro comitatu hactenus fuisse didicisti.*

Boethius Consol. 5. pros. 4. *vetus haec est de providentia querela — sed haud quaquam ab ullo vestrum hactenus satis diligenter ac firmiter expedita.* Pacati Paneg. Theodos. 11, 4. *parumne me, Theodosi, hactenus distulere fata, ut tu insuper tentes moras augere fatorum.* Cf. Io. Casp. Khunii Animadv. ad Vorstii libr. Spec. §. 27.

8. Haec temporis significatio apparet in formula *hactenus ut*, pro usque dum, *so lange als bis:* quae interpretes haud parum fefellit. Poetae quidem ea utuntur.

Ovid. Fast. 5, 661. *hactenus ut vivo subiit rorantia saxo antra, leves cursum sustinuistis aquae.* Vulgo ita interpungitur, ut sensus sit: hactenus loquutus est Tiberis: quum antra subiit, aquae cursum sustinuerunt. Quod falsum et ineptum. Aquae insistebant usque dum Tiberis, qui caput alveo extulerat, in antrum suum rediret. Her. 15, 155. legitur ante Iahnium: *ales Iyn, Sappho desertos cantat amores. Hactenus: ut media cetera nocte silent.* Quae ne intelligi quidem possunt. Primus Iahnius coniunxit verba: *cantat amores hactenus, ut m. c. n. s.* Quae Loersius exponit his: nos duae ad hunc usque locum amores nostros cantamus: cetera ut silent. At haec nisi omni sensu carent, ipsa interprete indigent.

9. Tertullianus pro *iam* posuisse videtur de Pudicit. 17. *qui furabatur, iam non furetur: sed et qui moechabatur, hactenus non moechetur, et qui fornicabatur, hactenus non fornicetur.* Sed dubium est. Nam licet coniungere verba ita: *qui moechabatur hactenus, non moechetur.*

10. Terminus, quo aliqua res cohibetur, potest esse ratio, quae aut universam intelligi rem neget eiusque notionem singularem coerceat, aut ei minorem am-

bitum concedat. Tum *hactenus* significat in hac conditione, in tantum. Germani dicunt *in so weit*, *in so weit als*, *in so fern dafs*. Atque additur ipsius conditionis circumscriptio verbis *quoad*, *quod*, *si*, et ubi finis et consilium intelligitur, *ut*, *ne*. Exempla, in quibus *hactenus* per se stat, ut sit, in hoc numero, hac ratione, *in der Maase*, plurima sunt recentioris aevi. Cicero aut addit terminationis definitionem, aut intelligit rem cohiberi arctius, de quo n. 4.

Tacit. Germ. 25. *et servus hactenus paret.* Sed vide n. 4. ubi iam haec posui. Ann. 13, 47. *hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit.*

Cic. ad Fam. 4, 3, 10. *hactenus existimo nostram consolationem recte adhibitam esse, quoad certior ab homine amicissimo fieres iis de rebus, quibus levari possent molestiae tuae.*

Cic. de Nat. d. 1, 10, 24. *qui vero mundum ipsum animantem sapientemque esse dixerunt, nullo modo viderunt, animi naturam intelligentes, in quam figuram cadere posset. de quo dicam equidem paullo post: nunc autem hactenus admirabor eorum tarditatem, qui animantem, immortalem et eumdem beatum rotundum esse velint, quod ea forma ullam neget esse pulchriorem Plato.* Ita enim est hic locus constituendus, non mutandus. *Intelligentes* sunt non alieni a cognitione naturae animi. *Hactenus* est, omissa rei expositione, quam Velleius erat paullo post facturus.

Plin. Ep. 9, 15, 3. *patrem familiae hactenus ago, quod aliquam partem praediorum, sed pro gestatione, percurro.* Senec. Epist. 88, 1. *meritoria artificia sunt, hactenus utilia, si praeparant ingenium, non detinent.* Africanus in Dig. 41, 4, 11. *hactenus verum esse ait, si nullam iustam caussam eius erroris emptor habeat.*

Cic. de Div. 1, 8, 13. *qui hactenus aliquid egit, ut earum rationem rerum explicaret, quae in mari coelove fierent.* i. e. in eo quidem, ut signa tempestatis futurae explicaret. p. Flacco 15, 36. *nisi vero hactenus ista formula testimonii atque orationis tuae describi ac distingui potest, ut Flacco absenti aliquid civitates tribuisse dicantur.* Tacit. Ann. 2, 34. *Tiberius hactenus indulgere matri civile ratus, ut se iturum ad praetoris tribunal affuturum Vrgulaniae diceret, processit palatio.* 16, 15. Plin. Ep. 2, 14, 9. *primus hunc audiendi morem induxit Largius Licinius: hactenus tamen, ut auditores corrogaret.* 7, 31, 6. 4, 8, 3. Iustin. 39, 1, 9. *rex a matre hactenus constituitur, ut nomen regis penes filium, vis autem omnis imperii penes matrem esset.* Tra-

ianus in Epist. Plin. 10, 84. Sueton. Ner. 31. *eiusmodi domum quum absolutam dedicaret hactenus comprobavit, ut se diceret quasi hominem tandem habitare coepisse.* 34. 40. Vesp. 13. Non huius generis sunt verba Taciti Ann. 13, 41. sed corrupta. Viderunt critici scribendum esse: *nam cuncta extra, tectis tenus, sole illustria fuere.*

Cic. ad Att. 5, 4. *etiamne hic mihi curandus est? Curandus autem hactenus, ne quid ad senatum consule aut numera.* Tacit. Ann. 14, 7. *at Neroni nuntios patrati facinoris opperienti affertur evasisse ictu levi sauciam, et hactenus adito discrimine, ne auctor dubitaretur.* Quinctil. 6, 2, 3. *quos equidem non contemno, sed hactenus utiles credo, ne quid per eos iudici sit ignotum.*

Celsus 5, 26, 23. *neutra etiam vim ullam desiderat: sed ea hactenus utilis est, qua cutis ducentem quasi sua sponte subsequitur.* Gellius 13, 29. *inscribitur non hactenus esse faciem, qua vulgo dicitur.*

Vlpian. in Dig. 15, 3, 10, 7. *hactenus non vertit, quatenus domino debet.* 39, 1, 1. pr. *hoc edicto permittitur, ut — remitteretur prohibitio hactenus, quatenus prohibendi ius is, qui nuntiasset, non haberet.*

11. In his vero saepe intenditur terminatio ita, ut intelligatur, non nisi intra hos limites rem constare. Est igitur *hoc tantum, non nisi hoc:* quo fit, ut *dumtaxat* vel addatur vel intelligatur. Cf. Bünemann. ad Lactant. 4, 26, 6.

Cic. de Orat. 2, 27, 119. *haec sunt omnia ingenii vel mediocris, exercitationis autem maximae: artem quidem et praecepta dumtaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur.*

Tacit. Ann. 14, 51. *asseverabant — Burrum, intellecto scelere, quum ad visendum eum princeps venisset, adspectum eius aversatum sciscitanti hactenus respondisse: ego me bene habeo.* 14, 3. *postremo, ubicumque haberetur — interficere constituit, hactenus consultans, veneno an ferro vel qua alia vi.* i. e. *in diesem nur unschlüssig.*

Sueton. in Terentii vita 7. *nominatis iis, qui Terentium maximopere laudaverant: Volcatius autem non solum Naevio et Plauto et Caecilio, sed Licinio quoque et Attilio postponit. Cicero in Limone hactenus laudat.* i. e. in hunc tantum modum. Domit. 16. vide paullo post. Lactant. 4, 26, 6. *non utique hactenus vis illa coelestis operata est, sed declarabat brevi fore ut qui erant veritatis expertes et audirent et intelligerent divinas dei voces.*

Sueton. Ner. 40. *coenae quoque tempore interpellatus tumultuosioribus litteris hactenus excanduit, ut malum iis, qui descissent, minaretur.*

12. Sicuti *frustra*, *falso* aliaque vocabula ellipsin admittunt, qua ipsa totam sententiam constituunt, ita etiam post *hactenus* intelligitur verbum *loquutus est*, sive aliud nomen actionis.

Cic. de Div. 2, 24. *sed haec hactenus. Nunc ad ostenta veniamus.* ad Att. 5, 13. *sed hactenus, praesertim quum coenanti mihi nuntiaret Caestius, se de nocte proficisci.* Plin. Hist. n. 11, 52, 114. *hactenus Trogus.* Saepe ita Ovidius. Her. 17, 265. *hactenus. Arcanum furtivae conscia mentis littera, iam lasso pollice sistat opus.* vid. Met. 12, 82. 14, 512. Continuat orationem vocabulo *et.* Amor. 3, 1, 31. *hactenus: et movit pictis innixa cothurnis densum caesaries terque quaterque caput.* 3, 6, 79. Met. 2, 610. 7, 794.

Sueton. Dom. 16. *ac dum exulceratam in fronte verrucam vehementius scalpit, profluente sanguine, utinam, inquit, hactenus.* i. e. utinam ne plus sanguinis mei effundatur.

13. Denique ne quis credat falso testi, id moneo, significationem, quam Waltherus ad Tacit. Ann. 13, 41. et ad Agr. 10. tribuit particulae *hactenus*, quasi esset continuo, sine intermissione, eam omnino ab natura vocabuli et ab omni usu abhorrere.

HAV.

De interiectione HAV diximus in AV. Tom. 1. p. 524. Hic apponam locum Cassiodori de Orthogr. p. 2312. ubi Eutychis praecepta de adspiratione traduntur: *omnis vocalis vocali illata seu divisa, seu in diphthongo copulata caret adspiratione, — exceptis haedus, haurio, hio, hisco, hau.*

HAVD.

Antiquorum grammaticorum doctrina haec erat: *haud* factum esse ex graeco *οὐ*, aspiratione praefixa, ut a coniunctione *aut* distingueretur, et *d* littera paragogica, sicut in multis aliis vocibus vocali terminatis, adiecta. Vnus Charisius *haud* ab *οὐδὲ* derivat. Et assenserunt illis recentiores pene omnes. Vossius autem *οὔτε* vel *οὐδὲ* supposuit, ut haberet, quo *t* sive *d* litteram

demonstraret. Nemo tamen, id quod necessarium erat, exposuit, quomodo *οὐ* in *au* mutari potuerit. Quare Scaliger de Causis ling. lat. c. 22. originem ad vocabulum *αὖτε* reduci hactenus maluit, quoad omnis disiunctio vim obtineret negationis. Quod ipsum falsum est: nam iudicio, quod disiungit, partes alicuius notionis separat, non tollit.

Mar. Victor. p. 2462. *haud adverbium negandi: et significat idem quod apud Graecos οὐ. Sed ab antiquis cum aspiratione, ut alia quoque verba, dictum est, adiecta d littera, quam plerisque verbis adiiciebant. D tamen litteram conservat, si sequens verbum incipiat a vocali, ut haud aliter muros et haud equidem: et quum verbum a consonante incipit, d perdit, ut haut dudum, et haut multum et haut placitura refert et inducit.* Fortasse scripsit *haud adverbium negandi est et significat* etc. Lipsius Var. Lect. 3, 29. quamvis Victorinus subtilius quam verius ita praecepisse videatur, tamen in *t* littera consentire putat veteres libros. Charisius p. 87. *haud similiter d littera terminatur. οὐδὲ enim graeca vox* (scribendum videtur *οὐ enim graeca vox*) *littera d terminari apud antiquos coepit, quibus mos erat d litteram omnibus pene vocibus vocali littera terminatis adiungere: — sed et per t scribi sonus vocis admittit.* Beda p. 2336 *haud quando adverbium est negandi, d littera terminatur et aspiratur in capite: quando autem coniunctio disiunctiva est, aut per litteram t sine aspiratione scribitur.* Cf. Isidor. Orig. 1, 27. Phocas de Aspirat. p. 1724. *omnia quae au diphthongum in prima syllaba habebunt, dasian respuerunt, ut audax. Designatum est haud. Unde hauscio compositum simplicis habebit scripturam. Nam aspiratur. Adverbium autem discretionis caussa dasian habet praepositam, ut ne coniunctio fuerit, veluti legimus aut portum tenet.*

Ne *haud* e graeco *οὐ* eo, quem veteres exposuerunt, modo factum putemus, non una obstat caussa. Nam *οὐκ* sive *οὐκί* primitiva erat forma, non *οὐ*: nec intelligitur, unde *h* littera praefixa accesserit ad vocem *οὐ*, nec qua via *οὐ* in *au* transierit: nam quod comparant *aura*, ex *οὖρος* ortum, id referri debet ad *ἄω ἄυρα*, et quod fortasse dicunt germanica *uz* et *uf* facta esse *aus* et *auf*, haec non habent analogiam in verbis *caussa* et *accuso*, *fraudo* et *defrudo*, in quibus primitiva vox *au*, quae erat *o*, in *u* transiit. Si quae igitur etymologica vestigia hic remanent, cognata esse videntur *α* negativum et *haud*. Quamquam non opus est, ut statuamus, antiquissimo tempore dictum esse *aut*

et *aud:* nam aspiratio cum ipso vocabulo nata esse videtur. *Au* enim, etiam cum aspiratione, in multis verbis ex *a* mutatum est. Sic ἀρύω factum est *haurio*, γαθέω *gaudeo*, quemadmodum ἀτὰρ et αὐτὰρ alternant. Et comparari possunt ἀ, ἄνευ, *one (ohne)*, *un*. Nemo vero dubitabit de adiecta littera *d*, quae eadem exstat in *sed*, *apud*, a multis per *t* expressa. Eam vero extrinsecus accessisse, monstrat vulgaris pronuntiatio, quae omittit litteram. Gruteri Inscript. p. 769, 9. HEIC EST SEPVLCRVM HAV PVLCHRVM PVLCHRAE FEMINAE. Vulgo *hauscio* dictum et scriptum esse narrat Phocas. Prudentiores grammatici utramque formam *haud* et *haut* probasse videntur: subtiliores autem legem posuerunt, ut *d* ante vocalem, *t* ante consonantem scriberetur. Sed Latini nec pronuntiatione videntur has litteras distinxisse, quippe quae in inscriptionibus saepissime commutatae sint, nec scribendo expressisse constanter. Certe demonstrari non poterit antiquiorem fuisse scripturam litterae *t*. Id vero, quod cognationem illam maxime probet, ipsa est significatio particulae.

Nulla in particula explicanda magis inter se pugnant sententiae quam in *haud*. Alii enim fortiorem dicunt esse negationem, alii cum dubitatione coniunctam et debilem: alii quum vidissent *haud* saepe intentius negare, sicuti *haudquaquam* semper maiorem vim habet, nescire se professi sunt, quomodo negatio cum dubitatione coniuncta graviorem vim habere posset. Vid. Kritzius in Iahnii Annal. Tom. 10. p. 82. Quare necesse erit universam rem exponere.

Omnis negationis, qua dicitur aliquid non esse, duplex est genus: alterum, quo negatur qualitas rei sive ponitur rem non esse id quod dicitur: alterum, quo negatur esse rem. Illa negatione, quam qualitativam vocamus, exponitur, quid non sit res: hac autem, quam modalem appellamus, num sit res. Vtramque Graeci et Latini distinguunt. Qualitatem rei negant Graeci per voculam οὐ: modalem negationem exprimunt particula μή, quam qui cogitationi notionum inservire dicunt, aut rei factae negationem a cogitatione negatae rei separant, non satis reputant, omnia, quae negantur, esse cogitationis, sed modum differre rerum, quae vel esse vel aliquid esse dicantur. Qui autem respiciunt ad prohibitivam vim particulae μή, id potius demonstrare debent, unde proficiscatur haec prohi-

bendi sive cavendi potestas. Id vero in eo cernitur, quod, quum dico, ne quid sit, non cogito, quid sit res, sed non esse eam, nec in considerationem voco τό τι εἶναι, sed τὸ εἶναι.

Latini negationem eam, quae qualis sit res negat, designant vocula *non*, et quoniam vulgari sermone non tam subtiliter rationem distinguere solent, saepius utuntur una hac voce quam Graeci, qui sapientius in hac re versati sunt. Alteram vero negandi rationem modalem duobus vocabulis significant *ne* et *haud:* illud in cavendo, optando, prohibendo, vetando et in compositis vocabulis adhibentes, hoc autem, ut qualemcumque dubitationem reiiciant. *Haud* igitur, quod μὴ est, negat esse rem, neque ad rerum qualitatem, sed ad τὸ εἶναι spectat. Atque istius rationis quadruplex est usus. Nam *haud* cum nominibus coniunctum tollit ipsorum notionem: deinde quum τὸ εἶναι neget, distinctius negat esse rem, eamque, quae non sit, negando asseverat: tum ponitur in recta rerum oppositione et ibi, ubi maiore distinctione aliquam rem excludit vel removet: denique quum veritatis affirmatio non tam ad res, quam ad sententiam et opinionem cum maiori probabilitate referri possit, id efficitur, ut *haud* illud esse negetur, quod non esse, nisi re ipsa, tamen certe opinione et animi persuasione constat. Quibus fit, ut nos ad effectum respicientes huic particulae graviorem vim negationis adscribamus et in plurimis agnoscamus, fortius eam negare: quamquam haec ipsa vis proficiscitur ex ea particulae natura, quam modalem nominavimus. Nam quum vehementius nego aliquid esse, respondeo quaerenti, num sit res, non qualis sit ea.

Ita vero iam in antiquissima lingua provisum erat, ut duplex ratio negationis proprio vocabulo distingui posset. Sed usus hoc subsidium postea aut spernere aut negligere coepit. Nam quum comici et antiqui poetae *haud* particulam saepissime usurpassent, oratores aliique scriptores eam non adhibuerunt nisi in quibusdam formulis. Sic Cicero in orationibus composuit cum adverbiis dixitque *haud scio:* cum verbis coniunxit in epistolis et in paucis locis librorum philosophicorum. Postea temporibus imperatorum a quibusdam restituta est antiqua consuetudo, aliis tamen renitentibus. Quare legitur hoc vocabulum saepius apud Livium, num-

quam apud Caesarem et Plinium, nisi in illa formula *haud scio*.

Zumptius verum sensisse videtur n. 272. Ramshornius et Grysar de Arte latine scribendi p. 526. nullam proprietatem agnoscunt. Herzogius ad Sallust. Cat. 37, 8. quem sequitur Schmidius ad Horat. Epist. 1, 7, 40. docuit haec: *haud* negare cum dubitatione quadam praesumpta: quare fere in indiciis locum habere et esse magis problematicum: *non* autem rem negare factam et esse apodicticum vel categoricum. Quae, ex una formula *haud scio an* sumpta, reiiciuntur vel uno exemplo Taciti: *stirpem eius haud toleravere*. Frid. Frankius in Comment. de Particulis negantibus linguae graecae p. 7. „particula *haud*, inquit, habet vim ethicam animique dubitationem aut sollicitudinem aut verecundiam aut aliam quamcumque commotionem subindicat ita, ut pro affectus ratione nunc fortius, nunc lenius negando inserviat.“ Haec conformata sunt ex Gernhardi praeceptis, qui de formula *nescio an* disseruit, *haud* particula inscientiae professionem mutari in dubitationem, in qua vel haesitatio animi vel verecundia vel vehementior animi commotio appareret. Quae nec conciliari possunt cum iis, quibus alia in pagina ipse Gernhardus docuit, *haud* significare *omnino non*, *ganz und gar nicht*, *durchaus nicht*, nec vero adhiberi ad explicandum usum in obtestatione et in recta oppositione rerum. Hermannus denique in Ephemer. scholast. a. 1832. p. 618. demonstrat *haud* sua natura esse negationem levem et cum dubitatione quadam coniunctam, quam Germani reddere possint verbis *nicht eben*. At natura particulae, quae non originatione sed usu nobis cognita est, nullam in se habet dubitationem, sed ita valet, ut dubitationem, quae in aliorum animis vel est vel esse posse putatur, reiiciat. Haec ergo gravior est vis negationis.

Velleius Pat. 2, 82, 2. *amissaque non minus quarta parte militum, captivi cuiusdam, sed romani consilio ac fide servatus.* Paullo post: *de quibus tamen totoque exercitu haud minus pars quarta, ut praediximus, militum, calonum servitiique desiderata tertia est.* Etiam in his agnoscas discrimen. Nam in altero loco Velleius iterum loquitur cum quadam asseveratione: *in der That nicht weniger, wirklich nicht weniger.*

1. Primum igitur *haud*, quo negatur esse rem, cum nominibus adiectivis et adverbiis coniunctum, contrariam praebet notionem, dum tollit notionem, quae dicitur. Ita formantur vocabula, quae alias praefixum *ne* habent. Non dicunt veteres Latini *non quidquam*, *non*

usquam, non ullum. sed *haud quidquam, haud usquam, haud ullum* et *nullum, nusquam, nequaquam*. Recentiori demum tempore Plinii negligentior exstitit usus, quo *non quisquam* dicebant.

Plaut. Curc. 1, 3, 15. *sane haud quidquam est magis quod cupiam tamdiu*. Amph. Prol. 129. *nunc quum esse credent servum et conservum suum, haud quisquam quaeret, qui siem aut quid venerim*. 2, 2, 48. 3, 3, 17. Most. 3, 2, 170. *equidem haud usquam a pedibus abscedam tuis*. Cic. de Off. 2, 7, 23. *haud fere quisquam interitum effugit*. Horat. Sat. 1, 9, 27. *haud mihi quisquam*. Cic. de Univ. 14. *nam haec — oratio haud umquam esset inventa* etc. Horat. Sat. 1, 6, 99. *haud umquam solitus*. Virgil. Ge. 2, 249. *haud umquam manibus iactata fatiscit*. Tacit. 4, 17. Virgil. Ge. 2, 123. *ubi aera vincere summum arboris haud ullae iactu potuere sagittae*. 133. Aen. 6, 239. Ge. 2, 265. *si quos haud ulla viros vigilantia fugit*. Plin. Hist. n. 3, 5, 6. *haud ullo inde loco ccc in latitudinem excedens*.

Ciceronem numquam *non ullum* dixisse, nisi ubi *non* ad verbum pertineret, observavit Bremius ad Cic. de Fato p. 62. Plin. Pan. 20, 2. *nec vero ego in laudibus tuis ponam, quod adventum tuum non pater quisquam, non maritus expavit*. Aliter 48, 5. *non adire quisquam, non alloqui audebat*. Claudian. 14, 7. *non quisquam fruitur veris odoribus — si fronti caveat*. in quibus etiam coniungi possunt *non fruitur*: tamen antiquiores non ita loquuti sunt.

Huc refero etiam Virgil. Aen. 7, 653. *dignus — cui pater haud Mezentius esset*. ibi enim *haud* non ad verbum pertinet, sed cum nomine coniungitur, quasi nos dicamus *ein Nicht-Mezentius*.

2. Ita conficiuntur notiones negativae, sicut fit per graecum μή. Nam οὐκ ἔστι δίκαιον latine dicimus *non est aequum*, sed μὴ δίκαιόν ἐστι *haud aequum est*, hoc est *iniquum*. Et quum dico *non molestum est* simpliciter nego, qualis non sit res, et pertinet *non* ad verbum: sed in verbis *haud molestum est* tollitur tota molesti notio, contrarium affirmatur. *Haud dubius* dicitur pro certo, vero, maxime a Livio ita, ut unum verbum esse existimes. Vid. Drakenb. ad 34, 43, 5.

Plaut. Amph. 2, 2, 55. *haud aequum facit, qui quod didicit, id dediscit*. Aul. 2, 1, 4. *quamquam haud falsa sum, nos odiosas haberi*. i. e. certa. Bacch. 3, 3, 59. *haud consimili ingenio atque ille est qui in lupanari accubat*. Terent. Andr. 3, 2, 50. *haud*

dubium est mihi. Tacit. Ann. 2, 36. *haud dubium erat eam sententiam altius penetrare.* Liv. 37, 49, 5. *bellum cum haud dubiis hostibus gerendum.* 7, 36, 7. *sua corpora haud dubio periculo obiecissent.* Quod 37, 48, 1. *pro certo habitum:* id 8, 36, 3. *pro haud dubio habitum.*

Virgil. Aen. 10, 752. *quem tamen haud expers Valerus virtutis avitae deiicit.* Ge. 3, 41. *tua haud mollia iussa.* Aen. 3, 513. *haud segnis strato surgit Palinurus.* i. e. celeriter. Horat. Epist. 2, 2, 128. *fuit haud ignobilis Argis.*

Grammatici quidam docent et nomina et verba cum *οὐ* ita coniungi, ut una notio utriusque vocabuli conficiatur atque contrarium intelligatur, veluti *οὐ στέργει* sit *μισεῖ*, et apud Thucydidem *τὴν τῶν γεφυρῶν οὐ διάλυσιν* significet servatum pontem: iidem tamen demonstrant *μή* constituere negativam notionem et *τὰ μὴ καλὰ* esse *inhonesta*, veluti apud Theocritum *τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται.* Hermannus nunc ita distinguit *τὰ οὐ καλὰ* esse quae in certa quadam re non honesta esse appareant, *τὰ μὴ καλὰ*, quae cogitatione ponantur non honesta esse: in quo quidem non intelligitur, quomodo id, quod in re aliqua non honestum esse appareat, non iudicio et cogitatione statuatur. Distinctiora haec tenebis, si mecum dixeris, in *τὰ οὐ καλά* iudicium inesse de re, qualis ea sit, sive quae non sit honesta: per *τὰ μὴ καλά*, quum quaeratur, num sit res, tolli ipsam notionem honesti atque dici *inhonestum.*

3. Id vero in oratione eam vim habet, ut gravior exsistat negatio, quae id quod dicitur tollat et in contrarium mutet. Nos Germani dicimus *eben nicht*, *gar nicht*, *ganz und gar nicht.* Et componitur ita *haud* cum adiectivis et adverbiis, nec raro cum iis, quae negationem in se habent. Sic *haud facile* maius est quam *non facile*, maius etiam quam *difficile:* nam est quod omnino non potest fieri. Sic *haud alius* dicitur pro *ipse. Haud laeta fronte* dixit Virgilius Aen. 11, 238. pro *admodum tristi fronte.* 10, 94. *querelis haud iustis* pro omnino iniustis. Hinc etiam apud poetas factum est, ut particula saepissime poneretur in initio versus. Virgil. Aen. 10, 578. 106. 9, 154.

Plaut. Aul. 5, 6. ST. *Ipsus est.* LY. *Haud alius est.* Virgil. Ge. 1, 121. *pater ipse colendi haud facilem esse viam voluit.* Plaut. Poen. 4, 2, 49. *sine pennis volare haud facile est.* Most. 3, 2, 104. *simul flare sorbereque haud facile est: ego hic esse et illic simul haud potui.* Amph. 2, 2, 31. *ecastor me*

haud invita se domum recipit suam. Terent. Eun. 2, 3, 22. *haud similis virgo est virginum nostrarum.* Plaut. Curc. 1, 3, 9. *anime mi, procul amantem abesse haud consentaneum est.* Bacch. 2, 3, 6. *haud dormitandum est.* Cic. de Leg. 2, 6, 15. *Theophrastus auctor haud deterior, mea quidem sententia.* Virgil. Ge. 2, 51. *culto — frequenti in quascumque voces artes haud tarda sequentur.* Tacit. Hist. 2, 81. *haud spernendis viribus.*

Plaut. Men. 3, 2, 55. *faxo haud inultum prandium comederis.* Virgil. Ge. 2, 427. *ad sidera raptim vi propria nituntur opisque haud indiga nostrae.* Aen. 2, 91. *haud ignota loquor.* 4, 508. 8, 49. 9, 552. Virgil. Ge. 2, 83. *genus haud unum nec fortibus ulmis nec salici lotoque.* h. e. multum et varium genus.

Virgil. Aen. 3, 214. *tristius haud illis monstrum.* 4, 149. *haud illo segnior ibat Aeneas.* Iustin. 44, 4, 8. *inter cervorum greges diu montes saltusque haud inferior velocitate peragravit.*

Plaut. Amph. 1, 1, 198. *nisi actutum hinc abis, familiaris accipiere faxo haud familiariter.* Terent. Heaut. 2, 3, 82. *vis amare, vis potiri, vis quod des illi effici, tuum esse in potiundo periculum non vis: haud stulte sapis.* Plaut. Capt. 2, 1, 31. *haud somniculose hoc agendum est.* Mil. 3, 2, 58. *quam digne ornata incedit, haud meretricie.* Horat. Epist. 1, 7, 40. *haud male Telemachus* (loquitur) i. e. *gar nicht unpassend.*

Sueton. Tit. 6. *siquidem suspectissimum quemque sibi — haud cunctanter oppressit.*

4. Quae vis amplificatae negationis quamquam ad quodcumque nomen adhiberi potest, sunt tamen inprimis nomina, quae magnitudinem aliquam et aestimationem bonae malaeve rei adsignificant: ea saepius cum *haud* coniunguntur, ut plena et consummata notio evadat. Cuius generis sunt *magnum*, *multum*, *longum*, *exiguum*, *mediocre*, *procul*, *bonum*, *malum*, *decorum*, *merito*, *alius*, *aliter* et similia.

Plaut. Poen. 5, 2, 152. *statura haud magna, colore aquilo.* As. 1, 1, 101. *quin te quoque ipsum facio haud magni.* Pseud. 1, 2, 85. Virg. Aen. 10, 128. *fert ingens — saxum, haud partem exiguam montis.* Plaut. Men. 5, 6, 25. *metuam haud multum.* Mil. 2, 2, 15. Virgil. Aen. 3, 610. *haud multa moratus.* 1, 672. *haud tanto cessabit cardine rerum.* Plaut. Amph. 1, 1, 166. *atque haud longe abesse oportet.* Cornel. Dat. 4, 4. Iustin. 4, 2, 4. *cuius moderationis haud mediocrem fructum tulit.* 11, 1, 5. *haud mediocris metus.* Cic. de Rep. 2, 31, 55. *haud mediocris hic — vir fuit.* Tacit. Ann. 2, 62. *haud leve decus Drusus quaesivit illiciens Ger-*

manos ad discordias. Plaut. Most. 3, 2, 31. *at ego te haud bonum teneo servum.* Amph. 1, 1, 156. *haud malum huic est pondus pugno.* Epid. 3, 2, 23. *haud male.* Aul. 2, 2, 43. *haud decorum facinus tuis factis facis.* As. 2, 4, 3. *ne ille edepol tergo et cruribus haud decore.* Aul. 2, 2, 75. *haud merito meo.* Men. 2, 3, 20. *atque id haud immerito meo.* Plin. Hist. n. 11, 38, 56. Cic. de Senect. 5, 15. *quod haud procul absit a morte.* Liv. 8, 8, 19. *pugnatum est haud procul radicibus Vesuvii montis.* Virgil. Aen. 8, 478. 603. Liv. 5, 4, 14. Plaut. Most. 1, 2, 15. *haud aliter id dicetis.* Terent. Ad. 5, 8, 5. *haud aliter censeo.* Virgil. Aen. 1, 399. 4, 256. Plin. Hist. n. 8, 14, 70. *apud Garamantas quidem haud aliter.* 8, 10, 10. *haud alia de caussa.* Virgil. Aen. 5, 592. *haud alio Teucrum nati vestigia cursu impediunt.* Sueton. Vesp. 14. *in hunc postea deprecantem haud ultra verba excanduit.*

5. Proprie componitur *haud* cum adiectivis et adverbiis, quae negationem in se habent, ut fiat λιτότης. Etiam per *non* conficitur haec forma, qua negatione contrarii plus significamus quam dicimus, sed graviorem vim addit particula *haud.* *Res haud ignota* est res omnino nota. Nam tollitur ipsa notio ignotae.

Terent. Ad. 5, 5, 5. *servum haud illiberalem praebes te.* Hec. 3, 5, 32. *haud invito ad aures sermo mi accidit tuus.* Tacit. Ann. 15, 68. *haud nescius inter adulteros eius et Caesarem esse.* i. e. *gar wohl wissend.* Liv. 21, 1, 2. *haud ignotas belli artes inter se, sed expertas primo punico conserebant bello.* Horat. Sat. 1, 1, 35. *formica — ore trahit quodcumque potest atque addit acervo, quem struit haud ignara ac non incauta futuri.* ubi *haud ignara* non cohaeret cum v. *futuri.* Liv. 37, 16, 12. *Romani cum haud incruenta victoria ad naves redierunt.* Plin. Hist. n. 6, 12, 14. *ibique Arimphaeos quosdam accepimus, haud dissimilem Hyperboreis gentem.* Cic. de Harusp. Resp. 25, 55. *inest hoc tempore haud obscurum odium.* Plin. Hist. n. 2, 98, 102. *quo vera existimatio exsistit haud frustra spiritus sidus lunam existimari.*

6. Adverbia diximus cum *haud* coniungi. Sed notanda ea videntur, quae plerumque hanc negationem secum ferunt: *haud din*, *haud dudum*, *haud saepe*, *haud ita*, *haud sic*, *haud aeque*, *haud secus*, *haud magis*, *haud minus*, *haud multo*, *haud paullo*, quod cum comparativis compositum in exprimendis rebus perspicue maioribus dici, iam Manutius ad Cic. Epist. 7, 1. notavit, *haud parum*, *haud perinde*, *haud satis*,

haud semper, *haud quaquam*. In omnibus his reddendis Germani utuntur vocula *gar*.

Plaut. Mil. 2, 1, 17. *nam ego haud diu apud hunc servitutem servio.* Poen. Prol. 94. Terent. Eun. 2, 3, 68. *haud diu est.* Nos *gar nicht lange.* Plaut. Pers. 4, 3, 29. DO. *Quando?* TO. *Haud dudum.* Virg. Aen. 10, 599. *haud talia dudum dicta dabas.* Curc. 1, 2, 33. *mihi haud saepe eveniunt tales hereditates.* Terent. Hec. 2, 2, 10. *haud ita decet:* ubi Donatus *non usque adeo decet.* Phorm. 2, 1, 35. *haud ita est.* Virgil. Aen. 11, 396. *haud ita me experti etc.* Horat. Sat. 2, 1, 46. *haud ita pridem.* 2, 5, 18. Cornel. Paus. 1, 2. *haud ita magna manu Graecia fugatus est.* Terent. Eun. 5, 8 (9), 35. *haud sic decet.* Ad. 3, 4, 8. *haud sic auferent.* Plaut. Men. 1, 3, 18. *ab Hippolyta succingulum Hercules haud aeque magno umquam abstulit periculo.* Poen. 4, 2, 13. *quasi in popina: haud secus.* Rud. 2, 3, 79. Liv. 2, 41, 9. Curt. 7, 5, 3. *haud secus quam continenti incendio cuncta torrentur.* Virgil. Aen. 2, 382. 3, 236. Plaut. Curc. 2, 3, 26. *haud magis cupis quam ego te cupio.* Liv. 2, 60, 3. *laudes, quibus haud minus quam praemio gaudent militum animi.* Plaut. Aul. 2, 2, 54. *tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi numquam siem.* Terent. Heau. 5, 2, 5. *verum ego haud minus aegre patior.* Virgil. Aen. 3, 561. *haud minus ac iussi faciunt.* 11, 755. Plaut. As. 1, 3, 16. *haud multo post aliquid quod poscas paras.* Bacch. 4, 8, 12. Terent. Phorm. 5, 6, 39. *Haud ita multo post* formula est Livio valde usitata. Vid. Drakenb. ad 1, 33, 2. 31, 39, 2. 36, 14, 5. Cic. ad Att. 5, 20. *Alexander imperator haud paullo melior quam aut tu aut ego.* 2, 12. ad Fam. 7, 1, 9. *ne tu haud paullo plus quam quisquam nostrum delectationis habuisti.* de Fin. 5, 21, 60. Orat. 44, 151. *haud paullo maior scriptor Plato* i. e. multo maior. Liv. 27, 20, 3. *consilio in cetera exsequenda belli haud parum opportuni.* Tacit. Ann. 2, 5. *suum militem haud perinde vulneribus quam spatiis itinerum — affici.* Cic. de Leg. 2, 18, 45. *tum ebur ex inani corpore extractum haud satis castum donum deo.* Tacit. Ann. 11, 32. *quippe Getae praetorii praefecto haud satis fidebat.* 3, 34. *haud semper aequo animo.*

7. Singulari modo conficiuntur formulae *haud facile*, *haud ferme*, quod quid significet vide Tom. 2. p. 695. *haud cito*, quod est *haud facile*, *haud temere*, *haud dubie*.

Cic. de Off. 3, 30, 110. *haud facile quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius aut praestantius.* de Rep. 1, 3. *sed haud facile dixerim.* Liv. 21, 4, 3. *haud facile discerneres, utrum imperatori an exercitui carior esset.*

Plaut. Poen. 4, 2, 40. *facio quod manifesto mocchi haud ferme solent.* Terent. Andr. 3, 1, 2. *fidelem haud ferme mulieri invenias virum.* Liv. 21, 7, 9. *quibus tumultuariis certaminibus haud ferme plures Saguntini cadebant quam Poeni.* i. e. *nicht eben gerade mehr.*

Terent. Ad. 3, 3, 89. *haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.* ubi vid. Westerhov.

Virgil. Aen. 9, 378. *haud temere est visum.* Plin. Hist. n. 11, 21, 24. *ictus eorum haud temere sine febri est.*

Liv. 1, 9, 6. *et haud dubie ad vim spectare res coepit.* 5, 33, 11. *Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo est.* 3, 24, 3. *quod falsus haud dubie testis in Caesonem exstitisset.* 22, 14, 15. *si militaris suffragii res esset, haud dubie ferebant, Minucium Fabio duci praelaturos.* Multa exempla collegit Drakenb. ad hunc locum et ad 34, 2, 6. demonstrans Livium non scripsisse *haud dubio.*

8. Componitur, ut maior vis affirmationis accedat, vocabulum *sane.* Et dicunt *non sane*, quod est *zuverlässig nicht*, *gewifs nicht*, veluti Cic. ad Fam. 5, 21. *quamquam id ipsum, quid intersit, non sane intelligo.* Varro de Re r. 3, 16, 10. *quibus quum a patre relicta esset parva villa et agellus non sane maior iugero uno.* Sed *haud sane* habet negationem firmiorem, *gewifs gar nicht.*

Herzogius ad Sallust. Cat. 37. arbitratur *haud sane* ab altera parte dubitationém, ab altera opinioni addere confirmationem: quod quomodo concilietur, equidem non perspicio.

Terent. Ad. 5, 2, 8. *edepol comissatorem haud sane commodum.* Plaut. Merc. 3, 1, 44. *nam illi quidem haud sane diu est quum dentes exciderunt.* Cic. de Senect. 23, 83. *quo quidem me proficiscentem haud sane facile quis retraxerit.* 2, 4. *rem haud sane, Scipio et Laeli, difficilem admirari videmini.* de Nat. d. 2, 55, 138. *haud sane difficile dictu est.* de Off. 2, 2, 5. *haud sane intelligo, quidnam sit quod laudandum putet.* Tusc. 3, 1, 2. *quodsi tales nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere — possemus, haud erat sane, quod quisquam rationem ac doctrinam requireret.* 5, 40, 118. Sallust. Cat. 37, 8. *haud sane alio animo belli eventum exspectabant.* Liv. 21, 29, 4. *haud sane incruentam ancipitisque certaminis victoriam Romanis portendit.* 21, 2, 4. Tacit. Hist. 3, 75. *hic exitus viri haud sane spernendi.* i. e. *wirklich gar nicht zu verachtender.*

Cum futuro. Cic. de Leg. 2, 7, 16. *his enim rebus imbutae*

mentes haud sane abhorrebunt ab utili et a vera sententia. de Vniv. 3. *haud sane erit mirum.*

Praemissa particula *ne.* Cic. de Orat. 3, 31, 125. *ne ille haud sane, quemadmodum verba struat et illuminet, a magistris istis requiret.*

Sane haud Plautus dixit Curc. 1, 3, 15. vid. p. 19.

9. Cum comparativis, qui numerum vel magnitudinem designant, ita componitur, ut res certe non eum, qui dicitur, numerum excedere cogitetur: *keineswegs mehr.*

Liv. 38, 40, 7. *Thracum decem haud amplius millia ex quatuor populis — viam circumsederunt.* 45, 44, 21. *moratus circa urbem triginta haud amplius dies.* Multa alia vide apud Drakenb. ad 41, 1, 8. cf. Gronov. ad 28, 1, 5.

10. Substantivis *haud* praefigitur, ubi attributivi nominis notio tollenda et contraria est cogitanda.

Plaut. Trin. 2, 2, 83. *mentire edepol, gnate: atque id nunc facis haud consuetudine* i. e. omnino contra consuetudinem. Capt. 5, 3, 20. *sed eccum, incedit huc ornatus haud ex suis virtutibus.* Virg. Aen. 2, 396. *vadimus immixti Danais haud numine nostro.* Curt. 3, 5, 15. *inexperta remedia haud iniuria ipsis esse suspecta.*

11. Cum verbis coniungitur *haud* duplici ratione. Loquitur enim ita is, qui aliquam rem fieri aut esse definite et cum quadam asseveratione negat, ut dubitationem, quae aut adest aut adesse potest, omnino excludat vel reiiciat, quod maxime in iis verbis locum habet, quibus aliquis suam sententiam aut voluntatem designat: veluti *haud postulo, haud repudio, haud accuso, haud vereor, haud opinor.* Significatur enim his: non est quod postulem, non est quod accusem etc. Tum vero etiam ita verbis apponitur *haud*, ut contraria notio affirmativa exsistat, et *haud muto* pro *retineo*, *haud nego* pro *concedo*, *haud desidero* pro *repudio* dicatur. Germani id exprimunt vocabulis *gar nicht.* Cicero in orationibus numquam, in reliquis scriptis rarissime hac dictione usus est: tanto frequentius comici et poetae. Ne quis tamen dicat referri particulam ad constituendam opinionem, apponam exempla, in quibus dicitur de certissima sententia.

Ennius apud Festum s. v. *obsidio: Hector, qui haud cessat obsidionem obducere.* Plaut. Amph. 2, 1, 23. *verum haud mentior,*

resque uti facta, dico. Cist. 2, 1, 19. *verumtamen haud metuo, ne iusiurandum nostrum quisquam culpitet.* Amph. 1, 1, 30. *facit ille, quod volgo haud solent, ut quid se sit dignum sciat.* i. e. *was sie gewöhnlich gar nicht pflegen.* Most. 1, 2, 10. *atque hoc haud videtur verisimile vobis.* Capt. 2, 2, 53. *memini, quom dicto haud audebat: facto nunc laedat licet.* i. e. *wo er mit einem Worte sich gar nicht herauswagte.* Virgil. Ge. 2, 28. *summumque putator haud dubitat terrae referens mandare cacumen.* Aen. 10, 732. *idem fugientem haud est dignatus Oroden sternere.* Tacit. Ann. 2, 4. *Ariobarzane morte fortuita absumpto stirpem eius haud toleravere.* Quae quomodo Herzogius ex suis praeceptis explicet, equidem non assequor.

Plaut. Aul. 2, 6, 13. *haud postulo.* 4, 10, 27. Poen. 3, 1, 41. *nam vos approperare haud postulo.* 5, 2, 122. Stich. 3, 2, 32. Poen. 5, 2, 94. *nam haud repudio hospitium.* Plautus apud Priscian. 6. p. 692. *haud fugio sequestrum.* Epid. 4, 1, 22. *haud accuso fidem.* Mil. 3, 3, 67. *ubi facta erit collatio nostrarum malitiarum, haud vereor, ne nos subdola perfidia pervincamur.* Most. 3, 2, 111. *haud opinor.* Bacch. 2, 3, 88. Terent. Hec. 1, 2, 30. *haud opinor commode finem statuisse orationi militem.*

Terent. Heau. 4, 5, 49. *haud faciam.* 3, 1, 7. Horat. Epod. 1, 31. *satis superque me benignitas tua ditavit: haud paravero quod aut avarus ut Chremes terra premam, discinctus aut perdam ut nepos* i. e. non erit quod parem.

Plaut. Pseud. 4, 6, 22. *ergo haud iratus fui.* Rud. 1, 4, 3. *nunc dein vitae haud parco.* Terent. Andr. 5, 4, 49. *nam illam me credo haud nosse.* i. e. *ich glaube, sie wird mich gar nicht kennen.*

Proprie componitur cum verbo *posse* Plaut. Merc. 5, 2, 87. *erras, me decipere haud potes.* Pers. 4, 4, 4. *haud potui etiam in primo verbo perspicere sapientiam.* Mil. 4, 2, 56. *meminisse haud possum.* i. e. *ich kann mich gar nicht besinnen.* Pers. 1, 1, 11. *sed quasi lippo oculo me herus meus manum abstinere haud quit tamen, quin mihi imperet.* Cas. 2, 2, 20. *nam viri ius suum ad mulieres obtinere haud queunt.* Cic. de Harusp. resp. 1, 2. *haud potest g. avioribus a me verbis vulnerari, quam est statim in facto ipso a gravissimo viro, P. Servilio, confectus ac trucidatus.* in quibus critici de auctore agentes animum attendere debebant. Sed in quibusdam codicibus *aut* legi narrant. In Epist. ad Att. 2, 24. et 7, 15. coniectura interpositum est *haud.* ad Att. 16, 1. dubia est scriptura *haud arma.* Sed de Div. 2, 39, 82. *quamquam haud ignoro, quae bona sint, sinistra nos*

dicere. de Nat. d. 2, 21, 57. *haud ergo, ut opinor, erraverc.* ad Att. 14, 12. *haud amo vel hos designatos.* de Re p. 1, 15. *haud dubitavit postridie palam in castris docere, nullum esse prodigium.*

Haud licere maiorem habet potestatem quam *non licere:* est enim nulla conditione permitti. Plaut. Bacch. 2, 3, 110. *id mihi haud utrum velim licere intelligo.* Most. 4, 2, 113. Et sic alia. Cas. 5, 2, 40. *illa haud verbum facit.* i. e. ne unum quidem verbum. Pers. 4, 3, 31. Mil. 3, 1, 44. *qui ipse haud amavit, aegre amantis ingenium inspicit.* i. e. *wer selbst gar nicht geliebt hat* etc. Bacch. 2, 3, 42. *immo avidi ingenium haud pernoram hospitis.*

Plaut. Bacch. 5, 2, 34. *tu tuum facito, ego quod dixi haud mutabo.* 5, 2, 85. Terent. Andr. 1, 1, 13. *haud muto.* i. e. in hoc persto.

Plaut. Most. 3, 2, 45. *ita, ut dicis, facta haud nego.* Merc. 1, 2, 37. *ego bonum, malum quo accedit, mihi dari haud desidero.*

Plaut. Men. 5, 2, 18. *et illi quoque haud abstinent saepe culpa.* i. e. immo sunt.

Cum futuro, quod pro imperativo ponitur: Plaut. Bacch. 3, 2, 19. *utut eris, moneo, haud celabis.* Pseud. 2, 2, 59. *huc quidem hercle haud ibis intro, ne quid harpax feceris.*

12. Prae ceteris verba impersonalia coniunguntur cum *haud: haud poenitet, haud piget, haud pudet, haud decet, haud placet, haud liquet, haud lubet, haud par est, haud convenit, haud oportet, haud licet.*

Plaut. Aul. 3, 2, 20. *haud me poenitet, tua ne expetam.* Truc. 2, 6, 47. *petere haud pigeat me.* Rud. 4, 4, 9. *haud pudet.* Capt. 2, 1, 15. *haud nos id deceat fugitivos imitari.* Cas. 3, 5, 24. Stich. 2, 1, 25. Pers. 1, 3, 22. *haud placet.* Pseud. 2, 2, 58. Merc. 2, 3, 15. Ennius apud Gell. 5, 15. *philosophandum est paucis: nam omnino haud placet.* Trin. 2, 1, 7. *de hac re mihi satis haud liquet.* Pers. 3, 1, 49. *verum lubere haud lubeat, si liceat mihi.* Pers. 5, 2, 53. *at me haud par est.* Terent. Eun. 3, 2, 41. *haud convenit una ire cum amica imperatorem in via.* Plaut. Most. 3, 2, 115. *misericordias iam habere haud hominem oportet.* Ter. Hec. 1, 2, 19. *illi haud licebat nisi praefinito loqui.*

13. Formula *haud scio, haud scio an,* de qua iam satis dictum est Tom. 1. p. 319. non mutat naturam particulae. Nam ipsius compositionis modus idem est atque in *nescio,* negatione in unam notionem cum ver-

bo coniuncta: idque etiam vulgari pronuntiatione *hauscio an* demonstratur. Si quae igitur subest differentia, ea cernitur in asseveratione, quam Germani dicunt *ich weiſs gar nicht ob.* Neque ullum reperies veterum scriptorum locum, in quo non possis substituere *nescio*, praeter eos, in quibus duplex est distinctio verbis *nescio utrum — an*, *nescio ne — an* expressa. Illa vero dictio aptissima erat ad modestam et urbanam affirmationem, cuius rationem et originem exposuimus p. 316. Quamquam non ubique hanc formam induunt ista verba, sed *haud scio* etiam ab eo dicitur, qui se nescire affirmat et ignorantiam profitetur, non opinionem probabilem.

Non satis distincte loquutus est Herzogius ad Sallust. Cat. 37, 8. quum negabat, Latinos umquam dixisse *non scio.* Distinguere debebat cum Goerenzio (ad Cic. Acad. p. 259.) diversa tempora: nam quod antiquo tempore nullam habuerat exceptionem, id postea restringebatur usu: quare Cicero Orat. 47, 157. *non scire quidem barbarum iam videtur, nescire dulcius.* in quibus *barbarum* intelligas inurbanum. Terent. Eun. 2, 3, 68. *istam Thaidem non scivi nobis vicinam.*

Terent. Heau. 2, 1, 10. *ne ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.* 4, 4, 25. *ne ille haud scit, hoc paullum lucri quantum ei damnum apportet.* quibus in locis ipsa praemissa particula *ne* sensum negationis prodit. Plaut. Pseud. 2, 4, 17. *stulti haud scimus, frustra ut simus.* Bacch. 5, 2, 15. *haud scio, quid eo opus sit.*

Cic. Tusc. 5, 12, 34. *quum esset ex eo quaesitum, Archelaum — qui tum fortunatissimus haberetur, nonne beatum putaret? haud scio, inquit. numquam enim cum eo colloquutus sum.* Gernhardus fallitur, quum hoc ipso loco demonstrare volebat, *haud scio* non ab eo dici, qui se nescire aliquid fateatur, sed ab eo, qui incertus de aliqua re dubitet. Nam Socrates fatetur se nescire.

14. In colloquiis respondet hac negatione is, qui contrariam aliquam tenet sententiam eamque cum quadam gravitate ut de re certa opponit: quod idem est atque *immo.* Id vocabulum etiam adiicitur interdum.

Plaut. Most. 3, 3, 16. *nempe octoginta debentur huic minae.* TR. *Haud nummo amplius.*

Plaut. Bacch. 5, 1, 29. NI. *Quid dubitamus pultare, atque huc evocare ambos foras.* PH. *Haud moror.*

Plaut. Curc. 1, 3, 11. PH. *Sum deus.* PA. *Immo homo haud magni preti.* Rud. 4, 3, 47. Capt. 2, 1, 16. *immo edepol, si erit occasio, haud dehortor.* Trin. 5, 2, 33. *immo haud nolo.*

15. Quae quum ita sint, etiam in iis sententiis haec negatio proprie adhiberi poterat, quibus veritas alicuius rei demonstranda aut ipsa res confirmanda erat. Quemadmodum *haud est* significat: *es ist wirklich nicht: haud promeruit* est *er hat wirklich nicht verdient.* Sic Graeci quoque. Aristotel. de Part. animal. 3, 4. ἐπεὶ οὖν ἀνάγκη θάτερον μὲν τούτων ἀρχὴν εἶναι, μή ἐστι δὲ τὸ ἧπαρ, ἀνάγκη τὴν καρδίαν εἶναι καὶ τοῦ αἵματος ἀρχήν.

Plaut. Poen. 4, 2, 35. *fecero, quamquam haud otium est.* Terent. And. 4, 5, 12. *haud auspicato huc me attuli.* Plaut. Most. 2, 2, 76. *guttam haud habeo sanguinis.* Rud. 4, 3, 2 *nam bonis quod bene fit, haud perit.* Amph. 5, 2, 12. *haud promeruit, quamobrem vitio vorteres.* Cas. 4, 4, 21. *nebula haud est mollis atque huius est.* i. e. *ist wirklich nicht.* Rud. 4, 2, 14. *opera haud fui parcus mea.* Stich. 5, 4, 36. *haud tuum istuc est te vereri.* Asin. 1, 3, 71. *si papillam pertractavit, haud est ab re aucupis.* 1, 2, 8. *nam mare haud est mare, vos mare acerrimum.* Truc. 2, 4, 33. *verum assimulavi me esse praegnatem, haud eram.* Men. 5, 2, 3. *sed id quam facile sit mihi, haud sum falsus.* Most. 2, 2, 4. *verum haud caussa illico'st, quod nunc voluisti facere, quin facias mihi.* 1, 2, 33. *haud est fabri culpa.* Cic. Tusc. 3, 1, 2. *haud erat sane quod* etc. vide p. 24.

Plaut. Most. 2, 1, 60. *pluma haud interest, patronus an cliens probior siet homini.* Virgil. Aen. 6, 343. *namque mihi fallax haud ante repertus, hoc uno responso animum delusit Apollo.* i. e. *wirklich nicht.* Horat. Sat. 2, 6, 115. *haud mihi vita'est opus hac.* i. e. *solch ein Leben kann ich gar nicht brauchen.*

16. Haec confirmativa vis apparet etiam in iis, quae praemissam habent sententiam concessivam aut conditionalem sive sumptivam. In illa removetur impedimentum rei agendae: in hac conceditur esse aliquid quod non est. Eo magis potest negatio intendi.

Liv. 8, 11, 1. *haec, etsi omnis divini humanique moris memoria abolevit, nova peregrinaque omnia priscis ac patriis praeferendo, haud ab re duxi verbis quoque ipsis, ut tradita nuncupataque sunt, referre.*

Plaut. Trin. 1, 2, 78. *haec, si mihi inimicus esset, credo, haud crederet.* Most. 3, 2, 112. *si male emptae forent, nobis istas redhibere haud liceret.*

Cic. de Sen. 23, 82. *quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent, haud optimi cuiusque animus ad immortalitatem gloriae niteretur.* In Epist. ad Fam. 9, 26, 3. restitutum est *aut.* Tacit. Ann. 2, 35. *res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret Gnaei Pisonis et Asinii Galli super eo negotio diversas sententias noscere.*

Lucret. 3, 714. *quod si linquuntur et insunt, haud erit, ut merito immortalis possit haberi.*

Plaut. Curc. 1, 3, 8. *adsum: nam si absim, haud recusem, quin mihi male sit.*

17. Non raro fit, ut sententia, quae ab opinione proficiscitur, ex ipsa negatione aliquam confirmationem opinionis accipiat. Quare *haud* dicitur, ubi *credo* vel aliud huius generis verbum interponitur, et verbum coniunctivi formam habet. Etiam in his nos utimur verbo *gar nicht.*

Plin. Hist. n. 8, 10, 10. *haud alia de causa, credo, quam quia ipsum cbur sibi mandere videtur.* cf. Plaut. Trin. 1, 2, 78. supra.

Plaut. As. 2, 4, 96. *haud negassim.* i. e. *ich möchte gar nicht leugnen.* Mil. 1, 1, 11. *Mars haud ausit dicere neque acquiparare suos virtutes ad tuas.* Liv. 1, 3, 2. *haud nihil ambigam (quis enim rem tam veterem pro certo affirmet?) hiccine fuerit Ascanius, an maior quam hic.* Virg. Aen. 7, 557. *te super aetherias errare licentius auras haud pater ille velit summi regnator Olympi.*

Cic. de Orat. 1, 60, 255. *quod haud sciam, an tu primus ostenderis.* 2, 17, 72. 2; 52, 209.

Apud Plautum Pers. 4, 4, 60. restituenda est antiqua scriptura: *haud possum, quin huic operam dem hospiti.* non *possim.*

18. Vbi particula affirmationis gravior locum habet, veluti *verum*, *edepol*, *pol*, *ecastor*, *hercle*, *ne*, fere semper negatio exprimitur *haud.* Imprimis praemissa sententia conditionali ponitur *ne haud.* Ita et Graeci. Aristoph. Av. 195. *μὰ γῆν, μὰ παγίδας, μὰ νεφέλας, μὰ δίκτυα, μὴ 'γὼ νόημα κομψότερον ἤκουσά πω.*

Plaut. Bacch. 2, 3, 85. *eo ego nescio, quantulum attulerit: verum haud permultum attulit.* Rud. 4, 4, 108. *edepol haud orat te.* Capt. 2, 1, 16. Amph. 1, 3, 5. Asin. 2, 3, 8. *pol haud periculum est, cardines ne foribus effringantur.* Amph. 5, 1, 72. Aul. 2, 2, 9. Capt. 2, 3, 61. 3, 5, 37. Cas. 2, 6, 3. Terent. Hec. 2, 3, 5. Ad. 3, 4, 4. Plaut. Mil. 4, 2, 50. *ecastor haud mirum, si te habeas carum hominem tam pulchrum.* Cist. 1, 1, 49. Pseud

5, 2, 32. *hercle me isti haud solent vocare.* 4, 7, 124. *hercle haud te sinam emoriri.* Ter. Hec. 2, 2, 16. *ita me di ament, haud tibi hoc concedo.* Plaut. Bacch. 4, 2, 18. *ne tibi hercle haud longe est os ab infortunio.* 4, 9, 133. Cic. p. Quint. 3, 13. *itaque hercule haud mediocriter de communi, quidquid poterat, ad se in privatam domum sevocabat.* Terent. Andr. 4, 4, 33. *ne illa illum haud novit, cuius caussa haec incipit.* Cic. Tusc. 1, 42, 99. *ne ego haud paullo hunc animum malim, quam eorum omnium fortunas, qui de hoc iudicarunt.*

Cic. ad Att. 7, 3. *quod si ista nobis cogitatio de triumpho iniecta non esset, — ne tu haud multum requireres illum virum.* ad Fam. 7, 1, 9. *quod si tu per eos dies operam dedisti Protogeni uno —, ne tu haud paullo plus quam quisquam nostrum delectationis habuisti.* p. Mil. 25, 68.

19. Eadem est ratio, ubi certae sententiae indicium accedit exclamatione.

Plaut. True. 1, 2, 91. *eia haud ita est res.* 2, 6, 40. *eia haud ab re, mea voluptas, tibi obvenit istic labos.* Poen. 3, 1, 69. Terent. Ad. 3, 3, 19. *ehem, Demea, haud adspexeram te.*

20. Haec eadem asseverationis vis est, qua *haud* in iis sententiis ponitur, quae *quidem* et *equidem* in se habent: unde intelligitur etiam veram esse explicationem vocabuli *equidem*, quam Tom. 2. p. 426. dedimus.

Terent. Hec. 2, 3, 5. *haud pol me quidem.* 3, 1, 26. *haud quidem hercle parvum est, si vis vero veram rationem exsequi.* in quo loco critici operam perdidisse videntur. Nam non de eo Parmenio loquitur, quod irae caussa fuerit, sed respondet de ipsa rei disquisitione: profecto non facile est rem ad veram rationem exigere: quemadmodum apud Livium 3, 5, 13. dicitur *exsequi subtiliter numerum.* Et *haud parvum* eo modo dictum est, quo apud Cic. Acad. 1, 2, 6. *quid est enim magnum — de corpusculorum concursione fortuita loqui?*

Plaut. Pers. 2, 2, 49. *tu quidem haud etiam es octoginta pondo.* Bacch. 4, 9, 73. *cerae quidem haud parsit, neque stilo.* Virgil. Aen. 3, 628. *haud impune quidem, nec talia passus Ulixes* etc.

Plaut. Merc. 3, 1, 16. et Terent. Hec. 2, 1, 35. *haud equidem dico.* Cic. de Leg. 3, 11, 26. *haud equidem assentior.* Virgil. Ge. 1, 415. *haud equidem credo.* Aen. 1, 335. *haud equidem tali me dignor honore.* 5, 399. *haud equidem pretio inductus pulchroque iuvenco venissem.* Plaut. Mil. 3, 1, 35. *nam equidem haud sum annos natus praeter quinquaginta et quatuor.*

21. Componitur *haud* ob hanc asseverandi potestatem apud Plautum cum negativo *neque* et, ut videtur, etiam cum *non*. Errabit vero vehementer, qui dubitationis alicuius indicium in his locis quaesiverit. — *Haud nihil* dicitur pro certe aliquid, multum.

Plaut. Bacch. 4, 9, 113. *nihil ego tibi hodie consilii quidquam dabo: neque ego haud committam, ut si quid peccatum siet, fecisse dicas de mea sententia.* **Epid. 5, 1, 57.** *domi adesse certum est: neque ille haud obiicict mihi pedibus sese provocatum.* **Ex Bacchid. affert Donatus ad Terent. Andr. 1, 2, 34.** *neque haud subdititia gloria oppidum arbitror.*

Aulul. 2, 4, 7. *post si quis vellet te, haud non velles dividi?* **Edit. princ.** *aut.* **Sed iam Beroaldus notavit legendum esse** *haud* **vel** *at.* **Goellerus eiecit** *te* **et scripsit** *nevelles:* **neutrum probari potest.**

Terent. Eun. 4, 2, 12. *certe extrema linea amare haud nihil est.* **Liv. 1, 3, 2.** *haud nihil ambigam — hiccine fuerit Ascanius, an maior.*

22. Gravior negatio, etiam graviori accentu pronuntianda, in iis apparet, ubi unum vocabulum sua negatione intenditur atque una res reliquis opponitur. Huius generis sunt demonstrativa pronomina atque adverbia.

Plaut. Capt. 3, 4, 94. *haud istuc rogo.* **Epid. 1, 1, 49. Terent. And. 4, 1, 28.** *haud istuc dicas.* **Truc. 2, 4, 22.** *haud istoc pauper es.* **1, 2, 60.** *haud istoc modo solita es me ante appellare, sed blande.* **Most. 2, 1, 47.** *namque intus potate haud tantillo hac quidem caussa minus.* **Trin. 1, 2, 22.** *faxo haud tantillum dederis verborum mihi.* **Horat. Sat. 1, 4, 77.** *haud illud quaerentes.* **Cic. de Vniv. 13.** *haud iisdem vinculis, quibus ipsi erant colligati, sed talibus, quae cerni non possent.*

23. Ob maiorem, quam exposui, vim particula haec adhiberi solet ad significandam rerum oppositionem rectam, ubi Germani saepe dicunt *gar nicht*, *durchaus nicht*. Duplex vero haec ratio est. Aut enim negativa sententia secundo loco ponitur, aut praecedit ita, ut intelligamus non hanc quidem rem esse, sed aliam. Et possunt hae partes contrariae coniungi particulis copulativis: saepius sequitur oppositiva particula *sed*. Tamen semper praecedit *haud* suo, quod opponitur, verbo proxime, nisi *sane* adhaeret.

Plaut. Trin. 3, 2, 25. *in foro operam amicis da, haud in lecto amicae.* **Truc. 5, 37.** *auro, haud ferro deterrere potes, ne amet.*

Asin. 2, 4, 24. *herus in hara, haud aedibus, habitat.* Truc. 1, 2, 40. *illa, haud ego habui publicum.* Terent. Andr. 1, 3, 13. *nam inceptiost amentium, haud amantium.* 3, 5, 18. *namque hoc tempus praecavere mihi me, haud te ulciscì monet.* 3, 2, 15. Plaut. Men. 1, 2, 17. *me, haud uxorem ulciscitur.* Stich. 1, 2, 22. *exorando, haud adversando sumendam operam censeo.* Capt. 1, 2, 79. *profundum vendis tu quidem, haud fundum mihi.* Terent. Hec. 4, 2, 15. *mea pertinacia esse dicat factum, haud tua modestia.* Heaut. Prol. 24. *amicum ingenio fretum, haud natura sua.*

Plaut. Truc. 4, 3, 69. *haud mansisti, dum ego darem illam: tute sumpsisti tibi.* i. e. *du hast gar nicht gewartet, bis ich sie dir gegeben.* Liv. 21, 2, 4. *quia gener erat, factionis barcinae opibus, quae apud milites plebemque plus quam modicae erant, haud sane voluntate principum, imperio potitus.*

Plaut. Epid. 5, 2, 22. *meo hercle vero* (arbitratu) *atque haud tuo.* Mil. 4, 2, 80. *quumque oratricem haud sprevisti, sivistique exorarem ex te.*

Cic. p. Flacc. 33, 83. *sed ut hoc verisimile est, ita haud verisimile Decianum a Flacco esse corruptum.*

Ennius apud Gell. 20, 9. *haud doctis dictis certantes, sed maledictis miscent inter sese inimicitias.* Horat. Epist. 1, 8, 4. *haud quia grando contuderit vitis — sed quia mente minus validus quam corpore toto nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum.* i. e. *keineswegs weil — sondern weil —.* Plaut. Pseud. 1, 2, 80. *ibi tibi adeo lectus dabitur, ubi tu haud somnum capias, sed ubi usque ad languorem.* Virgil. Aen. 10, 735. *haud furto melior, sed fortibus armis.* Liv. 21, 1, 2. *haud ignotas belli artes inter se, sed expertas primo punico conserebant bello.*

Terent. Eun. 3, 2, 15. *perpulchra credo dona, haud nostris similia.* Faernus et Bentleius viderunt, ob sententiam scribi debere *aut nostris similia:* accedit argumentum a positione particulae: nam esse debebat: *haud similia nostris.* Plaut. Trin. 3, 1, 24. *haud illi euscheme adstiterunt.* At non ita in codicibus scriptis legitur, sed *haud in eusce mea* et edit. pr. *haud iuxta me.* Scribendum est *ineuscheme.*

24. Haec, quae sua natura et antiquo usu constant, non uno modo mutantur in vitae communis sermone, in quo negatione utimur ad affirmandum contrarium, et minuere rem videmur, dum eam augemus. Quam formam rhetores litoteta appellant. Atque in ea differt *non* ab *haud* et significatione et usu. Maiore enim vi *haud* notionem tollit, et quum dico *haud sordet*, iubeo

cogitari contrarium cum graviore asseveratione, quam quum dico *non malum est.* Quamquam recentiore tempore Latini id parum curabant, et qualemcumque litoteta per vocabulum *non* exprimere solebant.

Plaut. Poen. 5, 4, 6. *haud sordere visus est festus dies, Venus, nec tuum fanum.* **i. e. splendere visus est. Rud. 5, 3, 27.** *iam ab isto auferre haud sinam, nisi istam condemnavero.* **Alia supra iam allata sunt a nobis, et a Cortio ad Sallust. Cat. 3, 1.**

Attamen haec etiam moderatur accentus. Nimirum quum gravior accentus imponitur vocabulo *haud*, vehementius nego esse rem, veluti *haúd malum est*, et germanice *es ist gár nicht — schlecht*, ita nego, ut bonum cogitari possit: nam reiicitur sententia eius, qui dixerat malam esse rem. Accentu autem elevato et in nomen translato, tantum removere cupio opinionem, quam de aliqua re conceptam esse aut concipi posse video. Sic dicimus *haud málum est*, *es ist — gar nicht schlécht*, ut intelligatur nisi bonum, tamen non admodum malum. Id Germani etiam dicunt *eben nicht*, *weiter nicht.* Donatus ad Terentii verba *conveni — hominem haud impurum* haec: *et sic laudamus eos, in quibus nihil est, quod magnopere efferamus.*

Plaut. Bacch. 5, 2, 20. *stultae atque haud malae videntur.* **i. e.** *weiter nicht böse.* **5, 2, 42.** *haud mala est mulier.* **i. e.** *eben nicht.* **Pseud. 1, 2, 9. Terent. Heau. 2, 4, 7.** *et vos esse istiusmodi et nos esse haud mirabile est.* **Plaut. Capt. 2, 2, 104.** *hoc quidem haud molestum est iam, quod collus collario caret.*

Plaut. Pseud. 5, 2, 11. *haud male mones.* **4, 6, 16. Men. 2, 3, 60.** *haud falso, mulier, praedicas.*

25. Vt supra demonstravimus, per particulam *haud* affirmamus aliquam rem ex sententia loquentis non esse, atque negamus ea, quae aut ad voluntatem aut ad opinionem pertinent. Vnde factum est, ut non pauci existimarent, *haud* exprimere animi suspicionem aut sententiam cum dubitatione coniunctam. At ea, quae in particula proprie inest, gravior vis negationis valet etiam in iis sententiis, quibus iudicium de rebus ipsis proferendum cohibemus et ad certam animi persuasionem referimus. Est enim certa sententia, et quomodo res esse videatur, confirmatur de sententia.

Nos Germani quum dicimus *gar nicht*, **intelligimus** *ut verum dicam, non:* **quo praesumitur, dubitationem esse repellendam.**

Id vero negationem non reddit dubiam, sed graviorem ad eximendam dubitationem.

Hic memorandus mihi videtur locus Horatii Sat. 1, 3, 20. de quo critici multum disputaverunt, utrum scribendum esset: *Nullane habes vitia? Immo alia et fortasse minora*, an *haud fortasse minora*, quod nuper Groebelius et Iahnius tamquam necessarium defenderunt. Vid. Iahnii Annal. 1828. Vol. 1. p. 349. At nemo animadvertisse videtur, *haud* non recte poni in eo, quem obtinet, loco, neque umquam coniungi posse cum voc. *fortasse*. Quum *haud* scribitur, deesse aliquid videtur. Nihil tamen deest, nec quidquam improbari potest in hac quidem sententia: Quae ego habere me concedam, alius sunt potius generis, et, ut opinor, etiam minora. *Immo alia* enim significat: immo habeo vitia, sed alia.

26. Quaeri poterit, num Latini vim prohibitivam, quam vocabulo *ne* propriam tribuerunt, etiam graviori cum vi per particulam *haud* expresserint. Et sunt quaedam argumenta, quibus id demonstrari posse videatur. Sed a certo iudicio abstineo in tanta exemplorum penuria. Tamen negari non licet, veteres dixisse *faxo haud putent*, non dixisse *faxo non putent* pro *ut non putent*, sed *ne putent*.

Plaut. Mil. 2, 3, 22. *verum enim tu istam, si te dii ament, temere haud tollas fabulam.* Haec Lambinus interpretatur ita: verum cave istam fabulam sine magna ratione vulges. Nec aliter Gronovius cepit, quum scriberet *si de dii amant*. At ratio parum differt ab ea, quam supra n. 16. ex Curc. 1, 3, 8. declaravimus. Necessario ergo codicum scripturam *si te dii ament*, non *amant* recipiendam putabimus, et sensum reddemus his: *wenn dir die Götter beistehen sollen, möchtest du sicher die Sache nicht weiter bringen:* quod pro futuro dicitur. Nemo enim cogitabit de transponendis verbis *haud temere*. Terent. Andr. 1, 2, 33. *sed dico tibi, ne temere facias, neque tu haut dicas, tibi non praedictum Cave.* Ita Donatus constituit hunc locum, sed codices plurimi praebent *dices*.

Plaut. Cas. 5, 4, 13. *haud mentire hercle.* Hic locus ipsam rem confirmaret, nisi oratio esset abrupta et in codicibus mutilata: neque in ullo loco Plautus *mentire* posuit, nisi pro *mentiris*.

Plaut. Bacch. 4, 8, 22. *tum illam, quae corpus publicat vulgo suum, faxo se haud dicat nactam quem derideat.* Virg. Aen. 9, 154. *haud sibi cum Danais rem faxo et pube pelasga esse putent.*

27. Restat, ut quaedam formulae compositae notentur, quarum explicatio ex ipsarum natura prodit. *Haud tamen* coniunguntur a poetis, non ab auctoribus prosae orationis.

Virgil. Aen. 10, 436. *ipsos concurrere passus haud tamen inter se magni regnator Olympi.* 10, 276. *haud tamen audaci Turno fiducia cessit litora praecipere.*

28. *Haud vidi magis.* Muretus Var. Lect. 17, 16. haec: „genus quoddam loquendi est ironicum, quo utebantur, quum ostendere volebant, id, quod dixisset alius, sibi non probari: neque ita esse, ut ille dixisset. Dicebant igitur *haud vidi magis.*“ Cicero p. Sext. 51, 110. dixit *nihil vidi magis.*

Plaut. Amph. 2, 2, 47. *exspectatusne advenio?* so. *Haud vidi magis exspectatum.* Capt. 3, 4, 29. HE. *At etiam te suum sodalem esse aiebat.* TY. *Haud vidi magis.* Poen. 1, 1, 13. *ignoscere id te mihi aequom est.* MI. *Haud vidi magis.* Merc. 4, 3, 24.

29. Formulae sunt *haud fit mora*, *haud mora.* Dicitur etiam *nec mora.* Nusquam inveni *non mora.* *Haud mora* est omnino nulla mora, ne minima quidem mora.

Virgil. Ge. 4, 548. *haud mora: continuo matris praecepta facessit.* Aen. 5, 140. 3, 207. Valer. Flacc. 5, 60. *haud mora: reliquias socii defletaque miscent nomina.* Petron. 99, 6. *haud mora: omnes consurgimus.*

Virgil. Aen. 10, 153. *haud fit mora.*

30. Oratio negativa, quae in partes dividitur, formatur particulis *haud* — *nec.* Nusquam legimus *haudque*, *et haud* in copulandis sententiis. Sicubi *et haud* dicitur, *haud* alii nomini adhaeret singulari: quemadmodum etiam *atque haud* usurpatur.

Virg. Aen. 1, 327. *namque haud tibi, vultus mortalis, nec vox hominem sonat.* 7, 203. 3, 214. *tristius haud illis monstrum, nec saevior ulla pestis et ira deum stygiis sese extulit undis.* Horat. Epist. 1, 8, 4.

Plaut. Poen. 3, 5, 10. *valeant apud te quas volo atque haud te volo.* Rud. 2, 3, 77. *ut lepide, ut liberaliter, ut honeste atque haud gravate timidas, egentes — accepit ad sese.*

31. Ubi vis negationis amplior erat exprimenda, poetae recentioris quidem aetatis non dubitarunt *haud*

bis ponere in duabus sententiae partibus. Antiquius exemplum mihi non est cognitum.

Valer. Flacc. 8, 443. (459.) *haud hoc nunc genitor putat: haud dare poenas iam sceleris dominumque pati.* 8, 318. (334.) *haud ita sed summo segnis sedet aethere luno: haud sinit extrema Minyas decernere pugna.*

32. Sicuti in aliis negationibus, ita etiam in verbis *haud — quam* omittitur vocabulum *tam.* Livius et *haud tam — quam*, et *haud tantum — quantum* dixit.

Tacit. Ann. 3, 8. *quem haud fratris interitu trucem quam remoto aemulo aequiorem sibi sperabat.* Vbi vide Muretum et Ernestium.

Liv. 2, 34, 12 *haud tam facile dictu est, faciendumne fuerit, quam potuisse arbitror fieri.* 27, 48, 5. *circa eos laevo in cornu adversus Claudium Gallos opponit, haud tantum eis fidens, quantum ab hoste timeri eos credebat.*

33. In omni, quem exposuimus, usu scriptores veteres unam regulam eam servant, quae particulam ante suum nomen proxime apponi iubet. Poetae interdum licentiae sibi concessae indulserunt, sed admodum raro.

Plaut. Aul. 2, 2, 54. *tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi numquam siem.* Quemadmodum Germani dicunt *mehr nicht* pro *nicht mehr.*

Horat. Sat. 1, 5, 8. *coenantis haud animo aequo exspectans comites.* 1, 9, 27. *haud mihi quisquam.* 1, 9, 56. *haud mihi deero.*

Plaut. Most. 3, 2, 115. *misericordias iam habere haud hominem oportet.* Sed in antiquissimis editionibus haec post aliquot versus leguntur, et ita quidem: *misericordias tandem habere hominem oportet.* Criticorum ergo operam desideramus.

*) Saepissime confusae sunt particulae *haud* et *aut.* vid. Cic. de Rep. 2, 4. ad Fam. 9, 26. Drakenb. ad Liv. 28, 2, 11. Groebelii Observat. in script. rom. spec. 6. p. 16. et *at* Cic. p. Cluent. 60, 165. cf. Tom. 1. p. 538. et quos criticos commemoravi p. 558. et *an.* vid. Cic. ad Att. 13, 20. et *ad.* vid. Drakenb. ad Liv. 6, 5, 2.

Rudolphus Stürenburgius, qui ante duos annos Ciceronis orationem pro Archia edidit, in notis huic libro adiectis significabat,

se esse de negativis particulis Latinorum disputaturum. Id mihi spem excitabat laeti otii: nam cognoveram in hoc viro magnam sedulitatem et ingenii acumen. Quare commentationem per longum tempus exspectabam, ut meam sententiam cum eruditissimi iuvenis decretis componerem atque recognoscerem: sed frustra. Interim scripta mea tradebantur typographo, qui duas plagulas ita, ut nunc leguntur, typis expressit. Iterum intercessit longa mora. Nunc vero, ubi ad librum edendum revertor, afferuntur ad me commentationes cum Ciceronis libris de Officiis emissae, quarum prima particulam *haud* complectitur. Perlegi eam atque statim cognovi, me aut in omnibus errasse, aut stabiliora universae doctrinae fundamenta iecisse: nam de una eademque re sententiae sunt propositae prorsus contrariae, saepe iisdem documentis adhibitis. Iudicabunt igitur de utriusque demonstrationis veritate doctiores homines. Ego nec multis verbis meam sententiam defendam, neque omnia, quae a Stürenburgio non recte disputata esse video, redarguam: tamen breviter indicabo, quo modo Stürenburgius non effecerit, ut ulla in parte praecepta a me exposita nunc mutare debeam.

Stürenburgius cum multis aliis *haud* dicit particulam, quae cum fluctuatione neget, planeque respondeat nostro *nicht eben:* quae ipsa tamen germanica vox saepe vim habet sententiam graviter admodum confirmandi, veluti quum loquimur: *wirst du es nicht eben thun? ich thue es eben nicht.* Sed istam significationem negationis fluctuantis ille demonstrasse sibi visus est et usu et etymologica ratione particulae. In eo igitur, quod graecum alpha cognatum esse dixit, me habet consentientem: at mirabiliter aberravit a veritate, quum docuit alteram vocabuli partem esse *ut*, quasi Latini olim pronuntiassent *ha-ut*, illudque *ut* fluctuandi notionem significare. Nam *au* in latina lingua una est primitiva vocalis, neque ullum exstat exemplum diaeresis, nec contractionis vocalium *a* et *u* in *au* factae, neque etiam *ut* per se fluctuationem exprimit. Vsum vero quomodo perspexerit vir doctus, primo, quod affert, exemplo monstrari potest. Cicero de Leg. 3, 11, 26. ait: *scis solere, frater, in huiusmodi sermone, ut transiri alio possit, dici admodum, aut prorsus ita est.* Q. *Haud equidem assentior: tu tamen ad reliqua pergas velim.* De his Stürenburgius haec: „satis inepte hoc loco Marcus Quintum fratrem loquentem fecisset, gravius si *haud* sonaret quam *non.* Nam tum caussae debebant afferri, cur tanto opere dissentiret Quintus, ac non poterat dicere, se velle tamen ad reliqua pergere Marcum.“ Ineptam loquutionem equidem non sentio. Tantum enim aberat Quintus, ut diceret, quod iusserat Marcus, *prorsus ita est*, ut nullo pacto assentiretur. Reddamus illa verba sic: *ich stimme zwar keineswegs bei,*

doch wünsche ich, dafs du weiter fortfahrest. Quis vero iam desiderabit caussas dissensionis?

Reliquae rationes non magis satis faciunt. Nam quod Cicero non dixisse videtur *haud ita*, sed *non ita*, ideo factum esse putat Stürenburgius, quoniam fluctuandi notio non coniungi posset cum *ita*, in quo ipso fluctuandi vis quaedam inesset. At haec vis plane aliena est a vocabulo *ita*. Et quod in Arateorum fragmentis, v. 346. legitur, *haud ita vero*, id non decuit metri necessitati tribui, neque in usu Livii, qui plus vicies *haud ita* loquutus est, deterioris latinitatis documentum agnoscimus. Dixerunt ita et Terentius et Cornelius et Virgilius et Horatius, optimi elegantioris dictionis auctores. Conf. Bremius ad Cornel. Paus. 1, 2. Ceterum per mihi mirum videtur numerare locos, in quibus aliquis scriptor vocabulum communis usus posuerit, aut negare aliquem scriptorem, cuius libros non omnes adhuc servatos habemus, plus semel vocabulum usurpasse, Si vero abstinuit Cicero, propterea id fecit, quod hanc loquutionem viderat propriam esse vulgari vitae, unde transiit in poetarum sermonem, non in oratorum libros.

Ex ipsa, quam explicui, particulae natura, non ex alia caussa intelligitur, cur Latini numquam composuerint verba *haud solum — sed etiam*, neque *omnino haud*, neque *haud fortasse*, neque *haud antequam* et similia, quae nonnisi simplicem negationem admittunt. Quamquam cavendum erat Stürenburgio, ne temere negaret, veteres dixisse *haud magis quam*, cuius dictionis exempla vide apud nos p. 23 et p. 36. neu dubitaret, an *haud — haud* bis poni posset uti *non — non*: vide p. 36. Nec suspectam habebimus orationem, in qua per *haud* opponuntur alia dicta: nam praeter locos Livii 31, 49, 9. et Taciti 6, 30. alia multa exstant exempla. Perraro inveniri *nisi — haud* et *haud — nisi* affirmat Stürenburgius, quum ipse duobus in locis Liv. 27, 42. et Taciti Ann. 3, 65. legisset. Alia ego dedi p. 30. Ex eo vero, quod Cicero *haud* non composuit cum adiectivis, quae negationem in se habent, id tantum caussae colligi licet, Ciceroni non placuisse artificiosiorem formam, qua litotes exprimitur. Tamen ipse scripsit de Div. 2, 39, 82. *haud ignoro.*

Falsae opiniones Stürenburgium etiam in critica arte impediverunt. Nam in Cic. de Div. 1, 57, 129., ubi in aliis libris *haud dubitent*, in aliis *non d.* legitur, optimo iure defendi potest *haud*, si modo ea, quae p. 29. et p. 30. attuli, comparaveris. In Epist. ad Att. 7, 15. nihil verius esse potest scriptura codicis, qui praebet *sed is haud auditus in consilio.* hoc est: *doch er wurde in der Versammlung gar nicht gehört:* omissa negatione claudicat sententia. In loco ad Att. 13, 48. scribendum est *haud umquam necesse erit.*

HAVDDVM.

1. Enclitica *dum* coniungitur, ut fiat *hauddum*, quod a *nondum* negationis tantum confirmatione differt. Est enim vel *wirklich noch nicht* vel *noch gar nicht*. Cf. Tom. 2. p. 323. Exempla Livio antiquiora non exstant. Apud Livium septem inveniuntur, eaque omnia ad res praeteritas attinent: quae quomodo Stürenburgius ad fluctuans iudicium referat et verbis *noch nicht eben* reddat, equidem non satis perspicio.

Liv. 2, 52, 4. *quum et patres haud minus quam pro Coriolano adnisi essent et patris Agrippae favor hauddum exolevisset*, etc. ubi vid. Drakenb. 29, 11, 1. *Aesculapium quoque ex Graecia quondam hauddum ullo foedere sociata, valetudinis populi caussa arcessitum.* 28, 2, 1. *quum hauddum quisquam hostium senserat.* 33, 11, 2. *hauddum satis gnarus, quam regionem petisset rex.* 10, 25, 10. *fiebant autem itinera, quanta fieri sinebat hiems hauddum exacta.*

2. Sunt tamen loci, in quibus quomodo *hauddum* a *nondum* differat, ex sententiarum ratione vix demonstrabis. Haec confudit vulgaris usus.

Liv. 10, 6, 2. *Samnitem, multorum annorum cladibus domitum, hauddum foederis novi poenitebat.* 22, 12, 6. *constantiam hauddum expertus agitare ac tentare animum movendo crebro castra — coepit.*

3. *Tantum hauddum* Silius dixit pro *hoc unum deest quod nondum* etc.

Sil. 2, 330. *consilione Libyae — ausonius miles sedet? armaque tantum hauddum sumpta viro?*

HAVDQVAQVAM.

1. HAVDQVAQVAM in iis vocabulis est, quae ab aliis olim divisa in duas partes scribebantur (vid. Charisii Instit. gram. p. 192.), ab aliis in unum vocabulum coniungebantur, quemadmodum *nequaquam* dicitur. Vtrumque vero hoc verbum, ut supra p. 19. demonstravimus, unius est rationis, nec vi aut significatione differunt, sed forma ac modo. Nam *ne* tollit notionem et mutat, quasi si quis dicat: ne quis existimet quaquam: *haud* itidem negativam efficit notionem, sed ut

esse ita neget, quasi dicamus: non est quod quaquam sive ullo modo sit vel esse putetur. Significat igitur *minime omnium, omnino non: ganz und gar nicht, keineswegs:* et usurpatur eadem ratione, qua *haud.* Caesar et Quintilianus et fortasse alii numquam hac voce usi sunt, sed dixerunt *nequaquam.*

Herzogius quum ad Sallust. Cat. 3, 2. in *haudquaquam* dixisset fortiorem negationem inesse quam in *nequaquam*, et ob hanc rem negasset a Caesare Bell. civ. 3, 109. scribi potuisse: *Caesaris copiae haudquaquam erant tantae*, Kritzius caussam in eo quaesivit, quod in numero copiarum designando nullus opinioni aut dubitationi locus concederetur.

Cic. de Orat. 1, 9, 38. *quorum pater, homo prudens et gravis, haudquaquam eloquens et saepe alias et maxime censor saluti reipublicae fuit.* de Amic. 18, 66. *accedat huc suavitas quaedam oportet sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiae.* Liv. 3, 7, 5. *ibi haudquaquam aequo proelio pugnatum est.* 5, 46, 3. Tacit. Hist. 2, 66. *angebat Vitellium victarum legionum haudquaquam fractus animus.* Ann. 11, 11.

Cic. de Orat. 2, 33, 143. *et quidem haudquaquam id est difficile Crasso.* de Vniv. 11. *sed haudquaquam boni est, ratione vinctum velle dissolvere.* Tacit. Ann. 14, 54. *ac licet multa videantur, plerique haudquam artibus tuis pares plura tenuerunt.* Virg. Aen. 12, 45. *haudquaquam dictis violentia Turni flectitur.*

Enn. apud Macrob. Sat. 6, 2. *haudquaquam quemquam semper fortuna sequuta est.*

2. Cum vocabulis affirmationis coniungitur *haudquaquam*, quod quum Stürenburgius reddit verbis *nicht eben in irgend einer Hinsicht*, non video, quomodo absonam sententiam, quae asseverationem cum dubitatione consociet, defendamus.

Cic. de Orat. 3, 22, 82. *haudquaquam hercle mirandum est.*

Terent. Heaut. 1, 2, 1. *haudquaquam etiam cessant.* Quemadmodum *nihil etiam* dicitur. Vid. Tom. 2. p. 568.

8. Sicuti omnes negationes, ita etiam *haudquaquam* in sententiarum altera parte ponitur, cui altera opponitur per particulas *sed*, *ceterum.* Significatio eadem manet.

Liv. 1, 57, 9. *ubi Lucretiam haudquaquam ut regias nurus,*

quas in convivio luxuque cum aequalibus viderant tempus terentes, sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inveniunt. 27, 17, 10. *loquutus haudquaquam ut barbarus stolide incauteque, sed potius cum verecunda gravitate.*

Liv. 8, 8, 16. *Romanus corpore haudquaquam satis validus, ceterum strenuus vir peritusque militiae.*

*) Librarii imperiti scribere solebant *haudquamquam.* vide Drakenb. ad Liv. 7, 26, 8.

HE. HEHAE. HEHE.

Interiectio HE, quae nescio an omnibus linguis communis sit, in libris non apparet. Sed in usu eam fuisse testatur Cledonius, qui p. 1831. ait: *at si qua sunt similia, quae ex affectu mentis colligenda sunt, id est, quod sonum suum vocalibus misceant, ut* HE, OHE, *ve.* hoc est, quod vocales habeant vel longas vel breves. Et Asper Iunior p. 1735. *interiectio est — aut indignantis ut hae.* Lindemannus codicis auctoritate scripsit *he*, addens haec: „neque *he*, neque *hae* indignantis interiectionem quisquam grammaticorum agnoscit: quapropter scribendum censuerim *vae.*“ At si quis affectus est, cui designando inservire possit *he*, is est indignationis.

Latinis etiam HEHE, vocem naturaliter effutitam, fuisse in usu, ex Varrone cognovimus. Is enim de Ling. lat. 6, 5. *euax verbum nihil significat, sed effutitium naturaliter est, ut apud Ennium: hehe, ipse clupeus cecidit.* Codices quidam *hehae* exhibent. Editio autem princeps *hebe* et Aldina *hebae*, quod Scaliger graecum αἰβοῖ esse existimavit. Graecum vocabulum si translatum esset, aut *heboe* aut *hebu* sonare debuisset. Sed Priscianus p. 1024. *inter has ponunt etiam sonituum illiteratorum imitationes, ut risus, haha, hehe et phi et heu, hoe, et hau.* Vtrum littera extrema *ae*, an *e* fuerit, demonstrari non potest. Significatio ad res vel odiosas vel tristes pertinere videtur: nam dolor exprimitur.

Forcellinus verbum affert *ehe:* quo auctore, nescio.

HEI.

Grammatici veteres non minus quam prudentiores librarii antiquioris temporis distinguunt particulas *hei* et

heu. Cuius rei prima caussa posita erat in pronuntiatione et in forma. Soni *ei* et *eu* enim inter se haud parum distabant. Illa vero diphthongus *ei*, quam Germani contracto sono pronuntiant in verbis *rein*, *dein*, prorsus aliena fuit a latina lingua, in qua *ei* semper pronuntiabatur soluto sono, vel littera *e* obscurata, vel littera *i*; quemadmodum apud nos rustici loquuntur. Conf. Priscian. p. 563. *Eu* diphthongum Latini cum Graecis communem habebant. vid. Terent. Maur. 467. De adspiratione Cassiodorus ex Eutychis libris p. 2311. extr. *omnis vocalis vocali illata seu divisa seu in diphthongo copulata, caret adspiratione —, exceptis haedus, haurio, hio, hisco, hau, et quidquid ab his componitur vel derivatur (nam haec ut articulus adspiratur) et heu et hei interiectionibus, et verbo heiulo, quod ab hei vel heu traductum est.* Ita haec mihi emendanda videntur. Phocas de Adspirat. p. 1724. in verbis, quae in prima syllaba *eu* diphthongum cum adspiratione copulant, *heu* nominat, interiectionis *hei* nullam facit mentionem. Atque fuisse videntur, qui adspirationem non adiicerent. Apulei. de Orthogr. 14. E *ante* I *aspiratur in hei interiectione, ut ab ei pronomine distet, vel quoniam affectum significat, cum auctiore spiritu est premendum* (Lege: *promendum*). Sed redeamus ad significationem. Etiamsi igitur hae voces facillime poterant per scripturam confundi, et saepissime *hey* et *heu* pro *hei* in codicibus scriptum legitur, tamen antiquis hominibus distinctio erat necessaria. Idcirco *hei* numquam usurpabatur de animi aegritudine, neque in lamentatione de moerore ac luctu, sed tantum in perturbatione animi vel ex timore ac metu, vel ex terrore orta vel per magnitudinem rerum excitata. Omnes etiam grammatici veteres docent, *hei* esse timentis, *heu* dolentis. Vid. Diomedes p. 412. Donatus p. 1766. Max. Victorinus p. 1954. Agroetius p. 2272. Nos vero percenseamus singula huius usus genera.

Antiqua doctrina aliquando obsolevit ita, ut Pareus contra Gruterum contenderet in Analect. in Plaut. Amph. 5, 1. p. 143. *hei* ab *heu* nihil differre.

1. Diximus metum et timorem exprimi hac vocula. Atque ea utuntur ii, qui malum appropinquare vident, et qui vehementiore metu conturbantur, et qui angore

premuntur de futura re. Terentius saepe composuit verba *hei vereor*.

Plaut. Most. 2, 1, 48. *hei mihi, quam istaec blanda dicta quo eveniant, madeo metu.* Bacch. 5, 2, 55. *hei mihi, metuo.* Most. 3, 1, 12. Terent. Phorm. 3, 2, 5. 1, 3, 26. *hei timeo miser, quam hic nunc mihi nuntiet rem.* ad hunc locum Donatus: *recte iam timet, quia in metu semper est praesaga mali mens. Et hei interiectio ingemiscentis est.*

Plaut. Most. 4, 3, 36. *hei mihi disperii: vocis non habeo satis.* Pers. 4, 9, 3. *hei. Persa me pessum dedit.* Amph. 5, 1, 57. AM. *Hei mihi.* BR. *Ne pave.*

Plaut. Most. 3, 2, 50. TR. *Hei.* SI. *Quid est?* TR. *Me miserum, occidi.* SI. *Qui?* TR. *Quia venit navis, nostrae navi quae frangat ratem.* Cas. 3, 3, 11. *sed uxorem ante aedis eccam: hei misero mihi. Metuo ne non sit surda atque haec audiverit.* Terent. Ad. 2, 2, 34.

Terent. Andr. 1, 1, 46. *hei, vereor, ne quid Andria adportet mali.* 2, 1, 22. *hei mihi, vereor dicere.* Ovid. ex P. 1, 2, 7. *hei mihi. quid faciam? vereor ne nomine lecto durus et aversa cetera mente legas.*

2. Terrorem significat vel subito oblatum, vel qui trepidationem iniicit.

Plaut. Most. 4, 2, 63. *hei perdis.* Stich. 2, 2, 63. Terent. Heaut. 2, 3, 5. cf. v. 9.

Plaut. Cas. 3, 4, 20. ST. *Quid cum gladium?* PA. *Habet.* ST. *Hei misero mihi. Cur eum habet?* Aul. 2, 9, 21. *hei mihi, perii hercle. Aurum rapitur, aula quaeritur.* Most. 4, 2, 46. *hei, hei, occidi, si haec hic vera memorat.* Terent. Phorm. 5, 9, 15. Ad. 5, 3, 3.

Virg. Aen. 12, 620. *hei mihi, quid tanto turbantur moenia luctu.* 2, 274. *hei mihi, qualis erat quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli.* quamquam scriptura dubia est.

3. Sunt loci, in quibus malis aut miseria oppressi videantur suum dolorem hac voce exprimere: at nullum eorum cognovi, in quo loquentium animus non timore percutiatur, aut in quo miser non de ingruente malo lugeat. Duobus in locis Plauti loquuntur, qui vapulant, non dolore percussi, sed consternati improviso ictu.

Plaut. Merc. 5, 4, 26. Demipho senex loquitur *hei, perii miser*, non ut infortunium suum lamentetur, sed ut Eutychi verbis perterritus et de futuro anxius. Neque aliter Aul. 2, 2, 23.

2, 1, 29. *hei occidi.* Terent. Phorm. 4, 3, 66. *hei mihi. Geta occidisti me tuis fallaciis.* Male reddidit Köpkius: *o weh, der Geta richtet mich zu Grunde mit seinen Kniffen.* Antipho enim miratur, quae modo audivit ab aliis non visus. Tibull. 2, 6, 28. *hei mihi, ne vincas, dura puella, deam!* Corrupta sunt verba apud Petronium 42. *hei est hei.* ubi codd. *hey.* Scribendum *heu! eheu!* ut legitur in inscriptione. Vid. Tom. 2. p. 369. Pessima est coniectura Lachmanni in Catulli 38, 2. *malest me hercule ei et laboriose.*

Plaut. Cas. 4, 4, 22. OL. *Edepol papillam bellulam. Hei misero mihi.* ST. *Quid est?* OL. *Pectus mihi agit nunc cubito.* Pers. 5, 2, 65. *hei. colaphum icit.* 66. *hei nates pervellit.* Si codicibus fides habenda est, in Statii Theb. 7, 490. hac voce utitur mater dolore et iracundia incensa: *Argolici proceres hei quis monstraverit hostem quem peperi?* In libris enim aut *hei* aut *ei* legitur. Heinsius notat, se in libris scriptis invenisse *ecquis*: quod verum puto, etiamsi e coniectura profectum sit. Nam frequens est haec commutatio. In Claudian. Nupt. Hon. 128. *ecquis erit pueri vitreas qui lapsus in undas huc rapidum Tritona vocat.* olim legebatur *heus quis* et alii libri exhibent *heu*, alii *haec.*

4. Haec vero consternatio animi etiam rebus efficitur, quae ex improviso accidunt aut mirabiliores sunt, aut quibus obstupescimus. Interdum haec admiratio coniuncta est cum indignatione quadam. Quare sequitur interrogatio. Germanorum vulgus dicere solet: *du mein Gott, dafs Gott erbarme.* Et loquuntur ita ii quoque, qui se impeditos sentiunt in agendo.

Plaut. Most. 1, 3, 108. *hei mihi misero, suavium speculo dedit. Invidet speculo suavium.* Men. 5, 2, 90. *hei mihi, insanire me aiunt, ultro quum ipsi insaniunt.* Terent. Ph. 5, 3, 14. *hei, video uxorem: pene plus quam sat erat.* Intempestiva enim venit. 3, 2, 16. *hei, veris vincor.* Phaedria loquitur consternatus.

Plaut. Men. 2, 2, 29. *hei mihi! quum nihil est, illi qui homini diminuam caput.* Amph. 2, 2, 166. *hei mihi. iam tu quoque huius adiuvas insaniam.* Terent. Ad. 3, 4, 4. *id illi nunc dolet alieno. Pater is nihili pendit. Hei mihi.* Male haec ultima verba critici cum iis, quae sequuntur, *utinam adesset* coniunxere. Nec melius Andr. 1, 5, 28. *eine ego ut advorser? Hei mihi. Incertumst, quid agam.* Exclamatio non ad verbum *incertumst* spectat, sed ad superiora. Item Hec. 3,

3, 6. ubi *hei mihi* dicit Pamphilus, quum videat, quam sua exspectatione deceptus sit.

In Plaut. Epid. 5, 2, 49. *abi modo intro.* PE. *Hei. non illuc temere est.* Acidalius verum restituisse videtur scribendo: *abi modo intro: ei* i. e. *i.* Eodem modo Bentleius emendavit Terent. Heaut. 4, 7, 3. *i. quid stas?* pro *hei, quid stas?*

Plaut. Bacch. 3, 3, 7. *hei mihi, hei mihi. isthaec illum perdidit assentatio.* quae vertas: *ei, ei.* Eodem modo Amph. 2, 2, 173. Terent. Ad. 1, 2, 44. *hei mihi, pater esse disce ab illis, qui vere sient.*

Plaut. Amph. 1, 1, 165. *olet homo quidam malo suo.* SO. *hei. numnam ego obolui?* Aul. 4, 10, 66.

Terent. Andr. 3, 5, 16. *hei mihi. cur nan habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut volo?*

5. Quae quum ita sint, usus huius particulae ad colloquia pertinet proprie. Poetae elegiaci aliique formulam *hei mihi* adhibere solent et ad notandam rem horribilem vel nimiam et admirandam, et in sententia, quam pronuntiasse poeniteat, removenda.

Tibull. 2, 1, 69. *illic indocto primum se exercuit arcu: hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus.* quod Vossius male reddit *wehe.*

Tibull. 3, 6, 33. *hei mihi, difficile est imitari gaudia falsa.* ubi ineptius Vossius *wehe mir.* Fefellerunt eum verba, quae sequuntur postea: *quid queror infelix.* Nihil absurdius dici posset post verba *venit post multas una serena dies.* Non lamentatur enim poeta, sed ipse miratur se loquutum esse de laetitia sua. Dicit enim sibi quasi repugnans: quid dico? quam vana est laetitia. Indicant igitur verba *hei mihi* non dolorem, sed miram sententiam, quae inepta videri possit. Statii Silv. 5, 3, 225. *hei mihi quod tantum patrias ego vertice frondes — te sub teste tuli.*

6. Iam de constructione. Ex allatis exemplis intelligitur, vocabulum *hei* aut simplex poni, aut annexum habere *mihi*, et si gravior est animi consternatio, *misero mihi.* Quid in his intelligas, vix uno verbo designabis. Cum accusativo componi posse *hei* qui existimarunt, perversa opinione falsi sunt.

Ceterum Terentius praeter quatuor locos Andr. 1, 1, 46. Ad. 5, 3, 3. Phorm. 1, 3, 23. 5, 3, 14. semper interiectionem posuit in extremo versu. Quod non sine caussa factum esse videtur.

Terent. Ad. 2, 1, 19. SA. *O facinus indignum.* AE. *Geminabit, nisi caves.* SA. *Hei misero mihi.* Bentleius quum versum laborare et in codicibus alia legi vidisset, scripsit: *o facinus miserandum! Geminabit, nisi caves. Hei miseriam.* Quod ab antiquo usu abhorret.

7. Haud raro pergit oratio per *sed*, ut interiectio extra enuntiationem ponatur.

Stat. Theb. 12, 340. *hei mihi. sed quanto descendit vulnus hiatu.* Silv. 5, 2, 160. *hei mihi. sed coetus solitos si forte ciebo —, tu deeris, Crispine, mihi.*

HEIA.

Vide in EIA. Tom. 2. p. 362.

HEM.

Quamquam interiectiones, uti iam Scaliger docuit, nihil certa notione significant, sed notae sunt affectuum animi, quaedam tamen, quum vocabula fiant et pronuntientur, naturam nominibus cognatam in se recipiunt ita, ut unam cum nominibus communem originem sibi vindicent, aut alia in verba transeant: quemadmodum *eu*, *euge* cognatione attingunt nomen εὖ, *en* et *ecce* elementa praebent adverbiis, *pro* praepositio et *pro* interiectio unius sunt generis. Atque hoc modo fit, ut *hem*, *heus* cum pronominibus demonstrativis cognatione iungantur: neque opus est, ut cum Vossio ad hebraicam originationem regrediamur. *Hem* sive *em* sensui animi vim demonstrativam debet, quam intellectu et notione comprehensam occupant *eum* et *hunc*, quod erat *humce*. Et *him* dixerunt veteres pro *hinc*, et *em*, quod Festus narrat dictum esse pro *tum*, non alienum est a pronominis stirpe, sed respondet accusativo *eum*.

Nos in hac voce, cui grammatici variam significationem tribuerunt, duplex genus orationis distinguimus, quorum alterum maiore animi affectatione praevalet. Adspiratio autem, quam scribendo veteres saepe omiserunt, sicuti Maius refert se in palimpsestis *em* reperisse, pronuntiatione semper servata esse videtur. Apuleius de nota adspirationis 16. *adspiramus ante* E *in interiectione significationis gratia, sicut alias quasdam interiectiones.*

I. 1. Primum igitur *hem* habet significationem demonstrativam, non simplicem quidem, sed cum animi affectu coniunctam, de qua loquitur Charisius p. 214. et Donatus ad Terent. Andr. 2, 2, 14. *hem, ecce: demonstratio est facti.* Ea enim utitur is, qui aliquam rem monstrat vel ostendit, et ad eam animum attendere iubet cum commotione quadam sui animi, quasi dicat *en, vide modo.* Et sunt, in quibus comparari possit vocabulum *en*, quocum in scriptis libris saepe commutatum est. Differt autem *hem* validiori vi. Sic dicitur *hem tibi*, *hem tibi hominem* cum vehementiori incitatione, ubi nos *ei sieh da.* Ne quis tamen haec exempla ob codicum corruptelam corrigenda putet, metrum obstat, integritatem voculae *hem* declarans: veluti apud Plaut. Merc. 2, 2, 42. Poen. 1, 1, 77. At universam hanc naturam demonstrativam nuper negavit esse Lindemannus, et ante eum Petrus Avellanus aliique. Sed vide n. 5. Sed non deerant contrariae sententiae fautores. Nam Hartungius de Partic. graec. T. 1. p. 495. contendit *hem* et *en* unum esse vocabulum: cuius opinionis aliquod argumentum invenit in scriptis codicibus *hem* pro *en* exhibentibus. Quae argumentatio qualis sit, exponere non operae pretium puto.

Plaut. Cas. 2, 2, 37. CL. *Tace.* MV. *Quid est?* CL. *Hem.* MV. *Quis est, quem vides?* CL. *Vir eccum it.* Poen. 1, 1, 77. *heus, i foras, Agorastocles. Si vis videre ludos iucundissimos.* AG. *Quid istuc tumulti'st, Milphio?* MI. *Hem amores tuos, si vis spectare.* Terent. Andr. 3, 4, 25. *hem astutias.*

Plaut. Most. 3, 2, 117. *senex illic est: hem, adduxi tibi hominem.* Capt. 3, 4, 8. *hem tibi hominem: adi atque alloquere.* Terent. Andr. 5, 2, 1. *hem Davom tibi.* Plaut. As. 5, 2, 20. *hem tibi hominem.* Capt. 2, 3, 13. Mil. 2, 4, 12. *hem tibi: hic mihi dixit.* Rud. 5, 4, 1. Terent. Ad. 4, 1, 21. *hem tibi autem.*

Plaut. Bacch. 2, 2, 31. *immo, Chrysale, hem non tantulum umquam intermittit tempus.* 2, 3. 106. *immo hem tantisper numquam te morabitur.* quibus verbis gestus accedit.

In Trinumi Prol. v. 3. *adest: en illae sunt aedes: i intro nunc.* prima editio praebet *hem.* non male, si reddis: *wir sind am Ziel: du siehst ja dort ist das Haus.* Sed 1, 2, 148. idem liber exhibet *hem mea malefacta, hem meam avaritiam tibi.* ubi Hermannus scripsit *en tibi — en.* Et Pseud. 2, 4, 64. *hem tibi totam fabulam.*

2. Ex hac ratione coniungitur cum pronominibus demonstrativis ita, ut affirmationem cum exactiore designatione rei coniungat, ideoque saepe iudicium, saepe admonitionem acuat. Neque aliter in nominibus, quae demonstrativam vim in se habent, veluti *nunc*.

Plaut. Merc. 2, 2, 42. *si umquam vidisti pictum amatorem, hem illic est.* Pseud. 3, 2, 100. *hem illic ego habito.* Men. 4, 1, 8. *hem hac abiit.*

Terent. Andr. 2, 6, 27. *nam si hic malist quidquam, hem illuc est huic rei caput.* Plaut. Merc. 3, 3, 19. *hem istuc censeo.* Capt. 2, 1, 20. *hem istuc mihi certum erat.* ubi vereor, ut commutari possit ordo verborum, quod ob metrum faciendum putabat Lindemannus. Merc. 1, 2, 93. *hem istuc unum verbum dixisti verissumum.* Most. 1, 3, 139. Capt. 2, 1, 52. *hem istuc si potes memoriter meminisse, inest spes nobis in hac astutia.* Curc. 1, 2, 36. PH. *Huic quid primum dicam nescio.* PA. *Hem istuc, quod mihi dixti.* Epid. 4, 1, 26. PH. *Mira memoras.* PE. *Hem istuc rectius.*

Plaut. Pseud. 1, 5, 103. *hem istis mihi tu hodie manibus argentum dabis.* 4, 6, 29. *hem illius servos huc ad me argentum attulit.* Bacch. 4, 8, 29. *hem illoc paciscere, si potes.* Poen. 3, 4, 16. Curc. 1, 3, 56. *hem istoc verbo vindictam para.* Quare defendenda est scriptura vulgaris in Trin. 3, 4, 130. *hem istic oportet obseri mores malos.* Itemque 2, 4, 11. *hem ista ratio maxuma est.*

Plaut. Men. 4, 2, 61. *hem rursum nunc nugas agis.* Nos *da.*

Plaut. Pseud. 5, 2, 20. vulgo Pseudolo tribuuntur verba: *vorte ergo humerum. Hem!* At coniungenda sunt: *hem hoc ego numquam ratus sum fore me, ut tibi fierem supplex.* quae Ballio loquitur. Sicuti Poen. 3, 4, 16. *hem isthaec volo ergo vos commeminisse omnia.*

Plaut. Most. 1, 1, 9. *hem hoccine volebas?* i. e. *sieh da, das wolltest du?*

Cic. ad Fam. 13, 15, 2. *hem hic ille est de illis, maxime qui irridere atque obiurgare me solitus est, quod me non tecum — coniungerem.* Cod. medic. et edit. Victor. habent *em*, quod critici mutarunt in *en*, adversante Cortio. *Hem* non alienum videtur ab hoc, ut ipse Cicero ait, novo genere litterarum.

3. Ita utitur hac voce, qui aliquid alteri offert aut porrigit, veluti manum, et qui alicui verberibus manus infert.

Plaut. Bacch. 2, 3, 40. *hem accipe: trina haec nunc erit.*

Truc. 5, 60. *hem tibi talentum argenti. Philippicum est. Tene tibi.* 2, 6, 55. Amph. 2, 2, 146. *hem tibi pateram, eccam.* Curc. 1, 2, 27. *hem tibi, anus lepida.*

Plaut. Aul. 4, 4, 22. EV. *Ostende huc manum dexteram.* ST. *Hem.* Epid. 5, 2, 17. *hem, ostendo manus.* Capt. 4, 2, 79. ER. *Cedo manum.* HE. *Hem manum.* Most. 1, 4, 20. Merc. 1, 2, 38. Trin. 2, 4, 140. *oves scabrae sunt, tam glabrae, hem, quam haec est manus.*

Plaut. Capt. 3, 4, 38. *sed quaeso hercle agedum adspice ad me.* TY. *Hem.* AR. *Dic modo te negas Tyndarum esse?* Se ipsum offert Tyndarus.

Plaut. Curc. 1, 3, 39. *hem tibi maledictis pro istis, dictis moderari ut queas.* Cas. 2, 6, 53. Mil. 5, 12. *quare ausus? hem tibi.* Pers. 5, 2, 28. PAE. *Hoc, leno, tibi.* DO. *Perii: perculit me prope.* PAE. *Hem serva cursum.* Etiam Acidalius scripsit *hem, leno, tibi.* Poen. 1, 2, 170. *hem voluptatem tibi, hem mel, hem cor, hem labellum, hem salutem, hem suavium.* In Curc. 5, 2, 26. *hem tibi,* non *heus tibi* scribendum esse, iam Lambinus perspexit, et libri confirmant.

4. Cum his componi possunt ea, in quibus aliquis rem manifestam affirmat, aut de re tamquam per se conspicua loquitur. Quare praemittitur *hem* sententiis, quibus apertam veritatem ostendimus.

Plaut. Bacch. 4, 7, 10. *hae tabellae te arguunt, quas tu attulisti: hem, hae te vinciri debent.* Pseud. 1, 2, 22. *hem, sic datur, si quis herum servos spernit.* Epid. 2, 2, 85. *hem, nunc occasiost faciundi, priusquam in urbem advenerit.* Rud. 3, 5, 53. LA. *Quid est quod caveam?* LO. *Hem a crasso infortunio.*

Plaut. Asin. 2, 2, 57. *hem, ista virtus est, quando usust, qui malum fert fortiter.* i. e. *ei ja, das ist Tugend.*

5. *Heu* responsionem format eius, qui ad rem quaesitam aggreditur, et eius, qui adnuendo consentit aut cedit aut affirmat, ubi nos dicimus *nun ja, o ja.* Quare respondet etiam per *hem*, qui vocatus adesse se dicit, et is, qui alium ad suam sententiam revocans insistit.

Plaut. Asin. 3, 1, 34. PH. *Quid si hic animus occupatust, mater, quid faciam? mone.* CI. *Hem. Meum caput contemples, siquidem ex re consultas tua.* 2, 2, 91. *quid nunc consilii captandum censes? dic.* LI. *Hem, istuc ago, quomodo* etc.

Terent. Andr. 2, 2, 14. PA. *Obsecro te, quam primum hoc*

me libera miserum metu. DA. *Hem, libero.* ubi Petrus Avellanus Loc. restit. 16. scribendum censuit: *en libero.* Adelph. 1, 2, 57. 2, 1, 15. Plaut. Mil. 1, 1, 36. PY. *Quid illud, quod dico?* AR. *Hem, scio iam, quid vis dicere.*

Plaut. Capt. 1, 2, 80. *sed si venturus, tempori.* ER. *Hem, vel iam otium est.*

Plaut. Cist. 4, 2, 26. LA. *Hera.* PH. *Hem, quid est?* i. e. *nun was gibts?* Stich. 5, 2, 12. Trin. 4, 4, 10. Rud. 1, 4, 17. *Ampelisca!* AM. *Hem, quis est?* Terent. Ad. 2, 4, 17.

Terent. Andr. 3, 3, 23. *hem id te oro.* i. e. *nun ich bitte dich.*

6. Atque adiungitur *ergo*, quando sententia cum quadam conclusione confirmatur.

Plaut. Asin. 2, 2, 68. LI. *Memini. Quid tum postea?* LE. *Hem ergo is argentum huc remisit.* 2, 4, 25. *hem ergo, hoc tibi.*

7. Proprium est vocabulum, si quis secum cogitat et ipsum se ad attendendum excitat.

Terent. Eun. 4, 2, 8. *occepi mecum cogitare: hem, biduum hic manendum'st soli sine illa?* Sulpicius ad Cic. 4, 5, 10. *coepi egomet mecum sic cogitare: hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, quum uno loco tot oppidum cadavera proiecta iaceant?* Haec ex vulgari sermone, nec admodum urbane dicta videntur.

II. 1. Alterum genus exemplorum attinet ad animum vehementiori motu concitatum. Atque ita loquuntur ii, qui aut inopinata re obstupefacti sunt, aut admirantur rem novam et mirificam. Augetur vis particulae mutata forma in *ehem*, de quo Tom. 2. p. 356.

Terent. Andr. 2, 3, 9. DA. *Dic te ducturum.* PA. *Hem!* Eun. 5, 1, 10. TH. *Quamobrem adductust?* PY. *Nescio, nisi amasse credo Pamphilam.* TH. *Hem! Misera occidi.*

Plaut. Most. 4, 3, 8. SI. *Vidi efferri mortuum.* TH. *Hem, novum.*

Plaut. Cas. 3, 5, 30. PA. *Gladium.* ST. *Hem.* PA. *Gladium.* ST. *Quid eum gladium?* PA. *Habet.* Capt. 5, 3, 9. HE. *Salve, exoptate gnate mi.* TY. *Hem, quid gnate mi?*

2. Proprie praefigitur interrogationi, qua miramur esse rem, aut increduli contrariam opinionem profitemur, maxime in rebus iniucundis. Coniungitur saepe *quid* interrogativum.

Plaut. Aul. 4, 9, 9. *hem nemo habet horum? Occidisti.* Pers. 4, 9, 4. VI. *Pater hic meus est.* DO. *hem quid? pater? perii oppĭdo.* Terent. Andr. 2, 6, 3. SI. *Quid, Dave, narrat?* DA. *Aeque quidquam nunc quidem.* SI. *Nilne? hem.* Plaut. Mil. 2, 5, 16. *men' rogas, hem, qui sim?* Poen. 5, 2, 86. *hem, quid ego audio?* Asin. 3, 3, 115. *hem, quid istuc est? ut tu incedis?* Cas. 2, 3, 17. Stich. 2, 2, 48, Terent. Andr. 1, 1, 89. 1, 5, 35. *hem, egone istuc conari queam?* Varro de Re r. 1, 2, 5. *hem ibi tu quidquam nasci putas posse, aut coli natum?* Cic. p. Rab. Post. 17, 45. *hem, Postume, tunc es Curii filius?*

Plaut. As. 2, 4, 39. LI. *Non etiam.* LE. *Hem non?* Terent. Andr. 1, 2, 23. DA. *Non hercle intelligo.* SI. *Non? hem.* vid. Bothius ad Plaut. Cistell. 223. Terent. Ad. 4, 5, 75.

3. In hac miratione etiam ironiae locus esse potest et ei indignationi, quae ambiguo sermone utitur, et sarcasmo etiam.

Plaut. Cas. 3, 6, 15. *hem sapis sane.* Merc. 4, 3, 3. *hem quoi te et tu quae habeas commendes viro! hem quoi decem talenta dotis detuli, haec ut viderem!*

Terent. Andr. 1, 5, 13. *facta transacta omnia. Hem, repudiatus repetor.* i. e. *sieh da, man sucht mich Verstofsenen wieder.* Phorm. 4, 4, 7. *hem, si quid velis, huic mandes, qui te ad scopulum e tranquillo auferat.*

4. Praemittitur *hem* orationi, qua quis alicui instat aut aliquem vehementius incitat et urget. Quemadmodum componitur cum imperativo.

Plaut. Most. 1, 4, 2. *audi, hem, tibi imperatum est.*

Terent. Ad. 3, 2, 45. *hem, mea Sostrata, vide, quam rem agas?* 4, 2, 20. *hem, vide ut discidit labrum.*

Plaut. Amph. 1, 1, 151. *hem, nunc iam ergo. Sic colo.*

5. Eodem modo loquuntur homines irascentes et vehementius indignabundi.

Terent. Heau. 1, 1, 50. *hem, tibine haec diutius licere speras facere me vivo patre?* Quod Victorinus p. 1954. dicit esse coercentis. Andr. 4, 1, 41. *hem, quid ais, scelus.*

Plaut. Truc. 2, 2, 57. *hem tu, o sexungula! malae vivitis.* Beroaldi liber *hem tu hoc, sexungula!* Terent. Eun. 5, 8, 42. ubi vid. Bentleius.

Terent. Andr. 4, 4, 46. *hem scelera, hanc iam oportet in cruciatum hinc abripi.*

6. His contrarium est, quum laetitia aliquis exsultat, veluti in salutando amico. Neque aliter in approbatione laetifica additur commoti animi signum.

Plaut. Merc. 5, 2, 70. *hem nunc tu mihi ut places.* Terent. Hec. 3, 2, 12. *hem istoc verbo animus mi rediit.*

Plaut. Rud. 2, 4, 2. *hem quid hoc boni est! heu edepol specie lepida mulier.* Pseud. 4. 1, 7. *hem, te hercle ego circumspectabam: nimis metuebam male, ne abiisses.*

Plaut. Asin. 3, 3, 114. *hem sic, abi: laudo.* ubi illud *abi*, sicuti nostrum *geh*, laetam admirationem exprimit. Terent. Heaut. 4, 8, 25. *hem istuc volueram.*

7. Ingemiscentium esse particulam *hem* Sosipater Charisius docuit p. 214. his verbis: *C. Gracchus, uti lex papiria accipiatur: Pessimi fratrem meum optimum interfecerunt: hem, videte, quam par pari sint. At quidam hem pro en volunt esse: sed decet commemoratione fraternae mortis ingemiscere. Itaque mora distinctionis par est ostendere affectus. Plautus in Poenulo: hem, isthaec volo ego meminisse omnia.* Tamen verum viderunt illi, qui pro *en* accipiebant. De Plauti loco dictum est n. I. 2. Aliena enim prorsus est ab hac voce doloris aut moeroris significatio. Nam in Terent. Eun. 5, 1, 10. Thais primum obstupefacta est verbis Pythiae: tum addit, *misera occidi:* quemadmodum nos: *mein Gott! ich bin des Todes!* Eodem modo Andr. 5, 4, 26. *hem! perii.* Et in Andria 4, 5, 8. Crito in exspectatione haereditatis longum abest a lugubri lamentatione, sed quum de morte Chrysidis ait: *Itan' Chrysis? hem!* miratur casum improvisum. Bentleius in Eun. 2, 2, 6. *hem* codicis auctoritate mutavit in *en*. Verba autem Ciceronis ad Fam. 14, 2, 5. ita scribenda videntur: *hem, mea lux, meum desiderium! Vnde omnes opem petere solebant, te nunc, mea Terentia, sic vexari!* Et miratur talem vitae mutationem.

III. 1. Potest unum vocabulum *hem* totum animi sensum exprimere. Quare absolutum ponitur in multis locis. Idque praecipue iis comprobatur, in quibus *enim* sequitur.

Plaut. Cas. 3, 1, 11. AL. *Meminero.* ST. *Hem. nunc enim te demum nullum scitum scitiu'st.* Men. 2, 1, 25. *hem. illuc enim verbo esse me servom scio.*

2. Videtur quidem *hem* etiam pro *heus* poni in advocando, ut reddatur: *he* sive *heda*. Quemadmodum Terent. Andr. 5, 2, 19. *hem*, *Dromo*, *Dromo*. Hic tamen locus ad eos referri debet, in quibus aliquis ira et stomacho exardescit.

3. Notanda est consuetudo comicorum, qua *hem* in extremo versu ponere solebant, etiam ab initio orationis. Eam observavit et emendatione aliquoties restituit Bentleius. Vide notas ad Terent. Andr. 3, 4, 12. 5, 2, 19. 5, 4, 25.

4. Componitur *hem* et cum accusativo et cum dativo nominum, ubi aliquid ostenditur et alicui aliquid offertur: quod fit elliptica ratione, non vi particulae, quae verbum non attingit. In reliquis enim loquutionibus per se constat.

„Cum nominativo etiam iungi vult Despauterius p. 223. ut *hem Davus:* at neminem ex probatis sic loquentem invenio. Addit Vrsinus p. 490. et cum dativo: ut Terent. Heaut. 2, 2, 5. Ad. 2, 1, 19. *hem misero mihi:* at *hei*, non *hem* optimis quibusque codicibus legitur. In hoc autem eiusdem Phorm. 5, 6, 7. *hem tibi! tibi* non ab *hem*, sed a verbo intellecto *dico*, *accipe*, vel simili pendet.“ RVDDIMANN. Tom. 2. p. 316.

5. Vsus huius particulae haud facile excedit colloquia et familiares sermones. Quare nusquam in orationibus invenitur, nisi ubi verba e vulgari et exili genere dicendi deprompta sunt. Quum igitur Muretus et Garatonius in Cic. Phil. 5, 6, 15. defenderent vaticani codicis scripturam *em caussam*, Ciceroni falso tribuerunt, quod librariis assignare debuerant. Ii enim ubique *en* in *em* i. e. *hem* transposuerunt vulgari sermoni adsueti. Ac multi sunt loci, in quibus vocabulo *hem* substituere possis *en*, pauca, in quibus contrarium. Ceterum Lindemannus ad Plauti Capt. 3, 4, 8. negavit *hem* esse monstrantis, quod quomodo comprobari possit in iis locis, in quibus demonstrationi aliquid ex animi affectu admixtum esse apparet, equidem non perspicio. In Capt. 3, 4, 8. bene se habet scriptura codicis leidensis: *en tibi hominem*, *adi*. Conf. Tom. 2. p. 365. In Cic. Phil. 5, 12, 32. *hem*, *ad quem legatos mittamus*. Ferrarius merito revocavit *en*, quod eo modo dictum est, quo 3, 9, 22. *en*, *cur magister eius ex oratore arator factus*, *possideat in agro publico populi roma-*

ni campi leontini duo millia iugerum immunia. vid. Tom. 2. p. 370. Quamquam Ernestius caussam frustra quaesivit in coniunctivo, cuius exempla ante proposuimus. Discriminis caussa confer Terent. Andr. 4, 4, 46. *hem scelera*, et Senec. Hippol. 826. *en scelera.*

HERCVLE. HERCLE.

Quo modo et quando factum sit, ut nomen Herculis in obtestatione et affirmatione ita usurparetur, ut divinum numen ne cogitaretur quidem, sed adverbium audiretur iurandi et affirmandi simplex, non est quod hic demonstremus. Plautus etiam in Amphitruone, nondum nato Hercule, loquentibus tribuit hanc iuramenti formulam. Et ipsa vocabuli mensura ostendit, quatenus exuerit vocativi naturam: nam extrema syllaba corripitur, quod vocativo ne in uno quidem loco Propertii 4, 11, 40. concedendum erit. Iam grammatici veteres appellabant adverbium. vid. Donat. ad Terent. Ad. 5, 9, 18. Dixerunt vero Latini *hercule*, *hercle*, *hercules*, *mehercle*, *mehercules.* Illud *me*, quod praefigitur, grammaticos multum fefellit, qui plurimi quidem pronomen intelligentes abruptam orationem complere solebant his verbis: *ita me hercules adiuvet* sive *amet*, *ita me*, *hercle*, *adiuves.* Quo nihil ineptius dici potest. Quamquam Paulus Diaconus Festi nomine ita docuit: *mecastor et mehercules iusiurandum est, quasi diceretur*, *ita me Castor*, *ita me Hercules*, *ut subaudiatur iuvet.* Martinius in Lex. p. 557. explicuit *hercle iuvante*, *me hercule iuvante:* quae est incredibilis ellipsis. Alii, qui his subsidiis diffidebant, vocativum esse existimarunt: *me hercule* pro *mi hercule.* Nos iam Tom. 2. p. 342. rem exposuimus, *me* esse syllabam praefixam, quae idem significet, quod *e* in *ecastor.* Habemus simillimum exemplum in verbis *medius fidius*, *medie fidie.* Atque haec sententia comprobatur usu poetarum, quorum nemo antiquiorum in *me* synaloephen admisit: quamquam ita censuerunt quidam critici in Catulli c. 38, 2. et Statius ipsum *mercule* recipiendum duxit. Ibi vero scribendum est: *male est hercule*, *et est laboriose.* At ipse Bentleius ad Terent. Eun. 1, 1, 22. docuit *mehercle* semper esse disyllabon. Audio: tamen falsus ille est cum ceteris.

Plautus nusquam utitur verbo *mehercle*, Terentius

in uno loco Eun. 1, 1, 22. *haec verba una mehercle falsa lacrimula — restinguet.* ubi ut mutemus verba, nulla apparet caussa, nisi in raritate scrupulum quaeramus. In Eun. 3, 1, 26. non consentiunt codices, quorum alii praebent *pulcherime hercule dictum et sapienter*, alii *pulchre mehercles dictum.* In Catulli loco codices habent *si me hercule*, quod a glossatore profectum esse nemo non videt. Vnus vero Phaedrus 3, 5, 4. 3, 17, 8. 5, 5, 22. *mehercule* et *mehercules* tribus syllabis enuntiavit: quod referri poterit inter argumenta recentioris originis harum fabularum. Quibus rebus omnibus demonstratur, quomodo vocabulum *mehercule* factum sit. Nec prorsus oblitterata esse possent exempla formulae non decurtatae, si unquam in usu fuisset: at nusquam ea reperiuntur. Quod apud Plautum Stich. 1, 3, 70. legitur: *Hercules te amabit*, alius est rationis: nam parasitus Herculi, patrono suo, decimam ex auctione voverat. Ad recentius igitur aevum provocamur. Etenim facile fieri poterat, ut, quum grammatici in explicatione pronomen substituissent, vulgaris opinio *mehercule* acciperet pro *me Hercule.*

Hercle et a Ciceronis inde tempore *mehercule* cuicumque orationi aut praefigitur, aut inseritur, quae cum maiore asseveratione, et cum veritatis affirmatione, vel cum obtestatione effertur: quae tam varii sunt generis, ut singula non possint omnia exemplis declarari. Quare nos tantum notabimus haec potiora:

1. *Hercle* ponitur, ubi aut dubitatio qualiscumque est removenda, aut ipsa res affirmanda, ut pro *certe* multis in locis accipi possit, in aliis intelligi: *negari nequit.* Adduntur verba *verum ut loquamur.* vid. Cic. de Fin. 2, 8, 23. ad Att. 2, 7.

Plaut. Asin. 1, 1, 25. *neque hercle ego istuc dico, nec dictum volo.* 3, 3, 57. LE. *Vin faciam ut me Philenium praesente hoc amplexetur?* LI. *Cupio hercle.* Epid. 1, 1, 30. *hercle miserum est, ingratum esse hominem id quod facias bene.* Mil. 2, 3, 40. *hercle quidquid est, mussitabo potius, quam intercam male.*

Cic. ad Fam. 2, 18, 2. *et hercle sine dubio erit ignominia.* p. Quint. 3, 12. *itaque hercule haud mediocriter de communi, quidquid poterat ad se in privatam domum sevocabat.* de Leg. 3, 1, 1. *bene hercle faciunt.* in Catil. 2, 4, 7. *uno mehercule Catilina exhausto.* Plin. Epist. 6, 30. *debemus mehercule natales tuos perinde ac nostros celebrare.* 4, 1, 1. *gratum est*

utrique nostrum, quod cupis, mutuo mehercule. Tacit. Hist. 1, 84. *caput imperii et decora omnium provinciarum ad poenam vocare non hercule illi, quos quum maxime Vitellius in nos ciet, Germani audeant.*

2. Tum usurpatur in vehementiori oratione minitantium et irascentium.

Plaut. Cas. 5, 4, 13. *haud mentire hercle.*

Plaut. Amph. 2, 1, 6. *iam quidem hercle ego tibi istam scelestam, scelus, linguam abscindam,*

3. Peculiaris est formula apud comicos obvia *perii hercle*, quam qui dicit, affirmat se revera periisse.

Plaut. As. 3, 3, 110. LI. *Tun' hoc feras argentum hinc aliter a me?* AR. *Perii hercle.*

Terent. Eun. 5, 2, 66. Heaut. 4, 4, 14.

4. Etiam admiratio significatur horrendae aut odiosae aut insolitae rei: quemadmodum saepe apud Tacitum, praesertim in formula *at hercule.* vid. Tom. 1. p. 437. qua tamen etiam res vera, et quae incredibilis videri possit, affirmatur. Ann. 12, 43.

Tacit. Ann. 1, 17. *hinc saevitiam centurionum et vacationes munerum redimi: at hercule verbera et vulnera, duram hiemem, exercitas aestates.* 1, 26. *at hercule verbera et necem cunctis permitti.* 1, 3. *at hercule Germanicum Druso ortum octo apud Rhenum legionibus imposuit.* Tacitus miratur Augustum decrevisse, ut Claudius Drusus Germanicus a Tiberio adoptaretur, quamquam in domo Tiberii filius iuvenis esset.

Terent. Andr. 4, 4, 3. *sed quid hoc? Puer hercle'st.* Chremes obstupuit, quum ex improviso puerum expositum offendit. Donatus addit: *ornativa particula est hercle.*

5. Quum adscendit oratio ad rem, quae praeter ceteras imprimis valet, aut quam non licet eximi vel negligi, interponitur *mehercule.* Ita designatur res consideratione digna.

Cic. ad Att. 10, 13. *epistola tua gratissima fuit meae Tulliae et mehercule mihi.*

Plaut. Merc. 5, 4, 57. *annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus seu maritum, seu hercle adeo coelibem scortarier, cum eo nos hic lege agamus.*

Cic. de Orat. 2, 2, 7. *quo etiam feci libentius, ut eum sermonem, quem quondam illi inter se de his rebus habuissent, manda-*

rem litteris, vel ut illa opinio, quae semper fuisset, tolleretur, alterum non doctissimum, alterum plane indoctum fuisse: vel ut ea, quae existimarem a summis oratoribus de eloquentia divinitus esse dicta, custodirem litteris, si ullo modo assequi complectique potuissem: vel mehercule etiam ut laudem eorum iam prope senescentem, quantum ego possem, ab oblivione hominum atque a silentio vindicarem.

6. Etsi vis particulae *hercle* proprie pertineat ad primariam sententiarum partem, tamen enuntiationem totam ita quasi complectitur, ut interdum etiam in secundaria parte collocetur.

Plaut. Merc. 5, 4, 66. *haec si vobis lex placet, ob senum hercle industriam vos aequom est clare plaudere.*

Plaut. Epid. 1, 2, 13. *si hercle haberem, non negarem.* **Stich. 4, 2, 30.** *si hercle faxis, non opinor dices deceptum fore.* **Cic. p. Rosc. Am. 11, 31.** *licet hercules undique omnes in me terrores periculaque impendeant omnia, succurram atque subibo.*

7. Coniungitur cum quibusdam verbis peculiari modo. Haec ea sunt, quae opinionem affirmandam significant, veluti *credo*, *opinor*, et ea, quae ipsa obtestationem exprimunt, ut *obsecro*, aut precationem, ut *quaeso*.

Plaut. Epid. 2, 2, 72. *nam ille quidem aut iam hic aderit, credo hercle, aut iam adest.* **Curc. 2, 3, 31. Pseud. 1, 2, 85.** *vix hercle opinor, si me opponam pignori.* **Cic. de Leg. 2, 13, 34.** *credo hercle ita esse.* **Gellius 2, 29, 20.** *hercle puto.*

Plaut. As. 1, 1, 14. *dic, obsecro hercle, serio, quod te rogem.* **Bacch. 2, 3, 20.** *quid ita obsecro hercle?*

As. 2, 4, 11. *quaeso hercle noli, Saurea, mea caussa hunc verberare.* **Terent. Eun. 2, 3, 65.** *quodnam, quaeso hercle?*

8. Additur particulis aliis affirmativis, quo maxima vis affirmationis exsistat. Ita dicitur *ne hercle*, *certe hercle*, *verum hercle*, *hercle vero*, *hercle sane*, *hercle quin*, *quidem hercle* sive *hercle quidem*. Cf. Donatus ad Terent. Ad. 5, 9, 13.

Plaut. As. 2, 4, 6. *ne tu hercle cum magno malo mihi obviam occessisti.* **3, 3, 13. Rud. 3, 5, 41.** *heu! hercle ne istic fana mutantur cito!* **Terent. Andr. 3, 2, 15.** *certe hercle nunc se ipsus fallit, haud ego.* **2, 2, 10.** *mea quidem hercle in dubio vitast.* ubi conf. Donatus. **Plaut. As. 2, 1, 15.** *certe hercle ego, quantum ex augurio auspicii intellego, aut mihi in mundo sunt virgae,*

aut atriensi Scaureae. Idem restituendum est Most. 3, 2, 31. SI. *Amice facis, quum me laudas.* TH. *Decet certe hercle.* SI. *Te ego haud bonum teneo servom.* Capt. 1, 1, 7. *est planissuma: verum hercle, verum nos parasiti planius.* Curc. 3, 5. *verum hercle vero, quum belle recogito* etc. As. 2, 1, 1. *hercle vero, Libane, nunc te meliu'st expergiscier.* 2, 2, 106. *hercle vero tu cavebis.* 3, 3, 26. *immo hercle vero, qui pendet, multo est miserior.* Most. 3, 1, 18. *dixi hercle vero omnia.* Trin. 33, 23. *minume, minume hercle vero.* Terent. Heaut. 4, 3, 14. Ad. 2, 4, 4. Trin. 3, 3, 53. *scite hercle sane.* Cic. de Leg. 2, 4, 8. *sane quidem hercle.* Terent. Phorm. 3, 3, 9. Men. 5, 9, 33. *hercle quin tu admonuisti recte.* Merc. 2, 3, 77. *hercle quin tu recte dicis.* Amph. 2, 2, 104. *non quidem hercle de hac re: de aliis nescio.* As. 2, 2, 9. *mea quidem hercle opera liber numquam fies ocius.* 2, 4, 72. *id quidem tibi hercle fiet, ut vapulet.* 4, 2, 8. *iam quidem hercle ad illam hinc ibo.* Poen. 5, 2, 68. *non hercle nunc quidem quidquam scio.* vd. QVIDEM. As. 3, 3, 32. *equidem hercle nullum perdidi.* Mil. 4, 2, 82. *nequeo hercle equidem risu me admoderari.* Men. 3, 2, 39. *vigilo hercle equidem, quod sciam.* As. 2, 4, 8. *si quidem hercle nunc summum Iovem te dicas detinuisse.* Terent. 1, 1, 5. *siquidem hercle possis* etc.

9. Homines inferioris conditionis apud comicos more suo orationem acuunt et ubique fere interponunt obtestationem. Scriptores etiam recentissimae aetatis saepe naturam vocabuli non satis reputarunt, sed *hercle* pro qualicumque particula confirmativa posuerunt.

Plaut. Pseud. 1, 3, 62. *postquam hercle isti a mensa surgunt saturi* etc.

Gellius 7, 2, 1. *Caeselii Vindicis hominis hercle pleraque haud indiligentis.* Et sic ille saepe.

10. Nihil magis confirmat hanc, quae a nobis exposita est, vim particulae asseverantis, quam verba Varronis de Re r. 1, 2, 26. *et tamen verum dicit, inquit, hic, ut hoc scripserit in agricultura? Ille, tam hercle quam hoc, si quem glabrum facere velis* etc. et Plinii Epist. 6, 19, 6. *proinde, si poenitet te italicorum praediorum, hoc vendendi tempus tam hercule, quam in provinciis comparandi.* In his pro adverbio ponitur *hercle.* Quintil. 1, 2, 4. *adsunt multa eius rei exempla tam laesae hercle quam conservatae sanctissime utrobique opinionis.*

11. De Charisii et Gellii opinione, ex qua mulieres numquam *hercle* dixisse existimabantur, quamque Göl-

lerus ad Plaut. Truc. 2, 1. 1. rursus in considerationem vocavit, diximus iam Tom. 2. p. 342. Nunc video etiam Lindemannum a me stare, nec opus erit emendatione verborum aut excusatione, sicubi feminae hac particula suam sententiam corroboraverint, veluti Plaut. Truc. 2, 1, 1. Phaedr. 3, 17, 8. Apulei. Met. 3. p. 163, 1.

12. Forma *hercule*, quam optimi libri apud Ciceronem p. Quint. 3, 13. ad Att. 2, 7, 3. 16, 16. (Capitoni) defendunt, verendum est, ut in comicorum sermonibus usquam reperiatur. Idque ante me observavit Lindemannus ad Plauti Capt. Prol. 11. ubi enarrat, quo modo loci Plaut. Rud. 1, 2, 71. Stich. 3, 2, 6. Capt. 3, 4, 67. Truc. 2, 1, 1. expediendi sint. Adde Most. 3, 1, 18. ubi scribendum *hercle vero*, ut habet edit. pr. quae etiam v. 20. praebet: *cape hercle obsecro cum eo una iudicem.* Bothius autem scripsit: *cape obsecro hercule una cum eo iudicem.* Recentiores poetae frequenter ita loquuntur, ut Horat. Epist. 1, 15, 39. Pers. 1, 2. nec potest consuetudinis initium distinctius definiri. In prosaicis libris difficilius semper erit affirmare, utrum *hercle*, an *hercule* ab auctore profectum sit; nam variant plerumque codices. Vid. critici ad Cic. de Sen. 3, 8. ad Tacit. Ann. 12, 43. ad Hist. 1, 84. ad Dialog. de Orat. 26. Cassiodorus de Orthograph. p. 2286. *vehemens et vemens apud antiquos et apud Ciceronem lego, aeque prehendo et prendo, hercule et hercle, nihil et nil.*

13. In his, quos nominavi, locis plurimis id constat, *Hercule* esse integrum dei nomen atque invocationem ipsius numinis, non meram asseverandi particulam, familiari magis sermone usitatam. Haec igitur restituta iam est quorundam codicum auctoritate apud Cic. de Leg. 2, 4, 8. ubi vid. Goerenzius. 3, 1, 1. quamquam Goerenzii sententia refragatur a codice mediceo in Epist. 2, 18. Scripsit *Hercule* Cicero ab initio sententiae in Verr. 2, 29, 73. *nam Hercule.* ad Att. 2, 7. *Hercule, verum ut loquamur, subcontumeliose tractatur noster Publius.* ad Att. 16, 16, 10. *sed Hercule.* p. Rosc. Am. 11, 30. *et Hercule* Brut. 72, 251. 73, 254. ad Fam. 2, 18. de Fin. 2, 8, 23. ad Q. fr. 2, 6. Cic. ad Att. 7, 3. *neque Hercule antea negligentes fuimus, sed amicorum multitudine occupati.* de Senect. 3, 8. Neque est dubium, quin Lambinus bene emendaverit verba

ad Att. 5, 16. *et mehercule iam adventu nostro revivisceunt.* ubi vulgo desideratur *et.* Frequentissimae sunt formulae *et Hercule*, *sed Hercule*, *at Hercule* etiam apud alios scriptores. Plin. Epist. 2, 14, 3. Tacit. Ann. 1, 17. vid. Tom. 1. p. 437. Media in sententia posuit Cicero ad Fam. 2, 11, 4. *mihi mehercule magnae curae est aedilitas tua.* de Lege agr. 9, 22. *vix mehercule servis hoc eum suis*, *non vobis — probaturum arbitrarer.* in quibus apparere mihi videtur, qua via nomen in adverbium transierit.

In formula *et hercule* Goerenzius ad Cic. de Fin. 2, 8, 23. separandum commate putat nomen *Hercule* propterea quod *et* per se significet *et sane.* Hoc non verum, certe non necessarium est.

In Quintil. 6, 3, 89. nescio, cur non receperint critici scripturam codicum *et Hercule.*

14. Sed *Hercules* legitur apud Cic. p. Rosc. Am. 11, 31. Brut. 16, 62. et apud Coelium ad Cic. 8, 4, 2. et apud Pollion. ad Cic. 10, 33, 7. Nec minus Velleius Pat. 2, 52, 2. *neque hercules quidquam partibus illis salubrius fuit.* Et *mehercules* scriptum est apud Cic. in Catil. 2, 7, 16. Sed quum in oratione pro Plancio 26, 64. et in Verr. 4, 14, 33. codices nuper collati formam *mehercule* revocari iusserint, non dubito, quin ea etiam in illo uno loco restituenda sit. Nam reliqui sunt Coelii Epist. 8, 2, 2. Planci 10, 11, 10. Ergo Cicero semper *mehercule* scripsisse videtur, quod sibi magis placuisse ipse narrat in Orat. 47, 157. suavitatis, ut ait, caussa: quasi formam *mehercules* veriorem censuisset. Quo in iudicio praecepta grammaticorum sequutus est ad explicandam formulam.

HERE. HERI.

Here sive *heri* est χθὲς, *gestern*, adverbium temporis proxime antecedentis diei. Quare latinum vocabulum grammatici cum graeco semper contulerunt, et qua cognatione ea iuncta sint, iam dudum quaesiverunt. Atque Festus in Paulli Diaconi Exceptis: *here, id est adverbium temporis heri, dictum a graeco* ἐχθές. Quod Vossius concinna analogia ita communivit: χθεσί transiisse in *hesi*, idque mutatum esse in *heri*, ut *esit* in *erit.*

Etiam Scaliger in notis ad Varron. Etym. p. 281. Bip. „χεσὶ: unde χθὲς, *hesi* postea *heri*.“ Lindemannus autem in notis ad Festum p. 446. sanscritam formam *hjas* supponit, unde, mutata *s* in *r*, et adiecto *i* demonstrativo factum sit *hiari*, quod hodie quoque apud Italos sonet *hieri;* illud autem *i* finale transiise in *e*, ut in *peregri*, *peregre*. Neque haec aliena esse videntur. Littera *s* quidem in hoc vocabulo primitiva redit in *hesternus*. Atque huc etiam pertinet, quod Hesychius refert, Eleos pro χθὲς dixisse σερός.

Vix operae pretium est eos commemorare, qui *here* ab *hereo*, i. e. haereo, deduci maluere. vid. Apulei. de Orthogr. 18. Martini Lex. T. 1. p. 557. Apuleius addit haec inepta: *heri inde perhibent dictum, quia hesternus dies hodierno cohaereat sine diei alterius interpellatione.*

De forma magna erat inter veteres grammaticos controversia. Quintilianus ait 1, 7, 22. *here nunc* E *littera terminamus: at veterum comicorum adhuc libris invenio heri ad me venit: quod idem in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit aut emendavit, deprehenditur.* Ergo Quintiliani tempore una forma *here* nescio an communi usu servabatur. Postea tamen antiquior forma iterum revixit. Nos autem nunc ne in comicorum quidem libris antiquum usum agnoscere possumus: nam codices scripti et utramque formam exhibent et in plurimis locis discrepant, neque vero, ubi consentiunt, *heri* restituendum erit, nisi Lindemanno concesserimus, etiam *i* litteram corripi, et *heri* pro monosyllabo accipi. Vide illum ad Plauti Capt. 1, 2, 2. ad Amph. 1, 3, 16. Sed Mil. 1, 1, 60. ipse scripsit *quid here dixerunt tibi?* Sed sonus vocalium ipse erat ambiguus. Nam idem Quintilianus 1, 4, 8. *sonus — et in here neque* E *plane neque* I *auditur.* Quare poetae hac licentia uti solebant ad metrum conformandum. Hinc Priscianus p. 1011. *In* I *quoque desinentia inveniuntur adverbia, sed pauca primitiva, ut heri, ubi, ibi. Dicitur tamen et here. Iuvenalis in* I. (Sat. 3, 23.): *res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem oras deteret exigais aliquid. Horatius in* II. *Sermonum* (2, 8, 3.): *nam mihi convivam quaerenti ductus here, illic de medio potare die.* Alia exempla contulit Burmann. ad Propert. 2, 18, 1. At grammatici ex more suo non dubitarunt diversam scripturam ad distinguen-

dam significationem adhibere, cui praecepto, a Charisio quoque tradito, nemo fortasse obtemperavit. Ille p. 180. *Heri. Terentius in Phormione. Cicero quoque in Tusculanarum lib.* 2. *Et heri feci. Quidam here putant dici debere quamdiu, heri quando. Afranius tamen in Emancipato: quod heri valetudo, inquit, obstitit.* Acquiescendum erat in eo quod docuit Donatus ad Terent. Phorm. 1, 1, 2. *heri ad me venit*] *Propter cognationem* E *et* I *litterarum, non dubitaverunt antiqui et here et heri dicere, et mane et mani, et vespere et vesperi.* Apud Ciceronem in uno loco ad Att. 10, 13. in vetustis libris, quos Malaspina inspexit, legitur *hoc here effecit*, sed in reliquis omnibus *heri*. Nec tamen sufficere in his rebus poterit auctoritas codicum, qui nobis adhuc supersunt.

1. Significatio una est, sive intelligatur hesterno die, sive per hesternum diem. Prosaici vero scriptores semper ita loquuntur ex ratione praesentis diei hodierni, non de quocumque die antecedente, sive pro pridie. Opponitur et *hodie* et *cras*.

Terent. Heaut. 3, 2, 7. *equidem te demiror, Chreme, tam mane, qui heri tantum biberis.* Cic. ad Att. 10, 13. *hoc here effecit: hodie autem in Aenariam transire constituit.* Ovid. Fast. 2, 76, *dicet, ubi est hodie, quae lyra fulsit heri?* Martial. 4, 7, 1. *cur here quod dederas, hodie, puer Hylle, negasti?* ubi vd. Rader. Iuvenal. 3, 23. *res hodie minor est, here quam fuit atque eadem cras deteret exiguis aliquid.* Vlpian. in Digest. 47, 10, 7, 2. *nec enim ferre praetor debet heri servum, hodie libertum conquerentem.*

Cic. ad Fam. 11, 1, 1. *heri vesperi apud me Hirtius fuit.* Tusc. 4, 27, 59. *rationibus, quibus heri usi sumus.* ad Att. 13, 48. *heri nescio quid in strepitu videor exaudisse* etc. Martial. 1, 44, 2. *positum est nobis nil here praeter aprum.* 3, 12, 1. *unguentum fateor bonum dedisti convivis here: sed nihil scidisti.* Sed 1, 25, 4. *nupsit heri.*

2. Poetae autem *heri* dixerunt de quocumque tempore praeterito pro *nuper, olim.* Quod vero Heinsius Advers. 2, 4. p. 234. arbitratur, etiam *hesternum* pro *nupero* usurpari, id non confirmari potest exemplis Pers. 3, 106. ubi *hesterni Quirites* per hyperbolen dicuntur *Quiriten von gestern*, et Martial. 2, 19, 7. *non*

hesterna sedet lunata lingula planta. Ille vero poetarum usus transiit ad recentissimos prosae orationis auctores. Iurisconsulti saepe *heri* et *hodie* opposuerunt, ut proxima diversa tempora distinguerent.

Propert. 2, 22 (18), 1. *scis here mi multas pariter placuisse puellas.* **Ovid. Am. 1, 8, 23.** *scis here te, mea lux, iuveni placuisse beato.*

Tertull. Apolog. 4. *nonne vanissimas papias leges, quae ante liberos suscipi cogunt, quam iuliae matrimonium contrahi, post tantae auctoritatis senectutem heri Severus constantissimus principum exclusit.* **ubi Scaliger** *heri* **pro** *olim*, **alii pro** *nuper* **accepere.**

Vlpian. in Digest. 47, 10, 7, 2. *nec enim ferre praetor debet heri servum, hodie libertum conquerentem.* **Multa alia exempla, comparatis graecis** *χθὲς — σήμερον* **collegit Godofredus ad Novell. 137, 1.**

HEV.

Interiectiones *hei*, *eu*, *heu*, quamquam una quaevis suum animi affectum designandum habebat, tamen facile fieri poterat, ut pronuntiando et scribendo commutarentur. Et commutata sunt saepe recentiori usu. Tantum vero abfuit, ut haec negligentia praeceptis grammaticorum reprimeretur, ut, comparatis variis modis, novae dubitationes exsisterent. Nam particula *heu*, quae antiquo tempore videtur tantum aegritudinem et dolorem animi expressisse, et tantum cum affirmativis particulis coniuncta vehementiorem animi commotionem significasse, postea de quocumque sensu admirationis et indignationis usurpari coepit. Vnde etiam factum est, ut interiectio arctius coniungeretur cum verbis aliisque vocabulis. Quare grammatici ambiguum esse vocabulum censuerunt. Diomedes p. 412. *sunt plurimae dictiones incertae inter adverbia et interiectiones, ut est heus, heu, eia.* Donatus p. 1761. *sunt autem multae dictiones dubiae — inter adverbium et interiectionem, ut heu.* et p. 1760. adverbium respondendi nominat *heu.* Quod Cledonius p. 1875. illustrat his: *heu quaerendum est, quando adverbium sit respondendi, quando interiectio. Si verbum sequitur, adverbium, si alteram partem orationis, interiectio est.* Conf. p. 1936. ubi adverbii exemplum affert ex Virgil. Aen. 2,

289. *heu fuge, nate dea.* At in his non alia est particulae natura quam in reliquis, quae apponit: *heu quae nunc tellus.* Idem Cledonius p. 1881. *heu quando interiectio est dolentis, quando adverbium respondendi? Hinc intelligimus: producta interiectio est, correpta adverbium respondendi.* Quid vero illud respondentis sit, declarat Probus p. 1422. ubi Lucani 5, 228. affert. *Heu* enim ibi non ad designandum dolorem dicitur, sed admirationem cum indignatione exprimit. In producta autem pronuntiatione, quam Cledonius memorat, vehementiorem ac graviorem sonum agnosco. Conf. Probi Instit. gramm. 1, 13. p. 1430.

„Falluntur aeque, quum dicunt *heu* esse notam responsionis ad *heus:* nam sane nullum exemplum afferunt." Scaliger de Caus. L. L. p. 407.

Consentiunt grammatici omnes, quum dicunt *heu* esse vocabulum dolentium. Nam proprie per hanc particulam significatur aegritudo animi, sive ex dolore qualicumque cruciante ac molesto orta, sive in moerore et aerumna, sive in sollicitudine.

1. Primum igitur clamant *heu* ii, qui verberibus percutiuntur.

Plaut. Aul. 3, 3, 8. *heu senex. Pro vapulando, hercle, ego abs te mercedem petam.* Pseud. 5, 2, 21.

2. Tum hac voce utuntur ii, qui tristem vitam aut malum, quod sibi alicunde acciderit, lugent, aut miseriam suam lamentantur. Et ponitur aut simplex particula, aut adiecto nomine *miser.*

Ennius apud Nonium 2, 166. *heu, mea fortuna, ut omnia in me conglomeras mala.* Pompilius apud Varronem 6, 5. *heu, qua me caussa fortuna infesta premis.*

Ennius apud Nonium 3, 203. *heu me miseram, interii: pergunt lavere sanguen sanguine.* Plaut. Aul. 4, 9, 10. *heu me miserum, miserum! perii male perditus.* Virgil. Aen. 10, 849. *heu nunc misero mihi demum exsilium infelix.* Pseud. 1, 3, 26. *heu heu, quam ego malis perdidi modis, quod tibi detuli.* Virgil. Aen. 3, 709. *hic — heu genitorem — amitto Anchisen.* 4, 376. *heu, furiis incensa feror.*

3. Sic in suspirio locum habet. Ponitur igitur de quacumque re tristi, aut odiosa, aut pudenda, aut invidiosa, quam qui loquitur offendit.

Plaut. Bacch. 2, 3, 17. *heu, cor meum et cerebrum, Nicobule, finditur, istius hominis ubi fit quaque mentio.* Virgil. Aen. 6, 458. *funeris heu tibi caussa fui.* 7, 293. *heu stirpem invisam et fatis contraria nostris fata Phrygum.* Lucan. 5, 690. *pudet, heu!* Horat. Epod. 11, 7. *heu me, per urbem (nam pudet tanti mali) fabula quanta fui!*

Formulam verborum *heu ubi* illustrant multis exemplis Heinsius ad Ovid. Her. 4, 150. et Markland. ad Statii Silv. 2, 1, 41.

4. Hic idem animi affectus in miseria aliena excitatur. Quare etiam misericordiam exprimit *heu* et tristitiam in rebus alienis.

Plaut. Pseud. 1, 1, 78. *miser sum, argentum nusquam invenio mutuum, Pseudole.* PS. *Heu.* CA. *Neque intus nummus ullus est.* PS. *Eheu.* Merc. 3, 4, 16.

Virgil. Aen. 9, 485. *heu, terra ignota canibus date praeda latinis alitibusque iaces!* 8, 537. *heu quantae miseris caedes Laurentibus instant!* 3, 317. *heu, quis te casus deiectam coniuge tanto excipit?* Horat. Carm. 1, 24, 11. *tu frustra pius, heu non ita creditum, poscis Quintilium deos.* Martial. 1, 4, 3. *nescis, heu, nescis dominae fastidia Romae.*

5. Laetantes etiam *heu* dixisse, critici quidam existimarunt, Germanorum, qui ubique suum *ach* iniiciunt, usu decepti. At simplex *heu* numquam laetitiam aut irrisionem indicat, et quae exstant apud Plautum exempla formulae *heu probe* Pers. 1, 3, 76. et 4, 4, 115. scribenda sunt *eu probe:* de quo vid. Tom. 2. p. 610. Verum igitur senserunt Markland. ad Stat. 2, 7, 24. et Schraderus Emendat. p. 133. Nihilo minus *heu* potest inter verba collocari, quae ipsa laeta desiderium moestum excitant.

In Plaut. Trin. 4, 2, 29. dudum ex antiquis libris restitutum est: *heus senex.* Lucan. 5, 354. *heu, quantum fortuna iam pondere fessis amolitur onus.* Sulpicius dicit *heu* esse laetantis, Cortius admirantis. Bentleius correxit *en*, sed vide n. 7. Neque aliter Silius 17, 6. *heu nomen melius maiusque triumphis.*

Virgil. Aen. 4, 657. *felix, heu nimium felix, si litora tantum numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae.*

6. Mutatur tamen ista, quam exposuimus, ratio iam apud vetustissimos poetas in verbis compositis. Formulae enim sunt *heu hercle, heu ecastor, heu ede-*

pol, quibus vehementior affirmatio vel cum admiratione vel cum indignatione vel cum irrisione coniuncta exprimitur.

Plaut. Men. 5, 5, 10. *heu edepol, ne ego homo vivo miser.* 5, 2, 119. *heu hercle morbum acrem ac durum.*

Plaut. Rud. 2, 4, 2. *heu edepol, specie lepida mulier.* Poen. 1, 2, 71. *heu ecastor, quum ornatum adspicio nostrum ambarum, poenitet exornatae ut simus.*

Miserationem exprimunt Plaut. Most. 4, 2, 65. *heu edepol patrem eum miserum praedicas.*

Indignationi inserviunt haec Plaut. Merc. 2, 2, 41. *heu hercle hominem multum et odiosum mihi.* 5, 1, 31. Truc. 3, 2, 27. *heu edepol hominem nihili.* Mil. 4, 2, 70. *heu ecastor nimis vile est tandem.* 4, 2, 65. Ironiae et irrisioni haec: Men. 1, 2, 50. *heu edepol, ne tu, ut ego opinor, esses agitator probus.* Poen. 5, 2, 147. *heu hercle mortalem catum.* Pers. 4, 6, 24. *heu hercle nomen multis modis scriptumst tuum.*

Rud. 3, 5, 41. *heu hercle ne istic sana mutantur cito.* Stich. 1, 3, 89. *heu ecastor, risi te hodie multum.*

7. Poetae autem posterioris aevi cuicumque exclamationi, quae aut tristem rem, aut singularem insolentiam, aut admirabilem magnitudinem designaret, aut indignationem efferret, ex animo graviter affecto praefigere solebant *heu*, quod vehementius sonabat quam *ah* et *o*. Graeci etiam φεῦ dixerunt in admiratione. Vid. Buttmann. ad Sophocl. Philoct. 234. Itaque *heu* imprimis locum habet in interrogatione de mirabilibus rebus interposita, vel cum indignatione fortius pronuntiata. Quintilianus quum 1, 4, 20. inter partes orationis ex quorumdam opinione asseverationem commemorat, exemplum addit *heu*, intelligens vim augendi, qua talem vel tantam esse rem etiam ex animi sensu affirmatur.

Horat. Carm. 3, 24, 30. *quatenus, heu nefas, virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quaerimus invidi.* 1, 15, 19. *tamen, heu serus, adulteros crinis pulvere collines.* Virgil. Aen. 6, 149. *iacet exanimum tibi corpus amici (heu nescis) totamque incestat funere classem.*

Virgil. Aen. 4, 65. *heu vatum ignarae mentes!* 6, 879. *heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello dextera.* Horat. Carm. 1, 2, 35. *sive neglectum genus et nepotes respicis auctor, heu nimis longo satiate ludo.*

Dubium est, quod e Cic. de Off. 1, 39, 139. affertur Ennii exemplum: *o domus antiqua, heu quam dispari dominare domino.* Nam codices meliores aut omittunt *heu*, aut praebent *et*.

Virgil. Aen. 4, 283. *heu quid agat?* 5, 13. *heu quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?* Lucan. 5, 228. *heu demens nullum belli sentire fragorem tot mundi caruisse malis praestare deorum excepta quis morte potest?*

8. Cum imperativo *heu* coniungitur, ubi ad rem agendam aliquem excitamus cum maiore animi commotione.

Virgil. Aen. 2, 289. *heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.* 3, 44. *heu fuge crudelis terras, fuge litus avarum.*

9. Hinc factae sunt quaedam formulae, a poetis non minus usitatae quam in sermone vulgari. *Heu nimis, heu quantum, heu quam*, aliae. Non poterat dici *heu felix*, sed Statius dixit *felix heu nimis et beata tellus* Silv. 2, 7, 24. ubi non necessaria erat Marklandi emendatio *o nimis*.

Virgil. Aen. 6, 188. *quando omnia vere heu nimium de te vates, Misene, loquuta est.* 4, 657. vd. supra n. 5. Horat. Carm. 1, 2, 35. *sive neglectum genus et nepotes respicis auctor, heu nimis longo satiate ludo.*

Virgil. Aen. 6, 829. *heu quantum inter se bellum, si lumina vitae attigerint, quantas acies stragemque ciebunt.* Propert. 2, 29 (22), 30. *heu quantum per se candida forma valet.* ubi Brouckhusius coniecit: *et quantum*, Schraderus *o quantum*. In Stat. Theb. 4, 761. pro *o quanta* nonnulli codices *heu quanta*.

De *heu quam* vide Heinsium ad Ovid. Fast. 4, 406.

10. Ex iis, quae iam exposita sunt, id colligi potest, interiectionem secum ducere accusativum et vocativum, quorum ratio non ab ipsa particula regitur. Sed Huschkius ad Tibull. 2, 6, 28. ex disciplina Santenii (vid. ad Balbi Eleg. 3. p. 1801.) docuit, Latinos semper dixisse *heu me*, *hei mihi*, numquam *heu mihi*. Idque probavit et auctoritate codicum, quae in hac re admodum parva est, et praeceptione Bentleii, qui non modo non negat hanc rem, sed addit etiam, Graecos *οἴ μοι* casu da-

tivo efferre. Neque exstat, uti Huschkius opinabatur, unus tantum locus Plauti, in quo dicatur *heu mihi*, sed multo plures sunt, neque etiam ulla alia caussa impedit, quin unam significationem teneamus, et lamentationem et suspiria etiam cum dativo coniuncta verbo *heu* exprimenda putemus: atque eodem modo dicuntur *vae mihi*, *vae misero mihi*. Neque aliter Graeci οἴ μοι. Tamen Huschkii decretum applicuerunt corrigendis verbis Silligius ad Virgil. Cir. 236. Wagnerus ad Aen. 2, 274. alii. Graecorum more Propertius 4, 7, 21. cum genitivo composuit *foederis heu taciti!* sicuti Lucian. Timon. 7. φεῦ τῆς ἀλλαγῆς. conf. Ruddimann. T. 2. p. 338.

Plaut. Merc. 3, 4, 76. *ut corripuit se repente atque abiit! Heu misero mihi.* 4, 3, 2. *miserior mulier me nec fiet, nec fuit, tali viro quae nupserim. Heu miserae mihi.* Mil. 4, 8, 48. *heu mihi, quum venit in mentem, ut mores mutandi sunt.* quamquam ibi variant quidam libri.

In Mil. 4, 8, 32. nullus liber discedit a vulgata scriptura: *heu heu, nequeo quin fleam.* Quod affert Gesnerus *heu mihi*, falsum est. Num Wolfius antiqua ex auctoritate in Cic. Tusc. 2, 35, 73. scripserit *hei me miserum*, compertum non habemus.

Horat. Epod. 5, 101. *neque hoc parentes heu mihi superstites effugerit spectaculum.* Propert. 1, 3, 37. *iamque ubi longa meae consumsti tempora noctis languidus exactis, heu mihi, sideribus.* quamquam nonnulli libri *ei* et *hey* praebent. 4, 1, 58. *heu mihi, quod nostro parvus in ore sonus.* 4, 8, 48. *Lanuvii ad portas, heu mihi, solus eram.* Nullum invenio Ovidii locum, in quo non discrepent codices. Sunt enim Met. 2, 523. 6, 227. 7, 843. 8, 491. 9, 490. Trist. 1, 2, 45. in quibus omnibus et *heu* et *ei* et *hei* legitur. Certe scripsit Ovidius Trist. 3, 12, 51. *heu mihi, iamne domus scythico Nasonis in orbe?* In Virg. Aen. 11, 57. *hei mihi, quantum praesidium Ausonia et quantum tu perdis, Iule.* multi codices dicuntur habere *heu mihi:* et recte. Donatus ad Terent. Phorm. 1, 3, 26. *hei mihi* explicat, quod *interiectio ingemiscentis* sit, comparans locum, in quo *praesaga mali mens* loquatur.

11. Servius ad Virgil. Aen. 2, 69. *heu modo una est syllaba: sed interdum propter metrum duae fiunt ut* 3. Ecl. 100. *Eheu* (scribend. *heu heu*) *quam pingui* etc. *Sicut prendit et prehendit.* Wagnerus ad Ecl. 2,

58. Servii errorem in eo quaerit, quod eiusmodi locis, ubi nunc duplex editur *heu*, unum vidisset exaratum. At Servius non cogitavit *heii* bisyllabum, sed *heu heu* intellexit esse vocem productam. De *eheu* eiusque mensura diximus Tom. 2. p. 368. *Heu* ante vocalem positum Heinsius ad Ovid. Her. 4, 150. multis exemplis formulae *heu ubi* monstrat.

*) Acidalius ad Vellei. Pat. 2, 59. notat *hei* saepe a librariis in *et* mutatum esse: quod certe allatis exemplis Propert. 3, 11, 30. et Flor. 2, 19, 4. comprobari non poterit. Idem tamen iam Palmerius observaverat in Spicileg. p. 661. Thes. Gruter. Facilis erat confusio inter *hei*, *ei*, *et*. vid. Ciofan. ad Ovid. Met. 1, 523.

HEVS.

Festus apud Paullum Diaconum: *heus adverbium vocandi a graeco αἴ venit.* Dacerius vidit cum Antonio Augustino mendosa haec esse verba. Lindemannus nunc scribendum esse suspicatur *a graeco αὖς*: quod aeolicum dicatur pro *οὖς*. Equidem abstineo, graecae eruditioni Paulli diffidens. Sed *heus* ad ea nomina retulerim, quae Latini non Graecis, sed naturae debuerunt. Ea enim vocibus *he*, quod Germani *heda* formant, et *heu* vel *hei* in Anglorum *heigh* alios vocare nos docet. Terminatio litterae *s* demonstrativam vim addit sive directionem in aliquid factam indicat. Fortasse *heysa* Germanorum, in laetitia usurpatum, eiusdem est originis.

Grammatici veteres de genere vocabuli quaesisiverunt. Donatus p. 1760. *heus et eu interiectiones multi, non adverbia putaverunt, quia non semper sequitur verbum.* Ad haec Sergius p. 1852. *heus si dolorem significat, interiectio est:* [Virgil. Aen. 7, 116.] *Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus. Si autem verbum sequatur, adverbium est:* [Aen. 1, 325.] *heus inquit iuvenes monstrate mearum.* Charisius p. 171. *et quid ego de meris interiectionis viribus pertimesco, quum etiam quae omnium confessione putantur adverbia, ratio subtilior eius partis esse noluerit, sed interiectionis sensibus reservarit. Heus enim vocandi habet vim, ohe respon-*

dendi. De qua controversia nunc inter grammaticos nostros constat.

1. Per *heus* vocamus aliquem, ut nos exaudiat, aut ut e longinquo ad nos accedat, aut ut ad nos se convertat. Donatus ad Terent. Ad. 2, 4, 17. *heus, heus. Vox est de longinquo revocantis.* Vehementior vis est in duplicatione. Nomine proprio non adiecto, dicitur *heus tu.*

Plaut. Aul. 2, 3, 2. *heus, Staphyla, te voco. Ecquid audis?* Mil. 3, 1, 16. *heus Periplectomene et Pausides, progredimini.* Rud. 5, 3, 1. *ubi istic leno est? Heus tu! Hem tibi, hic habet vidulum.*

Plaut. Aul. 2, 2, 86. *heus, Strobile. Sequere propere me ad macellum strenue.* Merc. 4, 4, 60. *uxor, heus uxor, quamquam tu irata es mihi, iubeas* etc.

Plaut. Merc. 5, 2, 69. *heus aliquis, heus actutum tu foras exite.* Rud. 3, 4, 57. Capt. 4, 2, 50. *heus, heus, ubi estis?*

Plaut. Pseud. 4, 7, 22. BA. *Heus tu.* SI. *Quid vis?* Poen. 3, 3, 97. Pseud. 1, 3, 62.

2. Proprie ita dicitur, ubi alter audire non vult aut abiit.

Plaut. Most. 4, 2, 28. *heus reclude: heus Tranio, etiam aperis?* Trin. 4, 3, 52. *heus tu, adsta illico. Audi, heus tu.*

Plaut. As. 2, 4, 40. *heus, iam satis tu. Audin quae loquitur?* LE. *Audio et quiesco.* Cas. 2, 2, 1. *sequimini, comites, in proxumum me huc. Heus vos, ecquis haec quae loquar audit?*

Plaut. Men. 4, 3, 22. *tandem heus tu, tibi dico, mane.* Pseud. 1, 3, 12. *Heus! abiit.* Terent. Heau. 2, 3, 107. *Syre, Syre, inquam. Heus, heus, Syre.*

3. Sed etiam ii dicunt *heus*, qui se ad aliquem convertunt oratione eumque alloquuntur, maxime in celeri et agitato sermone. Etiam in iis quae iubentur. Saepe in interrogatione idem est quod *dic.* Saepissime vero ita loquuntur, qui ad respondendum aliquem evocant.

Plaut. Curc. 1, 3, 29. *heus tu mulier.* Se convertit ad anum in altera parte scenae adstantem. 2, 3, 24. *quid si adeamus? heus, Curculio: te volo.* Men. 1, 2. 26. *heus, adolescens: ecqua in ista pars inest praemii mihi?* 2, 3, 17. *heus mulier: tibi dico.* Rud. 3, 5, 50. *sed vobis dico. Heus vos, num molestia est me adire ad illas propius?*

Terent. Andr. 1, 1, 57. *heus puer, dic sodes, quis heri Chrysi dem habuit?* Persius 3, 94. *heus bone, tu palles?*

Plaut. Pers. 4, 5, 121. *heus tu, serva istum.* Rud. 2, 5, 24. *heus sis, Ptolemocratia, cape hanc urnam tibi.* Terent. Andr. 3, 3, 47. *heus, evocate huc Davum.* Persius 2, 16. *heus age, responde.* Cic. p. Mil. 22, 60. *heus tu, Rufio, verbi caussa, cave sis mentiare: Clodius insidias fecit Miloni?* Haec non recte interpunguntur: nam verbis *heus tu* addi non solet nomen proprium. Sed verba *Rufio verbi caussa*, quae cohaerent, interposita sunt in parenthesi. Plaut. Ps. 4, 2, 12. *heus tu, qui cum hirquina adstas barba, responde quod rogo.* Virgil. Aen. 1, 321. *heus, inquit, iuvenes monstrate, mearum vidistis si quam hic errantem forte sororum.*

4. Si quis alterum ad considerationem rei revocat et attendere animum iubet, dicit cum adhortatione *heus* vel *heus tu:* ubi nos Germani *bedenke doch.*

Plaut. Most. 3, 2, 103. *heus tu, si voles verbum hoc cogitare, simul flere sorbereque haud facile est.* Terent. Andr. 4, 1, 11. *quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? heus, proximus sum egomet mihi.* Ibi Donatus: *heus significatio est modo nominis ad intentionem considerationemque revocandi.* Plaut. Ps. 4, 2, 2. *heus tu, nunc occasio est et tempus.* Poen. 5, 5, 41. *heus tu, si quid per iocum dixi, nolito in serium convortere.*

Plaut. Pers. 4, 4, 63. *exquire, heus tu, advigila.*

5. Ita factum est, ut sententiis, quas Graeci γνώμας appellant, ad attendendum animum *heus* vel praemitteretur, vel adeo, ut fecit Terentius, in mediis interponeretur.

Terent. Heaut. 2, 3, 72. *heus tu, non fit sine periclo facinus magnum et commemorabile.*

Terent. Eun. 2, 2, 45. *omnium rerum heus necessitudo est.*

6. Non aliter in expostulatione et in iis, quae bene consideranda et cavenda alicui proponuntur.

Rhet. ad Heren. 4, 10, 14. *heus, inquit, adolescens, pueri tui modo me pulsaverunt: satisfacias oportet.*

Plaut. Poen. 3, 1, 12. *heus tu, quamquam nos videmur tibi plebei et pauperes, si nec recte dicis nobis, dives de summo loco, divitem audacter solemus mactare infortunio.* Cas. 4, 4, 15. *heus tu, malo, si sapis, cavebis.*

7. Haec ex familiaribus colloquiis transferuntur ad alia genera familiaris sermonis. Quare *heus tu* ut amici

suis verbis cum quadam intentione praemittunt, ita etiam in epistolis ad amicos missis. Cicero saepe dicit *sed heus tu*, interdum, ut videtur, *et heus tu*.

Terent. Eun. 3, 1, 44. *sed heus tu purgon ego me de istac Thaidi?* 2, 1, 11. Heaut. 2, 3, 128. Cic. ad Fam. 16, 17. *video, quid agas. Tuas quoque epistolas vis referri in volumina. Sed heus tu, qui κανὼν esse meorum scriptorum soles, unde illud tam ἄκυρον: valetudini fideliter inserviendo.* ad Q. fr. 2, 16. *sed heus tu, celari videor a te.* ad Fam. 7, 11, 2. *sed heus tu, quid agis? ecquid fit? video enim te iam iocari per litteras.*

Cic. ad Att. 4, 18. *sed heus tu, scripseramne tibi me esse legatum Pompeio?* i. e. nonne scripseram? 1, 16. *sed heus tu, videsne consulatum illum nostrum — fabam mimum futurum?* 6, 1. *sed heus tu, iamne vos a Caesare per Herodem talenta attica* L *extorsistis?*

Cic. ad Att. 15, 11. *sed heus tu, ne forte sis nescius, Dolabella me sibi legavit.* ubi codd. haud mali *et heus.* Idem libri 6, 1. extr. *et heus tu.* quod mutavit Manutius, ut videtur, sine iusta caussa. Plaut. Most. 2, 2, 36. *et heus, iube illos illinc, amabo, abscedere.* Bacch. 2, 3, 93. *atque heus tu.*

8. Sunt quidam loci, in quibus *heus* intendere interrogationem visum est, veluti Plaut. Bacch. 4, 1, 10. *heus ecquis hic est.* et Amph. 4, 1, 12. Terent. Eun. 3, 3, 24. Sed in omnibus his locis audimus alterum ab altero vocari. In utroque enim Plauti loco *ecquis hic est* significat: estne aliquis hic? *ist wer da?* Et apud Terentium Chremes (nam huic uni Donatus recte tribuit haec verba) pulsat ostium vocans: *heus heus. ecquis hic? Ego sum Chremes.* i. e. *heda! ist niemand hier? Ich bin Chremes.* cf. Terent. Ad. 4, 4, 26. Tamen incipere potest interrogatio ab hoc vocabulo, quod eloquens se ad alterum convertit. Sic Plaut. Mil. 2, 4, 10. *heus quid istuc est Philocomasium? quid tibi istic hisce in aedibus debetur?*

9. Alium usum quidam notaverunt in laetitia, et *heus* existimarunt usurpari ab exsultantibus gaudio. At non ipsum gaudium hac voce exprimitur, sed alloquutionis forma est.

Plaut. Mil. 2, 5, 59. *heus, Palaestrio: machaera nihil opus.* Redit ex domo Sceledrus et denuo alloquitur Palaestrionem. Mil. 3, 3, 24. *heus noster esto.* Ibi e cod. palatino restituendum videtur *eu.* Sed 2, 5, 41. iam correctum est in novis

editionibus. Truc. 3, 2, 14. *heus tu iam postquam in urbem crabro commeo, dicax sum factus.* Stratilax his demonstrat caussam: vide, postquam etc.

10. Sed Sergius, cuius verba supra apposuimus, interiectionem nominat doloris, cuius exemplum affert Virgil. Aen. 7, 116. *heus etiam mensas consumimus?* Eadem verba facit Servius, quem non alium putamus quam illum Sergium, ad Virgil. Aen. 1, 321. At primum codex parrhasianus praebet *heu*, ita ut possit de scriptura dubitari, nec tamen dolor exprimitur, sed ut Cerda bene monuit, clamat subito Ascanius: en quid faciamus? mensas etiam devoramus? Quod nescio cur fugerit Marklandum, qui ad Stat. Silv. 5, 4, 14. monuit *heus* non esse dolentis Iuli, sed ludentis et faceti, et rem insolitam cum ioco notantis: nam sequi: *nec plura alludens.* Dicit vero novum sermonem incipiens Iulus: *heus, socii:* et interpunctionem ponamus post *heus.*

In Statii Silv. 5, 4, 14. omnes codd. praebent: *at nunc heus aliquis longa sub nocte puellae brachia nexa tenens ultro te, somne, repellit.* praeter unum Vossii, qui *heu* habet, quod Meursius, Bernartius, alii coniecerunt. Marklandus eleganter, non vere: *et nunc fors aliquis* etc. Equidem poetam puto ita scripsisse *at nunc heus! Aliquis — ultro te, somne, repellit. Inde veni!* i. e. at nunc age.

11. Nomen eius, quem quis alloquitur, semper post *heus* locum suum obtinet. Vnus locus Plauti ab hac consuetudine abhorrere videtur. Nam Men. 5, 2, 91. senex filiam vocat: *filia, heus.* Tamen revocanda erit, quae iam in prima editione exstat, personarum haec distributio. SE. *Filia.* MV. *heus quid est? quid agimus?* Nisi alia magis placet forma scenae. Senex incipit respondere mulieri, quae dixerat: *perii, mi pater! minatur mihi oculos exurere:* sed recessit ea in alteram scenae partem. Quod quum ille animadvertat, revocat eam verbo *heus.* Et illa regressa ait: *quid est?* Non cohaerent igitur verba *filia heus.*

12. Plautus et reliqui scriptores *heus* collocare consueverunt in initio enuntiationis. Vnus Terentius in mediis sententiis, ut ad animi attentionem et cogitationem excitaret, haud semel interposuit.

Exemplum Eun. 2, 2, 45. vide supra. **Adde Phorm. 2, 3, 93.** *si quid opus fuerit, heus, domo me.*

13. Forma *eheus*, quam Taubmannus in codice quodam Plauti Most. 2, 2, 36. invenit, nullum habet exemplum, quo confirmetur. In isto enim loco *et heus* scribendum esse, omnes affirmarunt.

*) *Heus* commutatur in libris cum vocabulo *heu*. vid. Heins. ad Ovid. Am. 3, 8, 18. et cum *hem*. vid. Plaut. Curc. 5, 2, 26.

HIC.

Hic adverbium, ut *istic*, *illic*, factum est ex ablativo, sive dativo, sive, ut alii praecipiunt, locativo pronominis, quod non cum Wagnero definitivum appellaverim, sed cum antiquis grammaticis demonstrativum: nam vis, qua hoc nomen rem aliquam certis finibus definiat, non est primitiva, sed ex demonstrativa natura profecta. C litteram demonstrativam in multis vocabulis iam declaravimus. Et satis constat, antiquos etiam omissa ea dixisse *illi*, *isti*, non *hi*. Forma *hicce*, quam in quibusdam casibus pronominis comici usurparunt, non attingit adverbium.

1. *Hic* significat locum, in quo ego, qui loquor, sto. Quare opponitur *istic* de loco, quem alter obtinet, et *illic* de loco et a nobis et ab eo, quocum loquimur, remoto. Sed potest etiam quicumque alius locus huic loco, quem obtineo, opponi, ideoque verba *alio loco*, *ubicumque*. Alia ex ratione motus opponitur *hinc*.

Plaut. Amph. Prol. 91. *etiam histriones anno quom in proscenio hic Iovem invocarunt, venit.* **Terent. Eun. 3, 3, 28.** *at tu apud nos hic mane, dum redeat ipsa.* **4, 6, 5.** *ego iamdudum hic adsum.* **Heau. 4, 7, 1.** *eccum hic tibi.* **Eun. 5, 2, 55.** *visne interea, dum venit, domi opperiamur potius, quam hic ante ostium.* **Virgil. Ecl. 1, 43.** *hic illum vidi iuvenem.* **Alios Virgilii locos notavit Wagnerus in 23. Excursu Tom. 4. p. 487,**

Cic. ad Fam. 6, 19, 9. *quare, ut arbitror, prius hic te nos, quam istic tu nos videbis.* **3, 10, 11.** *illud pugna et enitere, ne quid nobis temporis prorogetur, ut, quum hic tibi satisfecerimus, istic quoque nostram in te benevolentiam navare possimus.*

Plaut. Most. 3, 2, 105. *ego hic esse et illic simul haud potui.* **Ovid. Am. 3, 2, 84.** *hoc satis hic: alio cetera redde loco.*

Cic. in Verr. 5, 55, 143. *retineri enim putatis oportere iura libertatis non modo hic, ubi tribuni plebis sunt, ubi ceteri magistratus, ubi forum plenum iudiciorum —: sed ubicumque terrarum et gentium violatum ius civium romanorum sit, statuitis id pertinere ad communem caussam libertatis et dignitatis.*

Plaut. Bacch. 1, 1, 71. *ut hic accipias potius aurum, quam hinc eas cum milite.* Men. 2, 2, 57.

2. Adduntur adverbio ipsa locorum nomina: quam formam grammatici quidam falso nomine pleonasmi appellarunt. Cum genitivo nominis, quod locum designat, nectitur *hic* secundum eam rationem, quam grammatica docet.

Virgil. Ecl. 3, 12. *aut hic ad veteres fagos.* Aen. 3, 616. *hic me — immemores socii vasto Cyclopis in antro deseruere.* Stat. Theb. 1, 454. *hic in finibus vestris.* Conf. Dorvill. in Observat. misc. T. 1. p. 174.

Plaut. Mil. 2, 3, 2. *scio me vidisse hic proxumae viciniae Philocomasium.* Terent. Phorm. 1, 2, 45.

3. Locus saepe simul viciniam complectitur, et vel urbem, vel regionem, vel terram intelligimus, id quod iam in exemplis apparuit ante appositis.

Plaut. Cist. 4, 2, 42. *ecquem vidisti quaerere hic amabo in hac regione cistellam cum crepundiis.* Terent. Phorm. 1, 2, 45. *modo quamdam vidi virginem hic viciniae miseram.* Andr. 1, 5, 32. *quis hic loquitur?* Heaut. 1, 1, 2. *agrum in proxumo hic mercatus es.* Ad. 3, 4, 6. *utinam hic prope adesset alicubi.*

Plaut. Bacch. 1, 2, 3. *nam ita me di ament, ut Lycurgus mihi quidem videtur posse hic ad nequitiam adducier.* Terent. Heaut. 1, 1, 44. *est e Corintho hic advena anus paupercula.* Hec. 1, 2, 22. *modo quae narravit mihi hic intus Bacchis?* Plaut. Men. 5, 1, 23. *an mos est ita hic, peregrino ut advenienti narrent fabulas?* Terent. Heaut. 2, 2, 3. *sed vereor, ne mulier me absente hic corrupta sit.* ubi nulla erat caussa, cur Bothius corrigeret *me absente hinc.*

Cic. ad Fam. 6, 21, 7. *hic tui omnes valent.* Terent. Ad. 2, 1, 15. *hic propter hunc adsiste.* Formulae sunt *hic apud nos* Plaut. Bacch. 1, 1, 49. *hic inter nos* Plaut. Poen. 1, 3, 31.

4. Sed distinguuntur diversi loci quicumque hac demonstratione, ut alter, quasi in eo ipsi adstemus, primum designetur, alter ei opponatur vocabulo *illic*. Simili modo opponuntur *hic — alibi* pro *alibi — alibi*

dicta. Et formula est *hic illic* pro multis in locis, ubique.

Terent. 2, 6, 27. *nam si hic malist quidquam, hem illic est huic rei caput.* 4, 3, 5. Vellei. Pat. 2, 49, 3. *alterius ducis caussa melior videbatur, alterius erat firmior. Hic omnia speciosa, illic valentia.*

Virgil. Ge. 1, 54. *hic segetes, illic veniunt felicius uvae, arborei fetus alibi.*

Plin. Hist. n. 10, 50, 71. *nec tamen in hoc mangonio quidquam totum placet, hic clune, alibi pectore tantum laudatis.* conf. Tom. 1. p. 227.

Ovid. Met. 7, 581. *hic illic ubi mors deprenderat exhalantes.* Plaut. Most. 3, 1, 76. *foenus illic, foenus hic.*

5. Haec distributionis ratio non mutatur, ubi propior locus vocabulo *illic*, longius remotus per *hic* designatur. Manet ipsa distinctionis nota, non ex loci situ formatae. De quo pronominis usu multi disseruerunt. Vid. Perizon. ad Sanctii Min. 2, 9. p. 276. Cort. ad Plin. Epist. 1, 20, 21. Drakenborch. ad Liv. 24, 29, 3.

6. Demonstrativa vis particulae augetur addito alio nomine eiusdem generis.

Plaut. Poen. 4, 2, 20. *haec quum hic video fieri, crucior* etc. 5, 3, 16. *quando hic hic adest.*

7. Ob illam vero simplicis distinctionis rationem fieri potuit, ut ipsum *hic* pro *illic* poneretur et absentes res fingerentur esse praesentes.

Virgil. Aen. 1, 16. *hic illius arma, hic currus fuit.* Ad haec Servius: *figura creberrima: adverbium pro adverbio posuit, praesentis loci pro absentis: debuit enim dicere illic.* Cornel. Attic. 2, 3. *hic ita vixit, ut universis Atheniensibus merito esset carissimus.*

8. Proprie usurpatur *hic* ab eo, qui de suis rebus et de iis, quas manu tenet, ex suo loco loquitur.

Plaut. Bacch. 4, 9, 66. *ut scias, quae hic scripta sient.*

9. Quod de loco dicitur, transfertur ad res, ideoque *hic* significat in hac re, hac in parte.

Plaut. Mil. 1, 1, 28. *at indiligenter hic eram.* Merc. 2, 2, 36. *ludificas nunc tu me hic, opinor, Demipho.* Et ita intelligendum Men. 5, 2, 70. Rud. 2, 3, 13. *nempe rem divinam*

facitis hic. Terent. Heau. 4, 3, 31. *hic me magnifice efero.* i. e. de hac re. Cic. in Verr. Act. 1, 16, 49. *hic si quid erit offensum.* in Pis. 7, 15. *hic vos etiam crudeliores.* ubi Orellius corrigendum existimavit *hoc.* Contra idem Orellius bene revocavit de Nat. d. 1, 36, 101. *quanto melius haec vulgus.* ubi Heindorfius *hic* ediderat.

Terent. Andr. 4, 1, 12. *hic ubi opus est, non verentur: illic ubi opus est, ibi verentur.* 4, 3, 5. *facile hic plus mali est, quam illic boni.*

10. Satis constat, quo modo locorum vocabula ad tempus referantur. Itaque *hic* quoque de tempore usurpatur et ponitur pro *nunc.* cf. Bremius ad Cornel. Milt. 3, 3. Eum. 4. 3. Saepe notio ambigua et loci et temporis rationem complectitur. Sed quum haec demonstratio maiorem vim distinctionis in se habeat, plerumque *hic* ab initio enuntiationis collocatur.

Terent. Heau. 4, 4, 20. *etiamne tecum hic res mihi est?*

Terent. Heaut. 2, 3, 38. *hic scire potuit aut nusquam alibi, Clinia, quo studio vitam suam te absente exegerit.* Cic. p. Sext. 5, 12. *hic ego quid praedicem, quibus hic rebus consulem ad rem gerendam excitarit?* in Catil. 1, 10, 26. *hic tu qua laetitia perfruere?* 3, 9, 21. *hic quis potest esse, Quirites, tam aversus a vero — qui neget, haec omnia, quae videmus — deorum immortalium nutu atque potestate administrari?* Tibull. 2, 4, 1. *hic mihi servitium video dominamque paratam: iam mihi libertas illa paterna, vale.* 1, 1, 35. ubi cod. commel. substituit *nunc.*

Seneca Herc. f. 114. *inveni diem, invisa quo nos Herculis virtus iuvet: me pariter et se vincat: et cupiat mori ab inferis reversus. Hic prosit mihi, Iove esse genitum.* Stat. Silv. 1, 2, 49. *hic, Erato iucunda, doce.*

Wagnerus p. 488. observavit a Virgilio *hic* fere in arsi et in ipso orationis initio collocari, et in *atque hic* etiam thesin ictu gravari.

11. Saepe fit, ut in oratione luculenta verba *hic quum* coniungantur vel ablativi addantur, et ut per pleonasmi formam componantur *hic nunc, hic tum:* de quibus postea dicamus. Sed conf. Burmann. ad Phaedr. 1, 14, 5.

Cic. Tusc. 5, 20, 60. *hic quum quidam familiaris iocans dixisset* etc. de Fin. 2, 1, 1. *hic quum uterque me intueretur* etc. In orat. pro Cluent. 18, 51. mutata nunc leguntur verba.

Cornel. Milt. 3, 3. *hic quum crebri afferrent nuntii male rem gerere Darium* etc. Epam. 6, 3. *hic in respondendo Epaminondas quum de ceteris perorasset, postquam ad illa duo opprobria pervenit — dixit* etc.

Cornel. Eum. 4, 3. *hic equitibus profligatis, interfecto duce Cratero — pedester exercitus — pacem ab eo petiit.*

12. Nec tantum praesens tempus sive id, quod ad rem praesentem attinet, hoc modo designatur, sed etiam praeteritum, quod cogitatione attrahitur et praesentiae quasi lumine collustratur. Quare *hic* pro *tum* dici putabimus, quemadmodum Graeci ἔνθα pro τότε usurpant.

Servius ad Virgil. Aen. 1, 728. *hic, tunc: est ergo adverbium temporis.*

Terent. Hec. 1, 2, 92. *hic, animus partim uxoris misericordia devinctus, partim victus huius iniuriis paullatim elapsust Bacchidi.* ubi conf. Donatus, et ad Andr. 2, 3, 15.

Cic. in Verr. Act. 1, 8, 23. *hic alios negasse audere, alios respondisse* etc. Verr. 3, 28, 69. *hic illi flentes rogare atque orare coeperunt.* Acad. 2, 4, 10. *hic Catulus, Etsi heri, inquit, id, quod quaerebatur, pene explicatum est* etc. de Orat. 2, 50, 202. de Re p. 1, 30. ad Fam. 3, 8, 6. *hic ego multa simul cogitavi.* Catull. 44, 13. *hic me gravedo frigida et frequens tussis quassavit.* Virgil. Aen. 2, 386. *atque hic successu exsultans animisque Coroebus — inquit.* 1, 728. *hic regina gravem gemmis auroque poposcit — pateram.* Reliquos Virgilii locos notavit Wagnerus p. 487. qui tamen hunc usum, omnibus scriptoribus communem, solis poetis, et imprimis Virgilio proprium adscribi iubet. Vid. Burmann. ad Valer. Flacc. 1, 535. Saepe sequitur *inquit.* vid. Heindorf. ad Horat. Sat. 1, 9, 7.

Cic. p. Cluent. 20, 56. *hic tum Fabricius non modo ad me meos vicinos et amicos, Aletrinates, non adduxit, sed ipse iis neque defensoribus uti postea, neque laudatoribus potuit.* 19, 49. *hic tum Fabricius — frequentes eos ad me domum adduxit.* 27, 73. *hic tum Oppianicus non magno opere pertimuit.* in Verr. 1, 26, 66. *hic tum alius ex alia parte.* p. Sext. 11, 25. *hic tum senatus sollicitus, vos equites excitati, Italia cuncta permota, omnes denique — cives — a summo imperio petendum esse auxilium arbitrabantur.*

13. Et quum *tum* etiam de rebus futuris dicatur, etiam *hic* cum futuro coniungi potest.

Cic. Somn. Scip. 2. (de Rep. 6, 11.) *sed quum eris curru in*

Capitolium invectus, offendes rem publicam perturbatam consiliis nepotis mei. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii consiliique tui. Terent. Andr. 2, 3, 15. *hic reddes omnia, quae nunc sunt iuxta ei consilia, incerta ut sicut.* Virgil. Ge. 4, 264.

14. Vtraque notio et temporis et conditionis rei haud raro coniungitur in uno vocabulo *hic:* quod explicari potest, *quum res eo loco sit, quum ita se res habeat, rebus ita comparatis, hoc rerum statu.* Vid. Manutius ad Cic. Epist. 5, 15. Idque proprie usurpatur in occupatione, vel in consequutione. Nos *da nun, da.* Vid. Cortius ad Cic. Epist. 5, 15, 8. et ad Sallust. Catil. 52, 11. ubi Kritzius docet Latinos uti hac particula, ut aliquem cum ironia et indignatione coarguant, imprudenter eum agere, ut in tali re non conveniat. At haec vis non in ipsa particula inest, sed hoc modo genus aliquod sententiarum potest notari, in quo *hic* proprie usurpetur. Saepe, non semper forma interrogationis fingitur, (cf. Goerenz. ad Cic. de Fin. 2, 8, 23.) qua indignatio exprimitur. Coniunctivo nulla est in his ratio, nisi extrinsecus accedit.

Cic. Verrin. 2, 44, 109. *hic vos dubitabitis, iudices, tantam istius audaciam — vindicare?* p. Marc. 8, 25. *hic tu modum tuae vitae non salute rei publicae, sed aequitate animi definies?* p. Lege man. 13, 39. *hic miramur hunc hominem tantum excellere ceteris —?* ad Fam. 5, 15, 8. *hic tu ea me abesse urbe miraris, in qua domus nihil delectare possit?* 7, 13, 3. *hic tu me etiam insimulas, nec satisfactionem meam accipis.* de Fin. 2, 8, 23. *hic homo severus luxuriam ipsam per se reprehendendam non putat.*

Cic. Phil. 8, 4, 11. *hic mihi etiam Q. Fufius — pacis commoda commemorat.* Plin. Epist. 1, 20, 4. *hic ille mecum auctoritatibus agit.* Cic. Agrar. 1, 4, 11. *hic quaero, si Hiempsali satis est cautum foedere et Recentoricus ager privatus est, quid attinuerit excipi?* p. Coel. 25, 61. *hic primum illud requiro: quid attinuerit illud ferri in eum locum.* Virgil. Aen. 2, 533. *hic Priamus quamquam in media iam morte tenetur, non tamen abstinuit.* Catull. 64, 63.

Cic. de Nat. d. 2, 53, 133. *hic quaerat quispiam, cuiusnam caussa tantarum rerum molitio facta sit.* Ita Walkerus, ut ait, e codice regio: reliqui *sin quaerat* vel *sin quaeret.* Quod defendendum erat. Sic nos *wenn nun jemand fragt.* p. Arch. 4, 8. *hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas —?* Maius

in cod. ambros. *desideres* legi narrat. At praestat *desideras*: nec idoneum documentum praebet ille locus de Nat. d., quem modo attulimus.

15. Componuntur duplicata notionis vi verba *hic iam*, *hic nunc*, et ubi praeteritum tempus intelligitur, *hic tum*, cuius dictionis vim ipsum *tunc* exprimit. Est enim *tunce*.

Terent. Hec. 4, 4, 28. *nulla tibi, Pamphile, hic iam consultatiost.* Cic. p. Sext. 36, 78. *hic iam de ipso accusatore quaero.* de Lege man. 9, 23. *hic iam plura non dicam.* p. Planc. 41, 99. *hic ego nunc de praetore Macedoniae nihil dicam amplius, nisi eum et civem optimum semper et mihi amicum fuisse.* Virgil. Ge. 4, 58. *hic ubi iam emissum caveis ad sidera coeli nare per aestatem liquidam suspexeris agmen — contemplator.* Ita recte codices boni: vulgo *hinc*, quod, nescio a quo, superioribus verbis accommodatum est.

Plaut. Cas. 2, 2, 24. *nam hic nunc licet dicere.* Mil. 1, 1, 31. *nolo isthaec hic nunc.* Cic. in Verr. 2, 25, 62. *hic nunc de miseria Siculorum, iudices, audite.* in Verr. 4, 47, 104. *hic nunc aut iste reus, aut ego accusator, aut hoc iudicium appellabitur?*

Nec tamen semper haec vocabula cohaerent, sed *iam hic* inverso ordine dicitur de eo, qui statim sive modo nunc affuturus est. Plaut. As. 2, 3, 18. *iam hic credo eum adfuturum.* Aul. 2, 3, 7. Bacch. 1, 1, 13. Merc. 2, 3, 118. *is nunc hic non adest.*

16. Quoniam ea, quae hic facta esse dicuntur, praesentes habent testes, haec particula etiam affirmationi inservit rei vere factae: quamquam nemo prudens inde colliget, *hic* significare *vere*.

Terent. Heaut. Prol. 18. *factum hic esse id non negat, neque se id pigere: et deinde facturum autumat.* Ita intelligo verba Cornel. Thras. 1, 4. *seque hic plus valuisse quam ducis prudentiam vere potest praedicare.* Olim scribebatur *his*.

17. Pareus observasse se ait, *hic* assumpto *etiam* indignationem denotare. Ernestius autem in notis Tursellino adiectis id negat: nam in Cic. Verr. 1, 58, 151. esse hoc loco, hac in parte caussae. Scilicet ipsa indignatio non exprimitur particula *hic*, sed negari non potest, ita fieri formulam, qua cum indignatione utamur.

Cic. p. Rosc. Am. 48, 141. *hicne etiam sese putat aliquid posse Chrysogonus? hic etiam potens esse vult?* Verr. 1, 58, 151.

hic etiam priore actione Q. Hortensius pupillum Ianium venisse praetextatum in vestrum conspectum — questus est. Quo auctore Pareus afferat e Cic. Epist. 5, 15. *hic tu etiam ea me abesse urbe miraris —?* equidem nescio. Vulgo non additur *etiam.*

18. Quaeritur, num in hac quoque particula ratio quieti status cum motu commutari possit, quod in multis graecis vocabulis factum esse scimus. Idque in familiari sermone admitti, nemo negabit, Sic dici poterit *hic exire.* Sed etiam Ovidius Her. 12, 151. *hic mihi, mater, abi.* ubi edit. prima *huic* praebet, Iahnius *hinc* restituit. Ex verbis Gruteri ad Flor. 4, 2, 9. et Gronovii ad Senec. Herc. Oet. 395. certe non potest colligi, *hic* pro *hinc* poni. Apud Senecam enim, ubi legimus: *hic meum pectus timor, altrix, lacessit: hic rapit somnos pavor.* recte coniunguntur verba *hic timor, hic pavor:* apud Florum codices praebent *hinc dolor transversum egit.*

19. Non sine caussa factum esse videtur, ut Cicero et alii multis in locis componerent verba *hic ego*, etiam ubi *hic* ad tempus refertur. Vtriusque enim vocabuli aequalis est ratio.

Cic. p. Cluent. 18, 51. *hic ego tum ad respondendum surrexi.* ad Fam. 3, 8, 6. 5, 15, 8. p. Planc. 41, 99. de Fin. 5, 2, 4. *hic ego, Pomponius quidem, inquam, noster iocari videtur.* Horat. Serm. 1, 9, 7. et alia supra allata.

20. Quum Romani dicendo amarent eas, quae per adverbia exprimendae essent conditiones rerum, ad ipsas res et personas referre et adiectiva forma induere, saepissime *hic* adverbium a nomine attrahebatur et cum pronomine commutabatur. Id librarii ad adverbium revocare solebant. vid. Wagner. ad Virgil. Aen. 6, 18. Saepe tamen nobis nunc, qui utrumque vocabulum non satis pronuntiatione distinguimus, ambigua videbitur forma, veluti in Terent. Eun. 5, 2, 59. 2, 2, 8. apud Plautum Merc. 2, 3, 32.

Non assentior Ruhnkenio, qui in Terent. Andr. 2, 1, 10. *tu si hic sis, aliter sentias.* cum Bentleio *hic* pro adverbio accepit, explicans: si fores meo loco: neque Catonis verba apud Rufinianum 10. *si vos in eo loco essetis, quid aliud faceretis?* istam interpretationem confirmant. Loquitur Charinus de suo amore: et ipsum pronomen significat id, quod Bentleius requirit. Nam *hic* est is, qui hic, hoc loco est. In Virgil. Ge. 3, 202.

bene demonstravit Wagnerus *hic* esse talis, tam egregius equus. Ovid. Her. 1, 33. *hac ibat Simois, hic est Sigeia tellus.* Alii codices perhibent iterum *hac est*, alii vero *haec est*, quod verum puto. Contraria ratione reiicienda est emendatio a Scaligero facta in Propert. 2, 10, 21. (8, 25.) *ut caput in magnis ubi non est tangere signis, ponitur his imos ante corona pedes.* ubi recte *hic* defendit Mitscherlich. in Lection. p. 117. Ovid. Met. 2, 126. *si potes his saltem monitis parere parentis.* Heinsii coniectura *hic* falsa esset, etiamsi codice aliquo confirmaretur. Idem iudicandum de Met. 1, 611. *non est lacrimis hoc, inquit, agendum:* ubi Heinsius *hic* substituit.

*) *Hic* et *hinc* ob lineolam super scribendam saepissime a librariis commutata esse, non est quod exemplis demonstremus. Sed etiam *huc* pro *hic* scribebatur et *haec* (vid. Cic. de Nat. d. 1, 36, 101. Propert. 2, 10, 21.) et *ac* (Tibull. 1, 3, 63.). Saepe etiam additum est a librariis. vd. Bentlei. ad Terent. Eun. 4, 7, 11.

HICINE.

In interrogatione, quae particula *ne* exprimitur, *hic* mutatur in *hicine*, cuius significatio non alia est quam in *hic*. Ii grammatici, qui compositum putabant ex *hic-ce-ne*, scribendo duplicabant litteram *c*. Conf. Priscianus p. 948. At alteram sententiam, qua nos quoque statuamus, *hicine* pronomen, uti *sicine*, *nuncine* facta esse ex *hicne*, *sicne* vocali *i*, ut in *quotidie*, interposita, ne *cn* ingrato sono aures offenderet, ipsis his adverbiis comprobari arbitramur. Nam nemo Latinorum veterum umquam dixit *hicce*, *sicce*, *nuncce*, nemo adeo *hicne*. Id demonstrant etiam lapidum inscriptiones. Quod autem in pronominibus *hocine*, *hicine*, *isticine* brevis vocalis producitur, sicuti saepius fit in *hic* et *hoc*, de qua re dixit Bentleius ad Terent. Andr. 4, 1, 1. et ad Ad. 4, 4, 2. id profectum esse videtur ex natura litterae *c*, quae in his vocabulis vim habet monstrativam, atque syllabam producit. Idem agnoscunt grammatici haud spernendi: conf. Charisius p. 2. nec caussa est, ut fingamus *hoc* sive *hocc* poni aliquibus in locis pro *hocce*, in aliis plurimis non poni. Ex his vero rebus colligi potest, scripturam unius litterae *c* in *hicine*, quam Bentleius in Terentio, ut videtur, non sine auctoritate codicum restituit, veram esse. In pro-

nomine etiam duplex *c* scribi coeptum est recentiori tempore, secundum grammaticorum praecepta, ut *haecce* neutrum a feminino *haece* distingueretur. Inscriptiones antiquae autem unam literam exhibent, *hance legem, hace lege*, et recte quidem. Est enim *hice* id quod *hi ce:* et antiquo tempore etiam pluralia dicebantur *hic*, *haec* pro *hae*, *horunc*. Neque discrepant antiquiores libri scripti, veluti in Cic. Verr. 5, 25, 62. ubi notavit Zumptius.

Terent. Ad. 2, 1, 29. ***hicine libertatem aiunt aequam esse omnibus?***

Quae Priscianus p. 948. narrat, inventa videntur ad explicandam syllabae *hoc* productionem: sed addit: *et sic in antiquissimis codicibus invenitur bis cc scriptum, quomodo et apud Terentium in Andria: Hoccine est credibile aut memorabile?* At hi codices, quos antiquissimos appellat, testimonium exhibent vulgaris consuetudinis scribendi, non, ut fortasse aliis videbitur, doctrinae grammaticae. Priscianus suam sententiam iterum exposuit p. 958. ubi *hoc* productum, sed per unum *c* scriptum negligentiae tribuit.

Haec ante aliquod tempus scripsi. Nunc video Ritterum ad Terent. Andr. 1, 5, 1. de formatione pronominis *hocine* disseruisse, et ita quidem, ut in nonnullis rebus mecum consentiret. Id vero vehementer miror, quod dicit, graecum ὅσγε latine fieri *hice* sive *hic*, ἥγε *haece* sive *haec*, ὅγε *hoce* sive *hoc*. Putat igitur *ce* esse graecum γε. Cui sententiae universa particulae natura repugnat.

HINC.

Hinc compositum est ex *him* et *ce* monstrativo, littera *m* in *n* mutata, sicuti fit in *nunc*. *Him* vero accusativum sive accusativi alteram formam, quam eamdem in *víν*, *μίν*, *im*, de quo Festus loquitur, et in *quem*, *em*, *emem*, i. e. eundem, permutata vocali expressam agnoscimus, usus vertit in notionem adverbii localis, quod, unde quid moveatur, significat. Ex comparatione germanici *hina*, *hin* nihil colligi potest, nisi quod littera *n* et *m* ad exprimendam notionem, unde quid sit, apta esse videtur.

Lambinus ad Cic. Epist. ad Att. 4, 13. et ad Fam. 6, 21. docet in antiquis codicibus sicut *istim* et *illim*, ita etiam *him* inveniri, idque aliquibus locis restituendum esse.

1. *Hinc* de loco, in quo, qui loquitur, consistit, ita dicitur, ut motum ex hoc loco significet: hoc est ἔνθεν, *von hier*.

Terent. Eun. 4, 4, 48. *alio pacto honeste quomodo hinc abscedam, nescio.* Andr. 4, 2, 24. *proinde vos hinc amolimini.* Phorm. 3, 3, 33. *modo te hinc amove.*

Terent. Heaut. 2, 2, 10. *non cogitas hinc longule esse?* Plaut. Amph. 1, 3, 3. *mihi necesse est ire hinc.* 4, 3, 5. *intro hinc eo.* Mil. 3, 1, 15. *sterilis hinc prospectus usque ad ultimam plateam est probe.*

2. Saepius hoc intelligitur de terra vel de regione vel de urbe vel de domo, in qua aliquis versatur.

Cic. de Fin. 3, 14, 45. *gradus unus in ea via, quae est hinc in Indiam.* Agr. 2, 34, 94. *nos autem, hinc Roma qui veneramus, iam non hospites, sed peregrini atque advenae nominabamur.*

Terent. Ad. 2, 2, 22. *item hinc alia quae porto Cyprum.* Cic. de Orat. 2, 3, 13. *dixit mihi, a se Scaevolam hinc euntem esse conventum.* Terent. Ad. 4, 4, 10. *ut hinc forte ea ad obstetricem erat missa.* Plaut. Aul. 2, 4, 12. *ei adeo obsonii hinc dimidium iussit dari.*

Plaut. Merc. 5, 2, 53. *non longe hinc abest a nobis.* Cic. Tusc. 1, 13, 29. *ipsi illi maiorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in coelum reperientur.*

3. Sunt quaedam verba et dictiones, quibuscum coniunctum *hinc* aut notionem verbi distinctius notat, ut *hinc abire* est *weggehen*, *hinc abripere*, *hinc abesse*, *hinc auferre*, aut commutata cogitationis specie locum originis vel habitaculi significat. Ita dicunt *hinc natus*, nos *von hier gebürtig*, quod olim etiam erat *von hier geboren*, et *hinc esse* de civibus urbis: unde *hinc civis* pro ex hac urbe, ἐντεῦθεν πολίτης.

Plaut. Cas. 2, 4, 23. *abi hinc ab oculis.* Terent. 2, 1, 17. *abin hinc in malam rem cum suspicione istac?* Plaut. Amph. 2, 2, 9. *is repente abiit a me hinc ante lucem.* Terent. Andr. 4, 4, 47. *hanc iam oportet in cruciatum hinc abripi.* Plaut. Amph. 1, 1, 166. *atque haud longe abesse oportet: verum longe hinc abfuit.* Amph. 1, 1, 295. *atque hinc fugias.*

Liv. 7, 34, 14. *qua pateat hinc exitus.* Plaut. Amph. 5, 1, 45. *quaeso absolvito hinc me.* As. 5, 2, 62. *tempus est subducere hinc me.*

Terent. Andr. 5, 1, 14. *illam hinc civem esse aiunt.* Eun.

5, 5, 10. Eun. 2, 2, 3. *conveni hodie adveniens quemdam mei loci hinc atque ordinis.*

Cic. in Catil. 4, 8, 16. *quam quidam hinc nati et summo nati loco, non patriam suam, sed urbem hostium esse iudicaverunt.*

4. Adduntur etiam nomina locorum, unde quid extat, cum abundantiae quadam specie.

Cic. de Lege agr. 2, 34, 93. *nos autem hinc Roma qui veneramus* etc. Plaut. As. 3, 3, 42. *hinc me amantem ex aedibus delegit huius mater.*

5. *Huc* omisso verbo *veni* interdum recte dici, grammatici notant, tamen nolunt hunc usum in voc. *hinc* agnoscere, ideoque corrigunt Nemesian. Cyneg. 99. *hinc igitur mecum, quisquis percussus amore venandi.* ubi significatur: age mecum abeat in silvas.

6. Is, qui loquitur, quum cogitatione se in quemcumque locum conferre possit, *hinc* etiam de quocumque loco, e quo aliquid exit aut promovetur, usurpari solet. Quo fit, ut pro *illinc* poni videatur. Ita tamen fert ratio demonstrationis.

Plaut. Amph. 1, 1, 177. *hinc mihi dextera vox auris, ut videtur, verberat.*

Terent. Phorm. 4, 2, 14. *petam hinc, unde a primo institui.* Caes. B. gall. 6, 40. *calones in proximum tumulum procurrunt: hinc celeriter deiecti, se in signa manipulosque coniiciunt.* Plin. Hist. n. 3. Praef. *hinc intranti dextra Africa est.*

Stat. Theb. 1, 199. *spatiis hinc omnia iuxta, primae quae occiduaeque domus.* i. e. ab isto loco conspiciebantur: *von da aus.*

7. Interdum *hinc* ad personam refertur, et homo intelligitur, a quo aliquid sumitur, aut a quo aliquid exit. Servius ad Virgil. Aen. 1, 6. de vocabulo *unde* ad personam applicando loquitur, et comparat antiquum usum particulae *hinc: sicut hinc particulam sumpsit loco adverbii Terentius, quum vetuste ad personam transtulerit: sed eccum* etc. cf. Drakenb. ad Sil. Ital. 1, 283.

Terent. Ad. 3, 3, 7. *sed eccum Syrum ire video. Hinc scibo iam, ubi siet.* Hec. 2, 2, 4. ubi plurimi codices *ex hoc* praebent. Sed vide Faernum. Martial. 2, 10, 1. *basia dimidio quod das mihi, Posthume, labro, laudo: licet demas hinc quoque dimidium.* i. e. de me. Silius 3, 106. *hinc patriam clarumque*

genus referebat Imiele. i. e. ab his proavis. Sed 1, 283. *hic spolia ostentabat ovans — victor.* Heinsius, ut ipse ait, in scriptis invenit *hinc spolia*, idque omnes bona fide acceperunt. Equidem de codicum testimonio dubito, et Silium scripsisse arbitror *haec spolia ostentabat ovans.* In Ovidii Fast. 1, 357. *rode, caper, vitem: hinc, quum stabis ad aram, in tua quod spargi cornua possit, erit.* Optima esse videtur scriptura libri farnesiani *huic — erit*, nam ita magis ultionis ratio in vite laesa apparet et gravior fit sententia.

8. Opponitur *illinc*, quod est ex illo loco. Sed *hinc — illinc* saepius cum verbis coniuncta significant: ab hac parte — ab illa sive altera parte. Utrumque autem simul comprensum ponitur vel pro *non uno ex loco, multis ex partibus*, vel pro *ubicumque.* Ita conficiuntur formulae *hinc et illinc*, *hinc vel illinc*, *hinc aut illinc*, et omissa particula, *hino illinc*, quod esse potest *hinc et illinc*, sed etiam *hinc vel illinc.*

Liv. 2, 29, 9. *efferatus hinc plebis odio, illinc patrum laudibus.*

Plaut. Most. 3, 1, 37. *ne ego homo sum miser! Ita et hinc et illinc mihi exhibent negotium.* Amph. 1, 1, 74. (79.) *imperator uterque hinc et illinc Iovi vota suscipere.* i. e. utriusque exercitus. Cic. de Vniv. 14. *id fit, quum speculorum laevitas hinc illincque altitudinem assumsit.* Liv. 32, 10, 12. *multis hinc atque illinc vulneribus acceptis — nox pugnae finem fecit.* Senec. Epist. 120, 16. *hinc atque illinc tentamur.*

Liv. 7, 8, 1. *quidquid hinc aut illinc communis Mars belli aufert, multiplex quam pro numero damnum est.* Plin. Hist. n. 2, 67, 67. Tacit. Ann. 2, 6. *appositis utrimque gubernaculis converso ut repente remigio hinc vel illinc appellerent.*

Terent. Ad. 4, 5, 38. *an sedere oportuit domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc illinc veniret, exspectantem.* Ita Donatus legit, et iure restituerunt critici. Loquitur enim Aeschinus de quovis cognato hinc vel illinc veniente.

9. Poetae, praesentibus rebus delectati, *hinc — hinc* pro *hinc — illinc* dicunt, et componunt verba *hinc atque hinc.* Id imitati sunt scriptores prosaici a Livii tempore.

Liv. 21, 8, 8. *hinc spes, hinc desperatio animos irritat.* 1, 13, 2. *hinc patres, hinc viros orantes.* 2, 46, 2. 3, 23, 7. *ingenti certamine hinc Volscos, hinc Aequos populantur.* 6, 15, 3. 8, 35, 8. 26, 37, 2. Plin. Ep. 9, 39. *nam solum templi hinc flumine et abruptissimis ripis, hinc via cingitur.* Senec. Epist. 89, 21. *in-*

satiabilis gula hinc maria scrutatur, hinc terras. 92, 24. *quum illum hinc urinae difficultas torqueret, hinc insanabilis exulcerati dolor ventris.*

Senec. Epist. 108, 29. *quum Ciceronis librum de Republica prehendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philosophiae deditus, alius alio curam suam mittit.* 115, 3. *si nobis animum boni viri liceret inspicere, o quam pulchram faciem — videremus hinc iustitia, illinc fortitudine, hinc temperantia prudentiaque lucentibus?*

Virgil. Aen. 1, 162. *hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur in coelum scopuli.* Aen. 1, 509. Cul. 16. *seu qua parnasia rupes hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte.* Statii Silv. 2, 2, 14. Victorin. de Arte gram. p. 2454. *C reducta introrsum lingua hinc atque hinc inter molares surgens, haerentem intra os sonum vocis excludit.* vid. Santen. ad Terent. Maur. p. 10. et 397. Martial. 10, 83. *raros colligis hinc et hinc capillos.*

10. In his vero exemplis sunt, quibus demonstretur Latinos saepe *hinc — illinc* usurpasse, ubi etiam *hic — illic* dici potuisset: nam ante oculos sibi ponere solebant actionis vividae imaginem, in qua etiam, unde quis ad agendum tendat, exprimitur. Sic apud Liv. 21, 8, 8. 1, 13, 2. et alibi. Imprimis verba pugnandi, comprehendendi, arripiendi cum *hinc* componuntur.

Cic. in Catil. 2, 12, 25. *ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido.* p. Quint. 25, 79. *profecto intelligetis illinc ab initio cupiditatem pugnasse et audaciam, hinc veritatem et pudorem, quoad potuerit, restitisse.*

Criticorum opinionibus celebrata sunt verba Virgilii Ecl. 1, 54. *hinc tibi, quae semper vicino a limite saepes hyblaeis apibus florem depasta salicti, saepe levi somnum suadebit inire susurro. Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras.* ubi Doeringius *hic* restitui iussit. Verba *vicino a limite* non sunt a proximis verbis disiungenda, et *hinc* est ab altera parte.

11. Alia quoque, quibus *hinc* respondet, vocabula interdum ex adverso ponuntur: tamen non multa sunt exempla, nec antiquiora.

Liv. 4, 39, 4. *diversi Volsci hinc consulem ac legiones sustinere, altera fronte instare Tempanio atque equitibus.*

12. *Inde* quo modo et quando alteri *hinc* opponi coeptum sit, exponemus infra in v. INDE.

13. Sed quod locum attinet, transfertur ad ipsas res, et dicitur *hinc* pro ex hac re. Intelligitur origo et caussa. Quare interdum *hinc* idem est, quod ex hac caussa, propterea.

Terent. Andr. 1, 1, 99. *hinc illae lacrumae.* Cic. de Off. 3, 8, 36. *hinc sicae, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur: hinc furta, peculatus, expilationes.* p. Flacc. 23, 54. *hinc totum odium, hinc omnis offensio.* de Sen. 12, 39. *hinc patriae proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci.* quem locum Beierus considerare debebat, ne in Off. 3, 8. suspicionem moveret. de Off. 1, 18, 61. de Nat. d. 2, 24, 62. in Verr. 4. 10, 24. Plin. Hist. n. 2, 53, 53. *hinc nasci procellas.*

Virgil. Ge. 3, 308. *densior hinc soboles, hinc largi copia lactis.* i. e. ex eo. Aen. 2, 97. *hinc mihi prima mali labes.* ubi Servius: *pro haec caussa, vel propter hoc: et est adverbium locale pro coniunctione caussali.* vide eum etiam ad Eclog. 7, 49.

Liv. 8, 12, 10. *qua cupiditate offensis patribus negantibusque, nisi Pedo capto aut dedito, triumphum, hinc alienatus ab senatu Aemilius seditiosis tribunatibus similem deinde consulatum gessit.*

14. Quum *hinc* locum et rem, unde quid exeat aut eveniat, significet, potest etiam de re, ex qua aliquid efficiatur, de materia, qua quid constet, de remedio usurpari. Ita etiam de re, unde aliquid sumitur: quare dicitur *hinc bibere.* i. e. *davon trinken.* In his vero dictionibus adverbium ponitur loco pronominis cum praepositione coniuncti.

Cic. de Nat. d. 1, 23, 65. *abuteris ad omnia atomorum regno et licentia. Hinc quodcumque in solum venit, ut dicitur, effingis atque efficis.* i. e. ex his atomis.

Virgil. Ge. 2, 444. *hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris agricolae et pandas ratibus posuere carinas.* Plin. Hist. n. 33, 12, 53. *videret* (Fabricius) *hinc dona fortium fieri aut in haec frangi.* i. e. ex argento balineis sternendis dicato.

Plin. Hist. 27, 10, 59. *hinc temperatur collyrium, quod medici diaglaucion vocant.*

Cato de Re r. 127. *ubi voles cibum concoquere et lotium facere, hinc bibito, quantum voles, sine periculo.*

15. Neque aliter, si quid metaphorica dictione alicunde sumptum dicitur aut ad aliquid, tamquam ad suum genus refertur. Ita ponit Quintilianus pro *ex hoc genere.*

Plin. Hist. n. 2, 1, 1. *occasione hinc sumpta aut his data.*

Quintil. 9, 3, 65. *tertium est genus figurarum, quod aut similitudine aliqua vocum aut paribus aut contrariis convertit in se aures et excitat. Hinc est παρονομασία, quae dicitur annominatio.* **7, 4, 6.** *hinc sunt pietas, fides, continentia.* ubi quod **Spaldingius** coniecit, nunc a codice confirmatum videmus.

16. Et coniunguntur cum *hinc* verba, quae alias sequuntur verba *ex hoc*, ut sunt *pendere, incipere, sequi.*

Horat. Sat. 1, 4, 6. *hinc omnis pendet Lucilius.*

Varro de Re r. 3, 1, 10. *de quibus exponendis initium capiam hinc.*

17. Io. Henr. Vossius docuit ad Virgil. Georg. 1, 5. *hinc* significare horum partem *etwas hievon.* Quod ipsum falsum est, nec comprobatur exemplis, quae ille affert, plane diversis. Virgilii verba *hinc canere incipiam* Servius explicuit *dehinc, deinceps.* quod intellexisse videtur de ordine rerum, alieno quidem sensu. Burmannus interpretatur *nunc, post bucotica:* quod iam Mancinellus ineptum esse dixit. Sed in promptu videtur esse ratio. *Hinc* enim regitur a notione incipiendi, etiamsi poeta non primas tantum res, sed etiam ceteras antea commemoraverit. Posuit enim universa argumenta, a quibus exiens ad alias res exponendas erat digressurus.

18. Schwartzius reprehendit eos, qui hodie saepe *hinc* temere ponant, ubicumque Germanorum *daher* reddendum sit, quum quidem nusquam ponatur commode, nisi ubi verbum adsit, quod sextum casum postulet. Illum perversum usum equidem non nego: haec autem conditio non tantum valet. Nam *hinc* etiam ab optimis scriptoribus dicitur pro *quare.*

Cic. de Ost. 3, 9, 38. *hinc ille Gyges induoitur a Platone.*
Plin. Hist. n. 37, 5, 18. *hinc genera distinguuntur.*

19. De tempore usurpatur *abhinc*, quod suo loco exposuimus. Sed *hinc* quoque Augustorum aevo significare coepit *ex hoc tempore, tum, posthac.* cf. Vor-

stius de Latin. merito susp. p. 22. Et coniunguntur verba *hinc deinde*. Cum veteribus comicis recentiores scriptores *hinc* componebant etiam cum numeralibus nominibus. Omnes vero poetae *hinc* dixerunt, ubi id erat designandum, a quo aliud quid fieri inceperat. Servius ad Virgil. Aen. 1, 194. *hinc pro inde vel post.*

Valer. Flacc. 3, 671. *tibi dicta manus, tibi quidquid in ipso sanguine erit: iamque hinc operum quae maxima posco.* Ibi codices etiam *hic* praebent, quod non placet. *Hinc* potest referri ad manum et opera per eam perficienda. Sed Virgil. Ge. 3, 494. *hinc lactis vituli volgo moriuntur in herbis.* 4, 55. *hinc nescio qua dulcedine laetae progeniem nidosque fovent: hinc arte recentes excudunt ceras.* Aen. 2, 148. *amissos hinc iam obliviscere Graios.* ubi Servius. 2, 671. *hinc ferro accingor rursus.*

Plaut. Truc. 2, 3, 19. *me nemo magis respiciet, ubi iste huc venerit, quam si hinc ducentos annos fuerim mortuus.* De loco Plinii 14, 4, 3. dixi Tom. 1. p. 63. Dubia est res in fragm. Turpilii apud Priscian. de Metris com. p. 1327. *festum ecce diem hinc quartum hodie iterant ita conventum.* Putschius scripsit *hic.* Plin. Hist. n. 7, 52, 53. de Epimenide: *puerum aestu et itinere fessum in specu septem et quinquaginta dormisse annis: rerum faciem mutationemque mirantem, velut postero experrectum die: hinc pari numero dierum senio ingruente, ut tamen in septimum et quinquagesimum atque centesimum vitae duraret annum.*

Tacit. Agr. 14. *Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas res habuit.*

Plin. Hist. n. 32, 4, 15. *hinc deinde in morbos digeremus aquatilia.* 4, 23, 37. *hinc deinde Africa atque Asia dicentur.*

Tibull. 2, 4, 35. *heu, quicumque dedit formam coelestis avaroe, quale bonum multis addidit iste malis. Hinc fletus rixaeque sonant.* Et ita restituendum videtur e quibusdam codicibus v. 29. *hinc dat avaritiae caussas et coa puellis vestis et a rubro lucida concha mari.*

*) *Hinc* et *hic* saepissime commutata esse vocabula omnibus notum est. Tamen non in iis locis, quos N. Heinsius Advers. p. 604. et alibi memoravit, omnibus restituendum est *hinc*. cf. quae ad Statii Silv. p. 238. dixi. Saepe a glossatoribus substitutum est verbo *hoc*. vid. Burmann. ad Ovid. Trist. 2, 306.

HO.

Interiectio HO non alia est quam quae OH nunc scribitur. Sic Terent. Phorm. 2, 1, 56. *ho! bone custos, salve.* Apulei. de Aspirat. 45. p. 117. Osan. *Ipse enim affectus, quo interiectiones promuntur, cogit eas interdum praeaspirari, interdum postaspirari, interdum interaspirari.*

HOC.

Pronominis ablativum HOC adverbii loco poni, omnibus notum est. Nos triplicem usum distinguimus.

1. 1. Comici poetae antiqui *hoc* dixerunt, ut caussam designarent, pro *ideo*, *propterea*, ut graecum τῷ. Idque rursus in usum revocarunt scriptores aevi augustei et recentiores. Apud Ciceronem nullum exstat exemplum. Nec multa reperiuntur comicorum. Nam non possunt aliena huc referri, quale est Plaut. Mil. 2, 3, 26. *primumdum, si falso insimulas Philocomasium: hoc perieris.* Aut Pseud. 2, 3, 19. *atque hoc evenit in labore atque in dolore, ut mors obrepat interim.* Aut Men. 5, 2, 30. *hoc primum te absolvo.* i. e. in eo. Atque inter grammaticos constat, *hoc* accusativum etiam poni pro *ob hoc*, *ideo*, sicuti dicitur apud Terentium: *idne estis auctores mihi?* Ad. 5, 8, 16. Non omnes tamen diligenter distinguunt diversas rationes. Nam ubi accusativus dicitur, non caussam intelligimus, sed actionem ad aliquam rem relatam, et quum Plautus ait, *id missus sum, hoc gaudeo*, rem nominat, ad quam tendat vel dirigatur missio, quae sit gaudii res. Lindemannus cum Grutero in Plauti verbis Amph. 1, 1, 11. (13.) *nonne idem hoc luci me mittere potuit?* bene vidit esse accusativum. Eum reddamus *dazu.* Quamquam altera explicatio a Grutero proposita, *hoc* esse pro *huc* non poterit omnino improbari. Burmannus in Misc. Observ. Tom. 8. p. 362. varia miscuit, quae hic digerere non operae pretium est. conf. Wopkens. Tom. 9. p. 240.

In Plaut. Amph. 1, 1, 12. (15.) *nunc legitur: opulento homini haec servitus dura est.* sed Pseud. 3, 2, 33. *hoc hic quidem homines tam brevem vitam colunt.* 3, 2, 18. *hoc ego fui hodie solus obsessor fori.*

Lucret. 4, 660. *hoc, ubi quod suave est alicis, alicis fit amarum, illi quoi suave est, levissima corpora debent contractubiliter caulas intrare palati.* ubi vulgo legebatur olim *ergo*. v. 555. 624.

Virgil. Ge. 2, 425. *hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam.*

Plin. Epist. 2, 19, 3. *unde accidit, ut hi, qui sedentes agunt, quamvis illis maxima ex parte supersint eadem illa, quae stantibus, tamen hoc, quod sedent, quasi debilitentur et deprimantur.* Servius ad Virgil. Ecl. 10, 18. *haec quum esset nimiae castitatis et hoc a Minerva et Diana diligeretur.*

Apud Cic. ad Fam. 6, 12, 4. *hoc Pansa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Postumius plane ita faciunt, ut me unice diligant.* Male accepit Schellerus *hoc* pro *eo*, *ideo*: est enim *id*. cf. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 6, 14. Quintil. Declam. 13, 2. *verum mihi vel hoc fuit gratissima, quod non fuit digna, quam dives concupisceret.* Burmannus explicuit *hanc ob caussam, ideo.* Sed aut intelligendum erit *in eo*, aut corrigendum, ut vidit Gronovius, *vel haec fuit gratissima.*

Hygin. Fab. 34. *quam sublatam in flumine ipso violare voluit. Hoc Hercules quum intervenisset et Deianira quum fidem eius implorasset, Nessum sagittis confixit.* Munckerus explicuit *ob hoc*, eique multi crediderunt. Quod falsum puto. Dictum est ut fab. 32. *Hercules eo intervenit.*

2. Componuntur caussae particulae *quoniam* — *hoc*, *hoc* — *quia*, et alia huius generis. Ita tamen nusquam loquitur Cicero aut Caesar, nisi ubi *hoc* coniunctum est cum comparativo.

Lucret. 4, 1088. *quae quoniam certas possunt obsidere parteis, hoc facile expletur laticum frugumque cupido.*

Plaut. Rud. 2, 3, 57. *ego dicam tibi, hoc sese excruciat animi, quia leno ademit cistulam ei, quam habebat.*

II. 1. In comparatione duarum conditionum vocabula *hoc* — *quo*, *hoc* — *quod*, pro *eo* — *quod*, adduntur comparativis. Latius patet usus verbi *eo*, de quo disputavimus Tom. 2. p. 413. Sed ratio eadem est, neque iterum eam exponemus. Non sensus mutatur, sed augetur vis orationis, si praemisso *hoc* interponitur aliud vocabulum.

Cic. ad Att. 13, 36. *tamen hoc audio libentius quo saepius.* Plancus ad Cicer. ad Fam. 10, 9, 1. *certe hoc maius habes testimonium amoris mei, quo maturius tibi quam ceteris consilia*

mea volui esse nota. Tusc. 2, 23, 57. *ut enim balistae lapidum et reliqua tormenta telorum eo graviores emissiones habent, quo sunt contenta atque adducta vehementius, sic vox, sic cursus, sic plaga hoc gravior, quo est missa contentius.* Sulpicius apud Cic. ad Fam. 4, 13, 15. *quo facilius, quibus est iratior, respondere tristius possit, hoc est adhuc tardior ad te molestia liberandum.* Lucan. 4, 229. *at vobis vilior hoc est vestra fides, quod caussa pugnantibus aequa.*

Quid valeat in his pronominis natura, apparet in Cic. ad Fam. 4, 4, 6. *atque hoc ipso melior est tua quam nostra conditio, quod tu, quid doleat, scribere audes.*

Plin. Pan. 21, 4. *par omnibus et hoc tantum ceteris melior, quo melior.* I. A. Ernestius Schaefero persuasit necessarium esse *quod melior.* At redde *in so fern den Übrigen vorausgestellt, in wiefern du besser bist.*

2. Etiam unus comparativus componitur cum *hoc*, quemadmodum *eo* adiicitur. At Cicero numquam ita loquutus est, sed semper orationem continuat per *quod.* Vid. Pearcius ad Cic. de Orat. 2, 1, 4. Id non satis reputarunt Bremius ad libr. de Fato 14, 32. et Goerenzius ad libr. de Fin. 2, 14, 44.

Horat. Sat. 1, 1, 46. *non tuus hoc capiet venter plus ac meus.* 1, 9, 5. *pluris hoc, inquam, mihi eris.*

In Cic. de Orat. 2, 1, 4. scribendum mihi videtur: *Antonius autem probabiliorem in hoc populo orationem fore censebat suam, si omnino didicisse numquam putaretur.* De Fato 14, 32. unice vera est scriptura: *haec artius adstringi ratio non potest.*

3. *Eo magis* formula, de qua Tom. 2. p. 414. diximus, nihil differt ab *hoc magis*, nisi quod in *hoc* distinctior est designatio.

Plaut. Amph. 1, 1, 13. (16.) *hoc magis miser est divitis servos.* Caes. B. civ. 2, 20. *hoc vero magis properare, ut cum legionibus quam primum Gadis contenderet, ne itinere aut transiectu intercluderetur.* Ovid. Her. 18, 110. *hoc magis est cautum, ne foret illud iners.* Plin. Epist. 4, 21, 4. *cuius ego pro salute, pro moribus hoc sum magis anxius, quod unicus factus est.*

Erravit Burmannus vehementer, quum ad Ovid. Met. 11, 438. existimabat *magis hoc* dici posse pro *hoc magis.* Illud quamquam in codicibus haud paucis exstat, tamen scribendum est *magis hos reor esse timendos.*

4. Comparativum cum *hoc* coniunctum sequitur

quia vel *quod*. Apud Ciceronem interdum adiicitur *etiam*.

Cic. p. Scauro 2, 34. *cum hoc sibi contentionem fore putabat: Appius autem hoc maiorem etiam, quod illum — meminerat fuisse patricium.*

Cic. de Orat. 1, 3, 12. *quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur.* 2, 2, 9. *quod hoc etiam spe aggredior maiore ad probandum, quia non de Ser. Galbae — eloquentia scribo aliquid* etc. Horat. Sat. 1, 3, 92. *aut positum ante mea quia pullum in parte catini sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus sit mihi?*

Caesar ad Oppium apud Cic. ad Att. 9, 8. *consilio vestro utar liventer, et hoc libentius, quod mea sponte facere constitueram, ut quam lenissimum me praeberem.* ad Fam. 13, 28, 3. *quod equidem hoc vehementius laetor, quod ex ipso Mescinio te video magnam capturum voluptatem.* ad Att. 1, 16. *missus est sanguis invidiae sine dolore atque etiam hoc magis, quod omnes illi fautores illius flagitii rem manifestam illam redemptam esse a iudicibus confitentur.* de Orat. 3, 35, 143. *hoc erunt inferiores, quod in oratore perfecto inest illorum omnis scientia.* ad Fam. 5, 12, 24. de Fin. 2, 14, 44. *cum Epicuro autem hoc est plus negotii, quod e duplici genere voluptatis coniunctus est.* Tusc. 2, 4, 12.

III. *Hoc* antiquo tempore dicebatur pro eo, quod Ciceronis aevo *huc* sonabat. Poetae interdum priscam formam renovarunt. Servius ad Virgil. Aen. 8, 423. *Hoc tunc id est huc tunc: et hoc pro huc posuit secundum antiquum morem: nam ante hoc adverbium loci fuit, quod nunc abolevit: nam crebro in antiquis lectionibus invenitur, sicut in epistolis probat Verrius Flaccus exemplis, auctoritate, ratione dicens: in adverbiis pro u o plerumque maiores ponere consuetos: et sic pro huc hoc veteres dicere solebant, sicut pro illuc illo dicimus: unde etiam hoc o longum esse apparet, sicut illoc, quod pro illuc ponitur.* Ita scribenda haec videntur.

Lindemannus Comm. 2. de Adverbio p. 9. negavit *hoc* usquam pro *huc* poni: sed ipse hanc sententiam in notis ad Plaut. Capt. 3, 1, 19. mutavit: quare iniurium esset eum, qui

se ipse correxit, refutare. Ipse enim vidit, illud antiquum hoc nec exemplis, neque analogia destitui.

Plaut. Capt. 3, 1, 19. *quo imus una ad prandium? atque illi tacent. Quis ait: hoc?* vid. Gulielm. Quaest. in Capt. c. 3. p. 357. Thes. Gruter. T. 3. Truc. 2, 2, 27. *quid tu hoc occursas in urbem, quotiescumque advenimus?*

Virgil. Aen. 8, 423. *hoc tunc ignipotens coelo descendit ab alto.* Quod in hoc uno tantum loco Virgilius hanc formam admiserit, cautione factum esse putat Wagnerus, ne asper sonus verborum *huc tunc* aures laederet. Quae argumentatio parvum praebet momentum.

Plancus apud Cic. Epist. 10, 21, 11. *hoc me venire et duobus exercitibus coniunctis obiicere exercitum fidelissimum, — summae dementiae et temeritatis esse vidi.* Ita mediceus codex. Et paullo post: *quoad exercitus hoc submittatis* et *exercitum hoc traiiciendum.* Quis audeat mutare? Certe non librariorum errore factum est. An Plancus scripserit, non liquet. Brutus ad Cic. Epist. 11, 10, 6. *hoc accessit manus Ventidii.* ita Graevius e codd.

Petron. 39. *nam cancer et hoc et illoc quadrat.*

Quod afferunt ex Petron. 26. *servile officium tuentem usque hoc.* non est pro *hucusque* dictum, sed intelligitur usque ad hoc tempus. Neque *huc* substituamus in Plauti Capt. 2, 2, 79. *nunc hoc animum advortite.* cf. Pseud. 1, 3, 43. In Merc. 2, 3, 49. *ne sis me obiurga: hoc non voluntas me impulit.* veram interpunctionem servat princeps editio. Scribendum enim est *ne sis me obiurga' hoc. Non voluntas me impulit.*

HODIE. HODIEQUE.

Dubium non est, quin e simplici forma *ho* cum *die* composita factum sit *hodie:* nam in *hoc* extrinsecus *c* accessisse iam declaravimus. Quod Marius Victorinus docet his verbis p. 2457. *hactenus autem et hodie, non ut antiqui hucccetenus, hoccedie.* id puto e doctrina grammaticorum fluxisse, numquam in usu linguae fuisse. Satis erat, ut agnoscerent originem e nominibus *hoc die*, de qua Sergius in Donat. p. 1845. *nam hodie dicentes quasi hoc die significamus.* Cassiodorus p. 2312. *hodie enim, ex hoc die compositum, servavit articuli adspirationem.* Haec vero origo tantopere est obscurata, ut grammatici quidam hoc vocabulum inter ad-

verbia ponerent, quae a se nata, non ex aliis nominibus desumpta essent. Donatus p. 1758. *adverbia aut a se nascuntur, ut heri, hodie, nuper, aut ab aliis partibus orationis veniunt.* Neque negari poterit, Latinos dixisse etiam *hoc die:* immo librarii saepius id mutasse videntur. Est vero *hoc ipso die, am heutigen Tage.*

Cic. Phil. 14, 5, 14. *scitis enim per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me pridie Vinalia, qui dies hodie est, cum fascibus descensurum.* in Verr. Act. 1, 10, 31. *nonae sunt hodie sextiles.*

Terent. Eun. 1, 2, 125. *et is hodie venturum ad me constituit domum.* Andr. 2, 1, 22. *si id facis, hodie postremum me vides.* Hec. 5, 4, 39. *equidem plus hodie boni feci imprudens, quam sciens ante hunc diem umquam.*

Cic. ad Att. 13, 9. *Trebatium nobiscum habemus. Hodie mane Dolabella.*

Terent. Eun. 3, 2, 9. PA. *Ituran', Thais, quopiam es?* TH. *Ehem, Parmeno: bene fecisti. Hodie itura —.* PA. *Quo?* Redde *heute einmal:* nam excusat se, quae non semper militi obsequatur. Nisi explicemus: modo itura sum, iam itura sum.

Cic. ad Att. 15, 2. *si orationem meam, de qua hoc die ad te scripsi, legeris.* Ita edit. roman. anni 1490. et aldina. Editores nihil animadverterunt, sed scripserunt *hodie.*

2. Sed quum *hodie* dicimus, non tam diem lucidum, sed tempus cogitare solemus, cui opponitur crastinus et hesternus dies. Quare etiam de iis usurpatur, quae noctu fiunt, quemadmodum dici potest *hodierna nox.* Demonstrarunt hanc rem Donatus ad Terent. 1, 2, 25. Burmann. ad Virgil. Aen. 1, 732.

Ovid. Fast. 2, 75. *illa nocte aliquis, tollens ad sidera vultum dicet, ubi est hodie, quae lyra fulsit heri?*

3. Nec tantum diem intelligimus, sed tempus praesens, ut significetur: hoc tempore, quo vivimus, his temporibus, nunc. Ita *cras* opponitur de tempore futuro, et alia vocabula praeteriti temporis. Quo fit, ut in eiusmodi oppositione *hodie* dicatur pro *nunc primum.*

Cic. p. Lege man. 17, 53. *quid? tum, per deos immortales, si plus apud populum romanum auctoritas tua quam ipsius populi romani salus et vera caussa valuisset, hodie hunc gloriam*

atque hoc orbis terrae imperium teneremus? p. Rosc. Amer. 8, 21. *tria praedia vel nobilissima Capitoni propria traduntur, quae hodie possidet.* p. Sext. 27, 59. *qui de imperio pene certavit, regnat hodie.*

Cic. p. Flacc. 30, 72. *quae peperit apud Decianum filiam, hodieque apud Decianum est uxor Amyntae et filia.*

Cic. p. Planc. 18, 45. *isto in genere et fuimus ipsi, quum ambitionis nostrae tempora postulabant, et clarissimos viros esse vidimus et hodie esse videmus quam plurimos gratiosos.* ubi Wunderus vehementer erravit, quum voc. *gratiosos* suspectum sibi videri pronuntiaret.

Ovid. Rem. 94. *qui non est hodie, cras minus aptus erit.* Cic. ad Fam. 1, 9, 40. *neque vero ego mihi postea quidquam assumsi, neque hodie assumo, quod quemquam malevolentissimum iure possit offendere.* Vlpian. in Dig. 3, 2, 6, 1. *quamvis, si iniusta appellatio eius visa sit, hodie notari puto: non retro notatur.*

Vlpian. in Digest. 47, 20, 5, 1. *hodie nata actione.*

Heineccius in Select. antiq. 1, 3. demonstravit *hodie* a Iurisconsultis saepe usurpari pro *eo iure, quo utimur.*

4. Id arctiore notione cohibetur, quando *hodie* locali designationi verbi *illico* respondet et tempus praesens et proxime instans significat. Ita factum est, ut apud Terentium Pamphilus respondens explicaret per *cito.* Conf. Westerhovium ad Andr. 1, 5, 19.

Terent. Andr. 1, 5, 18. *praeteriens modo mihi apud forum, uxor tibi ducenda est, Pamphile, hodie, inquit, para: abi domum. Id mihi visus est dicere: abi cito et suspende te.* Fortasse huc referendus etiam est ille, de quo diximus, locus Eun. 3, 2, 10. Plaut. Cas. 3, 6, 10. *potin' a me abeas, nisi me vis vomere hodie?* Horat. Sat. 2, 7, 21. *non dices hodie, quorsum haec tam putida tendant, furcifer?*

5. Accedit igitur duplex ratio, ut, *hodie* quum dicimus, aut intelligamus rem usque ad hunc praesentem diem sive *etiam hodie* perdurasse, ubi Germani dicunt *heute noch*, *bis heute*, aut ut referamus praesentis temporis initium ad futurum, ut sit *von heute an.* Illud vero, quod primo loco posui, saepe inservit confirmandae rei, etiam cum indignatione. Sed ut hanc maiorem vim suam exprimat, collocatur particula in initio sententiae et ante verbum.

Cic. Acad. 2, 1, 3. *in eodem tanta prudentia fuit in constituendis temperandisque civitatibus, tanta aequitas, ut hodie stet Asia Luculli institutis servandis et quasi vestigiis persequendis.* ubi miror a Goerenzio laudari coniecturam *hodieque.* p. Coel. 2, 3. *quaecumque in equite romano dignitas esse possit, quae certe potest esse maxima, eam semper in M. Coelio habitam esse summam, hodieque haberi non solum a suis, sed etiam ab omnibus, quibus potuerit aliqua de caussa esse notus.* p. Sext. 3, 6. *hodie sic hunc diligit, ut vos potestis facillime — iudicare.* ubi quae Müllerus in Curis secundis p. 19. nominat exempla, non omnia huius generis sunt. Sed praecedit verbum, cuius notio praevalet, apud Cic. de Orat. 2, 38, 360. *vidi enim ego summos homines et divina prope memoria, Athenis Charmadam, in Asia quem vivere hodie aiunt, Scepsium Metrodorum.* ubi maxima vis in v. *vivere* inest, sicuti de Rep. 2, 9, 15. *id quod retinemus hodie.* Plancus ad Cic. Epist. 10, 24, 11. *quod vivit Antonius hodie.*

Terent. Phorm. 5, 8, 20. *an quidquam hodie est factum indignius.* Nos Germani *bis auf diese Stunde.*

Plaut. Pers. 4, 3, 2. *ego hodie compendi feci binos panes indies* (i. e. *von heute an*). *Ita ancilla mea quae fuit hodie, sua nunc est* (i. e. *bis heute*).

6. Diei notio, e qua adverbium natum est, tantum erat obscurata, ut nomen diei ipsi adverbio adiici posset.

Terent. Ad. 4, 1, 11. *quem ego hodie toto non vidi die.*

7. Formula est *hodie numquam* iam apud comicos obvia. De ea Donatus ad Terent. Ad. 4, 2, 31. *hodie autem aut abundat, ut Numquam omnes hodie moriemur inulti: aut numquam hodie pro nullo tempore huius diei, quia numquam per se generale est.* Neutrum verum est. *Numquam* enim usurpatur pro nullo pacto, et recte componitur cum *hodie* negatio, quae temporis rationem in se habet. Quare Heinsius iure reiecit alteram scripturam *nusquam.* In omnibus exemplis verbum est futuri. Quare etiam hanc formulam ita explicare licebit, ut *hodie* accipiamus pro *ab hoc die.*

Naevius in Equo Troiano apud Macrob. 6, 1. *numquam hodie effugies, quin mea manu moriare.* Terent. Ad. 4, 2, 31. *scio ubi sit: verum hodie numquam monstrabo.* 2, 1, 5. *quamquam est scelestus, non committet hodie umquam iterum ut vapulet.* Phorm. 5, 3, 22. *numquamne hodie concedes mihi?* Virgil. Aen. 2, 670. *numquam omnes hodie moriemur inulti.* Ecl. 3, 49. *numquam hodie effugies: veniam, quocumque vocaris.*

Titinius in Iurisperita *numquamne mihi licebit hodie dicere?* **Haec Schol. a Maio editum ad Virgil. Aen. 2, 670.**

8. Donatus ad Terent. Ad. 2, 2, 7. *hodie autem non tempus significat, sed iracundam eloquentiam ac stomachum.* Et ad Andr. 1, 2, 25. *hodie non ad tempus non plenum, sed ad comminationem refertur, ut Virgilius: numquam omnes hodie moriemur inulti.* Hinc Westerhovius, hodie, inquit, eleganter comminationi inservit. Et Ruhnkenius ad Phorm. 5, 8, 20. hodie saepe non tempus significat, sed iracundiam et stomachum. Quae afferunt exempla, omnia ita comparata sunt, ut *hodie* de re efficienda adiiciat certam temporis proximi denominationem et rem ipsam agendam confirmet. Quomodo haec dictio iracundiae conveniat, facile intelligitur.

Non huc retulerim Terent. Andr. 1, 2, 25. neque Phorm. 5, 8, 20. sed Andr. 5, 2, 25. *age nunc iam: ego pol hodie, si vivo, tibi ostendam, quid herum sit pericli fallere.* **Plaut. Curc. 5, 3, 13.** *delicatum te hodie faciam, cum catello ut accubes.* **Sic Graeci quoque. Aristoph. Plut. 433.** *ἢ σφῷ ποιήσω τήμερον δοῦναι δίκην.*

9. I. Fr. Gronovius in omnibus locis, in quibus legitur *hodie quoque*, scribendum esse censuit *hodieque.* Vid. ad Liv. 5, 27, 1. 31, 7, 9. At quapropter illa dictio corruptionis nomine reiicienda esset, non exposuit, neque huic opinioni adstipulati sunt Dukerus et Drakenborchius, quos vide ad Liv. 5, 27, 1. Proba enim est loquutio et optimo exemplo stabilita.

Cic. p. Rosc. Am. 25, 70. *eius porro civitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse, eum, qui leges, quibus hodie quoque utuntur, conscripserit.* **Liv. 5, 27, 1.** *quod hodie quoque in Graecia manet.* **1, 26, 13.** *id hodie quoque publice semper refertum manet.* **Libri scripti discrepant in Sueton. Galb. 1. Vesp. 2. Claud. 19. sed ita, ut** *que* **pro** *quoque* **a scribis suppositum videatur. Conf. Burmann. in Addend. ad Sueton. Claud. 19.**

10. Hodieqve post Augusti tempora coepit usurpari pro *hodie etiam, hodie quoque, heute noch.* In antiquiorum scriptorum libris ubi *hodieque* occurrit, simplex est copula *que* in coniungendis enuntiationum partibus ita interposita, ut quum *hodie* primo loco collocaretur, et per *que* adiungeretur superioribus, de re adhuc permanente diceretur atque significaret *und*

heute noch. Nec satis caussae erat Borrichio, ut in Cogitat. p. 275. reprehenderet Scioppium, qui in Animadvers. in Vossii libro de vitiis sermonis p. 20. scripserat: „Hodieque pro hodie quoque p. 11. et aliis locis Vossius dicit, quum tamen non nisi in ea aetate in usu fuisse coeperit, qua iam Romae latine loqui desitum fuisse, Seneca testis est.“ Nam quae ipse affert Borrichius exempla, sunt Livii, Velleii Paterculi, Plinii. Conf. Sciopp. Infam. Famiani p. 55. (44.) quem iure defendit Morhofius de Pura dictione p. 239. et Kappius ad Iensii Collectan. p. 15. Nec meliora docuit Cellarius in Curis poster. p. 55. et in Iudicio de Vindiciis lat. ling. p. 73. nec ante eum Carolus de Aquino in Miscellan. p. 7. Et mirari licet, Goerenzium non repugnasse, ne ex Drakenborchii decreto in Cic. Acad. 2, 1, 3. restitueretur illud *hodieque*, quod in Ciceronis libris, nisi ubi simplex copula nectit, nusquam reperitur. Sed ne in Livii historiis quidem invenies, quibus hunc usum confirmes. Ex reliquis scriptoribus latinis Velleius et Plinius et his recentiores quidam usurparunt hanc dictionem, quam Heumannus ad Dialog. de Caussis corrupt. eloq. p. 198. recte dicit fuisse plebeiae latinitatis, non elegantis.

Cic. Verr. 5, 25, 64. *archipiratam ipsum videt nemo, de quo supplicium sumi oportuit: hodieque omnes sic habent, — istum clam a piratis ob hunc archipiratam pecuniam accepisse.* de Orat. 1, 22, 103. Liv. 1, 17, 9. 5, 4, 14. 42, 34, 2. Sueton. Tib. 14. in quibus omnibus est *et hodie etiam, und heute noch.*

Sed Vellei. Pat. 1, 4, 3. *nam et Iones — nobilissimam partem regionis maritimae occupavere, quae hodieque appellatur Ionia.* 1, 4, 2. *vires autem veteres earum urbium hodieque magnitudo ostentat moenium.* 2, 8, 3. *qui porticus, quae hodieque celebres sunt, molitus est.* Plin. Hist. nat. 2, 58, 59. *in Abydi gymnasio ex ea caussa colitur hodieque.* 8, 45, 70. *praegrandes itaque fuere et hodieque reliquiae stirpium durant.* 30, 1, 1. *in tantum fastigii adolevit, ut hodieque etiam in magna parte gentium praevaleat.*

Quinctil. 10, 1, 94. *sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur.* sed ibi etiam nonnulli libri *quoque.* Declam. 17, 19. *deinde hoc sic probas, ut me hodieque coneris occidere.* Tacit. Germ. 3. *quod in Rheni ripa situm hodieque incolitur.* Sed cod. turic. et edit. vet. *hodie.* Dialog. 34. *quas hodieque cum admiratione legimus.* Sed edit. vet. *hodie*, cod. vatic. unus *hodie quoque.*

Inscript. apud Gruter. p. 502. *equestris ordinis ornamentum L. Vestinum familiarissime diligo et hodieque in rebus meis detineo.* **Paulus in Digest. 18, 1, 1, 1.** *sed an sine nummis venditio dici hodieque possit, dubitatur.* **Ita cod. florentin. Mamertin. Paneg. 1, 3.** *manifesta res et probata sicut hodieque testatur Herculis ara maxima.*

Haec si considerasset Hartungius, ea certe non scripsisset, quae in libro de Particulis graecis p. 110. Tom. 1. leguntur. Nemo enim umquam dubitavit, quin *hodieque* aliquando in usu latino fuerit, sed factum est hoc vocabulum eo tempore, in quo Latini *que* pro *etiam* ponere consueverunt: neque *hodieque* oriri poterat ex eo, quod omitteretur altera pars dictionis *olimque:* at ipsum *etiam*, et, quae pro eo ponuntur, *et*, *que*, coniungunt duas notiones non semper verbis expressas, atque in *hodieque* intelligitur *antea hodieque*. Germani quum loquuntur *heute auch*, cogitant *ut antea*, *ita hodie*.

11. *Hodienum* vocabulum est barbarum, quod saeculo novissimo in usum venit. Factum est in modum verbi *etiamnum*. Nemo scriptorum et ne recentiorum quidem ita loquutus est. Hi enim dixerunt *in hodiernum*. vid. Minuc. Fel. Octav. 22. Nec probari potest altera vocabuli forma nova *hodiedum* pro etiam hodie. Dufresne eam affert ex Historia monasterii gladbacensis c. 7. *in grandi cavato lapide, quem hodiedum cernere licet.*

HOI.

In Terentii Phorm. 4, 3, 58. olim legebatur *hoi*, *hui*. ubi Faernus e codd. suis scripsit *eioi*, Bentleius *oiei*. In Eun. 4, 4, 47. ubi *hoi hei* confirmabatur Prisciani testimonio p. 1012. nunc codicum auctoritate correctum est *oiei* vel *eoiei*.

HORSVM.

Horsvm, quod est *ho* sive *hoc versum*, significat ad hunc locum versus. Praeter comicos nemo hoc vocabulo usus est.

Plaut. Rud. 1, 2, 83. *surrexit: horsum se capessit: salva res.* **Mil. 2, 3, 32.** *eadem illi insidias dabo, quam mox horsum ad stabulum iunix recipiat se a pabulo.* **Terent. Hec. 3, 4, 35.** *eccum Phidippum et patrem video: horsum pergunt.* **Eun. 2, 1, 13.** *mox noctu te adigent horsum insomnia.*

HV.

Forcellinus in Lexico haec: HV, ὗ, interiectio exprimens sonum, quem quis olfaciendo edit, spiritum naribus attrahendo, vel quo quis significat se odorem deprehendere ac sentire. Plaut. Mil. 4, 6, 43. *nescio, ubi hic prope adest, quem expeto videre. hu! hu! olet profecto.* PYR. *Naso pol iam haec quidem videt plus quam oculis.* Haec de coniectura Palmerii dicta sunt. Ille enim in Spicileg. p. 758. Grut. pro *huic olet*, quod in quodam codice invenerat, scribendum censuit *hu hu.* Huic Lindemannus *hui*, *olet profecto.* At quum necessitas corrigendi nulla intercedat, nec Hedorpii codicis auctoritatem satis cognitam habeamus, in vulgata scriptura acquiescere decebit.

HVC.

Hvc Lindemanno de Adverbio 2. p. 7. visus est accusativus generis neutrius esse, cuius vestigia adhuc supersint in pronominibus *istud*, *illud*, *aliud*, eique adiici *ce* demonstrativum: *hu-ce.* Quibus addi posset, vulgari sermone *huc* pro *hoc* accusativo neutrius generis dictum esse. vid. Orellii Inscript. 2488. Et iam Ruddimannus, Tom. 2. p. 319. docuerat *huc* accusativum videri. At vestigia illa fallunt: nam *istud* sive *istut*, aequalis nominativi et accusativi forma, ex hac Lindemanni demonstratione nihil habet, quo differat ab ablativo, nisi vocalem mutabilem. Sed haud infirmo utemur fundamento, si cum aliis statuerimus *huc* esse adverbium e dativi forma desumptum. Dativi enim forma *hoic* transiit et in *huc*, ut dicebatur *oisus* pro *usus*, *loidos* pro *ludos* (vid. Schneideri Gram. 1. p. 83.) et in *huic*, sicut *quoi* factum est *cui.* Dativus vero directionem rei agendae et locum, quo quid dirigitur, significat, quemadmodum dicimus *coelo ire.* Nec mirum videri potest, veteres Latinos *hoc* pro *huc* dixisse, quum ablativi et dativi formae quomodo ad unam rationem et originem revocentur, nemo non ignoret. *Huc* igitur et *hoc* adverbia facta sunt ex *hoic*, nec quidquam obstat, quin etiam secundum antiquae linguae rationem utrumque ad ablativum referamus. Ita non modo *illuc*, sed etiam *illo* opponitur. Haec iam Perizonius cognovit ad Sanctii Min. T. 1. p. 700. Conf. QVO.

1. Primum *huc* significat in locum, in quo ego, qui loquor, sum: δεῦρο. Nec tantum propria verba eundi vel movendi componuntur, sed saepius etiam alia, quibus aut metaphora exprimitur, aut homo in loco aliquo versatus per nomen ipsius loci indicatur.

Terent. Eun. 1, 2, 39. *ego cum illo — abii huc.* Plaut. As. 2, 2, 90. *inde huc veniet postea.* Amph. Prol. 20. *pater huc me misit ad vos oratum meus.* Capt. 1, 2, 28. (22.) *sed si ullo pacto ille huc conciliari potest.* ubi vid. Gronov. Rud. 3, 4, 2. *huc respice.* Terent. 1, 2, 19. *sed huc qua gratia te accersi iussi ausculta.* Cic. p. Cluent. 2, 6. *ut ne quid huc praeiudicati afferatis.*

Poetae non raro particulam in anaphora posuerunt, etiam omisso verbo: Sil. Ital. 15, 359. *huc decus, huc nostrum.* Alia vide apud Marklandum ad Statii Silv. 1, 4, 62.

Terent. Hec. 3, 5, 52. *renumeret dotem huc, eat.* Eun. 4, 7, 26. *Pamphilam ergo huc redde, nisi si mavis eripi.*

2. Adiicitur nomen loci, quo quid perducitur vel movetur, neque mirabimur, id accusativo vel simplici, vel cum praepositionibus *in* et *ad* se efferre.

Plaut. Aul. 2, 1, 14. *te huc foras deduxi.* Cas. 2, 1, 2. *ego huc transeo in proxumum ad meam vicinam.* Terent. Hec. 1, 2, 100. *huc raro in urbem commeat.* Plaut. Aul. 3, 3, 28. *si ad ianuam huc accesseris* etc.

3. Componitur *huc* cum verbis, quae post progressionem significant statum, sicuti nomina quietis cum verbis, quae motum designant, coniungi solent. Neque vero *huc* dicitur pro *hic*, sed coniunguntur duae notiones eundi et adsistendi, atque in verbo inest significatio motus, in reliquis describitur status. cf. Arusianus Messus p. 521.

Virgil. Ecl. 2, 45. *huc ades, o formose puer.* Ge. 2, 243. *huc ager ille malus dulcesque a fontibus undae ad plenum calcentur,* ubi intelligitur *infundantur et calcentur.*

Stat. Silv. 1, 3, 72. *huc illuc fragili prosternit pectora musco.* ubi Heinsius corrigi iubet *hic illic.*

Stat. Theb. 4, 54. *huc mergere suetae ora et anhelantes tuto Phlegethonte cerastas.* Ibi alii libri *hic*, alii *huic* praebent: *huc* vero est huc venientes emergunt. Sed scribendum videtur *toto Phlegethonte.*

4. Opponitur, ut fit in reliquis huius generis, *illuc*, vel per *et*, *atque*, *que* coniunctum, vel etiam nulla interiecta particula, ut significentur ex multis vel omnibus locis incerta quaedam et diversa: quod Germani dicunt *da und dorthin*. Inde fit, ut saepe etiam pro *quocumque* ponatur. Interdum est *in utramque partem*. Et componuntur ita verba, quae motuum vices significant, veluti *huc et illuc movere*, *hin und her bewegen*. Per *que* Plinius copulat haec vocabula, non Cicero. Seneca dixit *huc et illo*.

Ovid. Met. 4, 342. *huc it et hinc illuc, et in alludentibus undis summa pedum — vestigia tingit.*

Virgil. Aen. 4, 285. *animum nunc huc celerem nunc dividit illuc.* 5, 701. *nunc huc ingentes nunc illuc pectore curas mutabat versans.* Plin. Pan. 32, 1. *qui terrarum fecunditatem nunc huc nunc illuc, ut tempus et necessitas posceret, transferret.*

Cic. de Off. 1, 28, 101. *duplex est enim vis animorum atque natura: una pars in appetitu posita est —, quae hominem huc et illuc rapit.* Quidam codd. habent *atque*. p. Coel. 8, 13. *versare suam naturam et regere ad tempus atque huc et illuc torquere et flectere.* Horat. Carm. 4, 11, 9. *huc et illuc cursitant mixtae pueris puellae.*

Cic. de Orat. 1, 40, 184. *haec igitur et horum similia iura suae civitatis ignorantem erectum et celsum alacri et prompto ore ac vultu huc atque illuc intuentem vagari — toto foro — nonne imprimis flagitiosum putandum est?* Liv. 5, 8, 8. *quum huc atque illuc signa transferrent.* 6, 25, 9. *repletas semitas, inter vulgus aliud, puerorum et mulierum huc atque illuc euntium, qua quemque suorum usuum caussae ferrent.* 6, 34, 13. *huc atque illuc signa moveri — videtis.* Cic. de Fin. 5, 28, 86. *in quo, utrum respondero, verses te huc atque illuc necesse est.* Celsus 2, 14. *ita lectus huc et illuc manu impellendus.* 8, 1. p. 501, 14. *ibique huc et illuc se inclinans maxillae facultatem motus praestat.*

Virgil. Aen. 5, 407. *et ipsa huc illuc vinclorum immensa volumina versat.* Ge. 2, 296. *ramos et brachia tendens huc illuc.* Cic. ad Att. 9, 9. *Arpinum, quum eum convenero, cogito, ne forte aut absim, quum veniet, aut cursem huc illuc via deterrima.* Tacit. Hist. 3, 3. *non, ut plerique, incerta disseruit, huc illuc tracturus interpretatione, prout conduxisset.* Ann. 1, 56. *sed exterruit Caecina huc illuc ferens arma.* Ovid. Amor. 3, 8, 8. *turpiter huc illuc ingeniosus eo.* vid. Burmann. ad Her. 20, 130.

Plin. Hist. n. 36, 1, 1. *per fluctus saevissimam rerum naturae partem huc illucque portantur iuga.* **37, 6, 22.** *veri fulgor subinde variat et plus huc illucque spargit.*

Senec. de Benef. 5, 6, 4. *sed iam ista sidera huc et illo diducet velocitas sua.* **Conf. Cortius ad Lucan. 3, 550.**

5. Eodem modo haec nomina coniunguntur per particulas disiunctivas *aut*, *vel*, *ve*.

Senec. Nat. quaest. 2, 11. *cuius* (terrae) *positiones huc aut illo versae magna ad aëris temperiem momenta sunt.*

Terent. Andr. 1, 5, 31. *dum in dubio est animus, paullo momento huc vel illuc impellitur.* **Celsus 7, 7, 3.** *mobilia, simul atque digito huc vel illuc impelluntur.*

Celsus 6, 6, 36. *sed huc illucve sine ratione moveatur.* **7, 18. p. 456.** *corpus huc illucve conversum.* **7, 3.** *sed ut haec ipsa fortuna huc illucve discernit, sic medici partium est, eniti ad reperiendam sanitatem.*

6. Etiam *tum — tum* copulant haec vocabula, ubi Germani *bald da bald dorthin.*

Cic. de Divin. 1, 53, 129. *eademque efficit in avibus divina mens, ut tum huc, tum illuc volent alites.*

7. Poetae dicunt *huc et huc.* Prosaici scriptores id non imitati sunt.

Horat. Epod. 4, 7. *videsne — ut ora vertat huc et huc euntium liberrima indignatio.*

8. A loco transfertur notio directae actionis ad rem ita, ut *huc* significet *ad hanc rem, ad hoc:* qua in dictione metaphorae amplior campus aperitur. Praecipuum locum in eo obtinent verba addendi, accedendi. Sed quod in aliis loci vocabulis nobis observandum est, etiam *huc* pro pronomine magis definito positum ad rem refertur vel ad personam ante dictam: de quo usu vide Vechner. Hellenolex. p. 237. Staveren. et Bremium ad Cornel. Ages. 8, 2. Kritzium ad Sallust. Cat. 5, 2.

Terent. Eun. 1, 2, 78. *nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique.* **Cic. de Amic. 18, 66.** *accedat huc suavitas quaedam oportet sermonum.* **de Nat. d. 2, 39, 98.** *adde huc fontium gelidas peremnitates.* **Paradox. 3, 1, 22.** *nihil huc addi potest, quo magis virtus sit, nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur.* **Ita scribendum est, non** *huic:* **codd. nonnulli praebent** *hic.* **Caes. B. civ. 1, 56.** *multa huc minora navigia addunt, ut ipsa*

multitudine nostra classis terreatur. Stat. Silv. 2, 7, 62. *huc castae titulum decusque Pollae iucunda dabis alloquutione.* Ita omnes codd. Est *huc dabis* idem, quod: ad haec adiicies consolationem.

Singulari modo componitur verbum *proviso* apud Terent. Eun. 3, 1, 4. *huc proviso, ut, ubi tempus siet, deducam.* Ad. 5, 6, 1. *ego huc ad hoc proviso quam mox virginem accersant.*

Stat. Theb. 10, 181. *haud laeti seque huc crevisse dolentes.* i. e. in tantum.

Ex vulgari usu, ut videtur, Celsus 5, 19, 21. *rubrum quoque emplastrum, quod ephesium vocatur, huc aptum est.* i. e. *dazu passend.*

Terent. Andr. 2, 3, 12. *ut ab illa excludar, huc concludar.* i. e. in has Philumenae nuptias. Cornel. Ages. 8, 2. *quod ei usu venit, quum — in acta cum suis accubuisset, sine ullo tecto, stratumque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis, neque huc amplius quam pellis erat iniecta.* i. e. in his, supra haec, *darauf.* Sed haec loquutio non elegantiam Cornelii, sed recentioris aevi negligentiam ostendit.

9. In qua translatione nata est formula *huc — ut* pro *eo — ut*, de rebus ad aliquem eventum promotis: *dahin dafs.*

Cic. in Catil. 2, 2, 4. *rem huc deduxi, ut tum palam pugnare possetis, quum hostem aperte videretis.* Caes. B. civ. 1, 62. Cic. p. Coel. 20, 47. *huc unius mulieris libidinem esse prolapsam, ut ea non modo solitudinem ac tenebras — non quaerat* etc. Tacit. Ann. 3, 73. *Tacfarinas — huc arrogantiae venerat, ut legatos ad Tiberium mitteret.*

Diversa est ratio apud Tacit. Ann. 4, 41. *huc flexit, ut Tiberium ad vitam procul Roma amoenis locis degendam impelleret.*

Vt alia huius generis adverbia, etiam *huc* cum genitivo construitur, quemadmodum Tacitus in loco modo allato dixit: *huc arrogantiae:* Val. Max. 8, 1. Ext. 6. *huc deductum necessitatis, ut abiicere se tam suppliciter — cogeretur.* Haec vero loquutio recentioris est aetatis. Exemplum, in quo loci nomen additum sit, non invenio. Nam quod afferunt Terent. Andr. 1, 1, 43. *ex Andro commigravit huc viciniae:* reiicitur et testimoniis Nonii Marcelli 9, 7. et Prisciani p. 1101. et libris scriptis, qui exhibent *huic viciniae.* Antiqua autem consuetudo, qua verbalia nomina pro verbis posita cum

adverbiis iungebantur, etiam *huc* attigit. Terent. Eun. 4, 4, 4. *quid huc tibi reditio est.*

*) Nihil frequentius est quam commutatio verborum *huc*, *huic*, *hunc*, *hinc*. Vid. critici ad Caes. B. civ. 1, 39. ad Cic. p. Cluent. 2, 6. Cortius ad Lucan. 6, 127.

HVCINE.

Quae de *hicine* diximus p. 83. etiam ad *hucine* pertinent. Est interrogativa forma, cuius exempla non multa exstare, nemo mirabitur. Scribitur recte per unam *c:* de qua re vide HICINE.

Cic. in Verr. 5, 63, 163. *hucine tandem omnia reciderunt, ut civis romanus in oppido foederatorum ab eo, qui beneficio populi romani fasces et secures haberet, deligatus in foro virgis caederetur?* Ex uno libro Lagomarsini affertur *hucne:* quod male conformatum non appellaverim, sed inusitatum et non elegans. Sallust. Iug. 14, 9. *hucine, Micipsa pater, beneficia evasere, uti quem tu parem cum liberis regnique participem fecisti, is potissimum stirpis tuae extinctor sit?*

HVCVSQVE.

HVCVSQVE, quod est usque huc, ad hunc usque locum vel ad hoc tempus, compositum videtur esse recentiori tempore, nec habemus antiquiorem Plinio testem. Cicero uno in loco dixit *inde usque*, de quo infra dicemus, et semel etiam *usque istinc.* Quo quidem rarus huius compositionis usus demonstratur. *Vsque adhuc* et Terentius et Cicero dixerunt. Vt vero vocabula *huc usque* in unum coniungamus, iubet nos et posterioris aetatis mos, quo duo vocabula uni accentui plerumque submitti solebant, et similia exempla pronominum *hactenus*, *quapropter*, alia.

Plin. Hist. n. 6, 29, 34. *hucusque Sesostris exercitum duxit.* 26, 4, 9. *mirum esset profecto hucusque provectam credulitatem antiquorum saluberrimis ortam initiis, si in ulla re modum humana ingenia novissent, atque non hanc ipsam medicinam ab Asclepiade repertam suo loco probaturi essemus evectam ultra magos etiam.*

Mamertin. Paneg. Maxim. 12. *quo solo mortem suam hucusque remoratus est.* Genethl. Maxim. 18. *sicut hucusque fecistis.*

Grat. Act. Iulian. 17. *hucusque non frustra vixisti.* Eumen. Grat. act. 14. *Bibracte quidem hucusque dicta est Iulia, Pola, Florentia.*

Paneg. Constantin. 19. *sed quid ego hucusque iocularia?*

Paneg. Constantin. 14. *studium et humanitas tua hortata est, imperator, hucusque, ut exultatio nostra verbis illud traderet.*

Apud Petronium in Sat. 26. legitur: *amicimur ergo diligenter, obliti omnium malorum, et Gitona, libentissime servile officium tuentem, usque hoc, iubemus in balneo sequi.* quod Schefferus et reliqui explicant usque ad hoc tempus sive hucusque. At hoc modo nemo loquitur. Corrupta enim sunt verba, de quibus iterum dicturi sumus in voc. IN.

HVI.

Hvi exclamatio est animi vehementius commoti, quem ipsa natura docuit hunc sonum edere.

1. Ita clamat, qui re magna et mirifica obstupefactus admirationem suam exprimit. Interdum cum admiratione coniuncta est miseratio et indignatio. Verba Terentii Eun. 4, 7, 35. docent, quomodo differat *hui* ab *hem:* in eo enim maior apparet animi commotio vehementiorque affectus.

Terent. Phorm. 3, 3, 25. *triginta* (minae)! *hui! percara est.* Plaut. Pers. 5, 2, 25. *hui, babae! basilice te intulisti et facete.* Truc. 1, 1, 7. *quot illic iracundiae sunt! quot sunt perclamanda: di vostram fidem: habui.* Ita editio prima. Nec dubito, quin restituendum sit antiquum nomen: *quot sunt periclamenta, di, vostram fidem, hui!* Qui substantiva in *mentum* formata, saepe non nisi uno exemplo comprobata, cognoscere velit, adeat Guntheri Latinit. restitut. P. 2. p. 1029. *Periculari*, ex quo factum est *periclamentum*, usurpavit Cato.

Terent. Heaut. 1, 1, 40. Chremes rastros fratris allevans: *hui, tam graves hos, quaeso.* 3, 1, 71. *hui, quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!* Cic. ad Att. 5, 11. *hui! totiesne me litteras dedisse Romam, quum ad te nullas darem?* i. e. *ei ei! wie konnte ich so oft nach Rom schreiben, ohne an dich zu schreiben?* Miratur ipse de sua negligentia. 13, 21. *hui, quam diu de nugis.*

Etiam non aliis verbis additis animi admirationem designat. Terent. Ad. 2, 2, 8. ubi Bentleius cum Faerno hanc vocem haud recte Syro tribuit. Ad. 3, 3, 57.

2. Hinc fit, ut haec particula proprium locum inveniat in interrogatione de re pene incredibili facta.

Terent. Andr. 3, 1, 16. *hui, tam cito?* Eun. 2, 1, 17. PH. *Tandem non ego illa caream, si sit opus, vel totum triduum.* PA. *Hui! universum triduum? vide, quid agas.* Heaut. 3, 3, 45. *hui! dubium id est?*

3. Ironiae inservit, ubi alienam sententiam reiicientes miramur id, quod dictum erat.

Terent. Phorm. 2, 1, 72. *hui, dixti pulchre, siquidem quisquam crederet te vivo.* Heaut. 4, 5, 28. *hui, tardus es.* quibus verbis Syrus non vult Chremetem obiurgare, quod non decuit servum, sed, ut bene vidit Calphurnius, dicit haec verba cum servili gestu. Editores quidam scripserunt *vah.*

4. Donatus quum ad Terent. Eun. 4, 7, 35. annotasset: *hui, hem, et cetera huiusmodi generis, sannae sunt adversus eos, quibus irascimur:* grammatici huic particulae tribuerunt vim irae significandae. Attamen quae afferunt exempla, sunt illa Ciceronis, quae nos supra posuimus et ex Epist. ad Att. 6, 6. *videbam sermones: hui fratrem reliquit.* ubi tantummodo homines dicuntur mirati esse vel cum quadam indignatione, vel cum miseratione. Terentii autem verba loquitur Thraso, obstupefactus de re vix credibili, cum irrisione quadam. Germani dicunt *ho ho.*

5. In Terent. Phorm. 4, 3, 58. olim legebatur *oi! hui!* Nunc vero ex Bentleii emendatione *oiei.*

IAM.

Incipio ab eo, quod in particula IAM primum oculis se offert, num *i* littera consonans sit, an vocalis. Poetae enim *iam* post vocalem ponere solebant nullo hiatu aperto, veluti Tibullus dixit *vidi iam iuvenem,* et saepe *et iam* pro spondeo posuerunt. Virgil. Ecl. 1, 83. Ge. 2, 542. Saepius tamen, vel, ut Lingius in Quaest. Plaut. p. 63. affirmat, semper *nunc iam* tribus syllabis usurpatur a comicis. Vid. Scaliger de Caus. lat. ling. 1, 12. Wassius de Senar. 10. p. 132. Bentlei. ad Terent. Andr. 1, 1, 144. nec desunt exempla simplicis *iam* bisyllabi. Vd. Plaut. Most. 1, 4, 24. Nam quum antiquissimae linguae una littera *i* fuisset, fieri tamen poterat, ut obliquata pronuntiatione vocalis in con-

sonantis sonum transiret et in quibusdam vocabulis ambiguum usum haberet. Conf. Schneideri Grammat. 1. p. 285. Quare praetermittenda erit opinio Palmeri, qui in Spicileg. p. 747. Gruter. ne, ut ait, invitis Musis *iam* in duas syllabas distraheretur, scribendum esse existimabat *iame*, quemadmodum veteres dixissent *name*. Syllaba *am*, quam Lindemannus de Adverbio 3. p. 7. indefinitum adverbium appellat, aliis videtur esse accusativus, sicuti multa adverbia in formandis nominibus adhibita sint. Id negavit Schmidius in libro de Pronomine p. 89. et 96., ubi contendit feminini generis formas adiectivorum aut raro, aut numquam induisse adverbiorum naturam: quare ipse ad eam opinionem refugit, ut in *iam*, *tam* et quae sunt similia, dativos pronominum obsoletos agnosci debere dicat: in Gothorum enim lingua et in lithuana dativum exprimi terminatione *amma* et *am*, eamdemque formam etiam latinae linguae propriam olim fuisse, sed in paucis tantum adverbiis servatam esse. Neque aliter Wüllnerus de Casibus p. 211. At ut *am* dativum latinum olim fuisse censeamus, profecto necessum erit, ut analogia in ipsa lingua latina non prorsus desideretur: alioquin frustra quaeremus vestigia in linguis alienis. Formationes enim similes et aequales saepe in multis linguis reperiuntur, quae nisi analogiam legitimam habent, singulari exemplo non poterit novum genus constitui. Dativi formae illius nulla indicia apparent in latina lingua, et si quis cum Scheidio dicat *tam* esse decurtatum *tama*, eo non demonstrabit, latinae linguae esse dativum in *ama* formandum. Ego quidem ita de hac re sentio. Adverbia, quae rerum conditionem et qualitatem significant, ipsa formantur suo modo, sed saepe in similitudinem nominum. Quare terminationes *um*, *am*, *im* quum accusativos esse dixero, adverbiales terminationes in modum accusativi formatas intellexero. Sic dicuntur *palam*, *clam*, *perperam*, *tam*, *quam*, *nam*, in quibus omnibus recte statuimus *am* esse adverbialem terminationem in modum accusativi factam.

Fundamentum significationis quaeramus in syllaba *i*, quae eadem apparet in *is*, *idem*, *ibi*, *ita*. Haec omnia habent vim definitivam, quae in se recipit relativam eam rationem, qua aliquid ad praedicatum ita refertur, ut verba *is* — *qui*, *ibi* — *ubi* totum iudicium

exprimant. Est igitur in verbis *tam*, *iam*, *quam* eadem ratio, quae inter pronomina demonstrativa et relativa intercedit. Nec haerebimus cum Lindemanno in eo, quod *iam* definitivam et demonstrativam potestatem habere videatur. Scilicet non ex indefinitis partibus *i* et *am* conflatum est, ut ille existimavit. Verae autem originis vestigia iam Martinius cognoverat, quum in Lexico p. 2. *iam* componeret cum pronomine *is*, et ex *im* ortum esse diceret. Reliqui grammatici olim radicem in hebraico nomine diei quaesivere, nunc in sanscriticae linguae primordiis indagasse sibi visi sunt. Nobis satis erit germina latinae stirpis cognovisse.

Iam igitur non tempus proprie significat, nec tempus praesens, quod notatur vocabulo *nunc*, sed distincte et exacte designat rem demonstratione definitiva, quemadmodum dicitur *hoc iam*, ubi Germani recta quasi via ad rem in eadem linea positam procedentes dicunt *dies gerade* vel *dies eben*. Ita ratio, quae inter verba *tam*, *quam*, *iam* intercedit, explicari potest verbis *eo modo*, *quo modo*, *ipso hoc* sive *illo modo*. Sed usu factum est, ut *iam* maximopere referretur ad tempus, idque vel ipsum vel cum alio tempore comparatum distinctius designaretur: qua in definitione Germani utuntur etiam verbis *eben*, *gerade*. Nec hoc fugit antiquos grammaticos. Nam Donatus docuit *iam* significare praecise tempus: eumque sequutus est in falsa quidem ratiocinatione Cortius ad Sallust. Cat. 2, 2.

Expositionem etiamsi nos possimus incipere ab iis, quae ad qualescumque res distincte designandas attinent, tamen quum ratio temporis distinguendi praevaleat, eam primo loco illustremus. Nam in omnibus partibus unum apparet significationis fundamentum, nec *iam* est particula tempori propria, ut multi olim opinabantur. Critici vero, qui ubique unam temporis notionem tenebant, eamque saepe non cum reliquis verbis congruere viderant, eo demum confugerunt, ut decernerent particulam *iam* eleganter abundare. Ita etiam censuit Eichstadius in Quaestione tertia de Flaviani testimonii authentia p. 6. afferens Terent. Heaut. 4, 3, 1. et Tacit. German. 45. Nec mirabimur antiquos grammaticos, qui huic particulae modo velocitatis (vid. Donat. ad Terent. Heaut. 4, 6, 18.), modo tarditatis (ad Andr. 1, 2, 19.) notionem tribuerunt. Nemo eorum enim perspexit primitivam vocabuli naturam.

Herzogius, qui ad Sallust. Cat. 7, 4. de discrimine particularum *iam* et *nunc* disputavit, vereor ne doctis verbis nihil dixisse videatur. Wagnerus in Quaest. Virgil. 24. p. 489. sedulo collegit exempla.

I. 1. Refertur *iam* ad tempus, et certum punctum temporis, in quo aliquid fit aut factum est, ita designat ex alius temporis ratione, ut dicatur *eo ipso tempore, suo tempore: eben, eben dann.* Quare poetae *iam tum* interdum pro simplici *tum* usurparunt, et dixerunt *iamque adeo:* de quo vide Tom. 1. p. 146. *Iam fere* significare *eben nun*, demonstravi Tom. 2. p. 694.

Liv. 24, 47, 1. *tum demum hostes excitati sunt iam et imbre conquiescente et propinqua luce.* Horat. Art. poet. 158. *reddere qui voces iam scit puer et pede certo signat humum, gestit paribus colludere.* i. e. *der eben zu sprechen weifs:* quod idem ac *tum quidem, quum.* Cic. Brut. 46, 171. *id tu, Brute, iam intelliges, quum in Galliam veneris.* i. e. *das wirst du bestimmt dann erkennen.*

Cic. p. Arch. 5, 11. *sed quoniam census non ius civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui sit census, ita se iam tum gessisse pro cive* etc. Sallust. Cat. 18, 3. *iam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur.* ubi haud bene reddes *schon damals:* est *eben damals.* Virgil. Aen. 7, 736. *patriis sed non et filius arvis contentus, late iam tum ditione premebat Sarrastis populos.* 7, 641. *pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete, — quibus Itala iam tum floruerit terra alma viris.* 8, 349. Tacit. Agr. 45. *una adhuc victoria Carus Metius censebatur: et intra Abanam arcem sententia Messalini strepebat: et Massa Baebius iam tum reus erat.* ubi qui reddunt *damals schon*, subtilitatem substruunt falsam.

2. Id praesertim apparet in conditionata sententia, ubi praemisso *si* vel *ubi* vel *ut* in apodosi ponitur *iam:* Germani dicunt *dann bestimmt.* Quod ego cur ad tempus retulerim, efficitur ea ratione, quae conditioni cum tempore communis est.

Terent. Andr. 5, 1, 6. *vide, quam iniquus sis prae studio: dum id efficias quod cupis, neque modum benignitatis neque quid me ores cogites. Nam si cogites, remittas iam me onerare iniuriis.* Cic. de Off. 3, 19, 76. *at vero si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere, iam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit, quibus possit.* in Catil. 1, 8, 21. *at si hoc idem huic adolescenti optimo P. Sextio — dixissem, iam mihi consuli*

hoc ipso in templo iure optimo senatus vim et manus intulisset. de Leg. 1, 12, 34. *quodsi interesse quippiam tantulum modo potuerit, iam amicitiae nomen occiderit.* ubi errant, qui *iam* abiecerunt. Liv. 29, 27, 8. *si iubeat eo dirigi, iam in portu fore omnem classem.* Cic. Brut. 17, 68. *id muta, quod tum ille non potuit et adde numeros et ut aptior sit oratio, ipsa verba compone et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt: iam neminem antepones Catoni.* sed conf. n. 6. Sallust. 52, 17. *si paullulum modo vos languere viderint, iam omnes feroces aderunt.* Lactant. 6, 2, 3. de Ira Dei 23, 14. de Opif. Dei 4, 10. Lucan. 1, 33. *quodsi non aliam venturo fata Neroni invenere viam magnoque aeterna parantur regna deis —, iam nihil, superi, querimur.*

Cic. Verr. 3, 94, 220. *ubi enim semel ab annonae ratione et ab aratorum voluntate res ad praetoris libidinem translata est, non est iam in lege atque in officio, sed in voluntate hominum atque avaritia positus modus aestimandi.* Liv. 6, 32, 8. *et ut semel inclinavit pugna, iam intolerabilis romana vis erat.*

3. Hoc usu efficitur, ut *iam* affirmandae rei inserviat et significet rem fieri vel fore suo tempore certo: sicuti in verbis Ciceronis modo allatis reddi potest *dann gewiſs.*

Terent. And. 4, 5, 17. *simul arbitror, iam esse aliquem amicum et defensorem ei.* Ovid. Heroid. 18, 15. *felix i, littera, dixi: iam tibi formosam porriget illa manum.*

4. Vsurpatur *iam* in denotando eodem temporis puncto, in quod duae res incidunt una. Quemadmodum *iam tum*, quod etiam sub hac ratione reddi potest *eben damals*, *gerade damals*, pro *simul* ponitur. Id refertur ad res quoque, ut duas res dicamus in uno tempore certo apparere, aut rem eamdem certo indicio recognosci.

Cic. p. Cluent. 38, 107. *qui omnes in iudiciis publicis iam tum florente republica floruerunt.*

Plin. Epist. 6, 6, 6. *hinc* (i. e. ob salubritatem regionis villae) *senes multos videas, avos proavosque iam iuvenum.* Hoc est: videas avos vivere una cum iuvenibus.

Tibull. 1, 4, 33. *vidi iam iuvenem, premeret quum serior aetas, mocrentem stultos praeteriisse dies.* ubi nec verba *vidi iam* coniungenda sunt, nec intelligenda serior aetas senectutis, sed iuventutis: nec stulti dies sunt, quibus iuvenes amoribus non inserviunt, sed in quibus amore fruuntur. Dicit enim poeta:

vidi ego eumdem iuvenem, i. e. quem iuvenem vidi, vidi etiam, quum iuventutis serius tempus instaret, moerere, quod iuvenilis aetatis gaudia absumpta fuissent, nec liceret *vivere extremae nequitiae*, ut ait Propertius.

5. Nec aliter, quando aliquid factum esse dicitur, postquam aliud quid factum esset, ut transitus rerum, non mediis interiectis, indicetur certus.

Plaut. Truc. 3, 2, 14. *heus tu, iam, postquam in urbem crebro commoveo, dicax sum factus.* Quintil. 4, 3, 2. *quod quidem natum ab ostentatione declamatoria, iam in forum venit, postquam agere caussas non ad utilitatem litigatorum, sed ad patronorum iactationem repertum est.*

6. Ponitur eadem de caussa *iam*, ubi res dicuntur certo evenire vel eventurae esse, si quid antea factum sit. Germani etiam de his loquuntur *dann bestimmt*. Haec vero significatio iis sententiis propria est, in quibus per imperativum aut per coniunctivum id fieri iubetur, quod si factum est, certo secum fert eventum. Grammatici hoc referre solent ad celerem subitumve eventum, quod non omnibus locis aptum erit. Necessitas enim non semper in temporis continuitate, sed in conditionis potestate cernitur.

Terent. Eun. 1, 2, 25. *accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis.* Cic. Tusc. 4, 24, 54. *remove perturbationes maximeque iracundiam: iam videbuntur monstra dicere* (Stoici). in Verr. 2, 62, 151. *da mihi hoc: iam tibi maximam partem defensionem praecideris.* Liv. 6, 15, 10.

Liv. 2, 29, 11. *agedum, inquit, dictatorem, a quo provocatio non est, creemus. Iam hic, quo nunc omnia ardent, conticescet furor.* Cic. de Harusp. resp. 25, 55. *tollatur haec e civitate discordia. Iam omnes isti, qui portenduntur, metus exstinguentur.*

7. Scilicet id, quod nullo interiecto temporis intervallo, sed illico sive statim fieri vel futurum esse dicitur, necessitate regitur, quae ipsa in celeritate eventus apparet. Quare potest ea distincta designatione indicari. Ita Graeci δὴ adiungunt imperativis.

Plaut. Aul. 1, 2, 25. *occlude sis fores ambobus pessulis: iam ego hic ero.* Terent. Eun. 4, 6, 26. *omitte: iam adero.* Heaut. 4, 6, 18. *bono animo es: iam argentum ad eam deferes, quod ei es pollicitus.* ubi vide Donatum et Westerhov. ad Andr. 1, 1, 144.

Horat. Sat. 1, 1, 16. *iam faciam quod voltis.* Plaut. Asin. 1,

1, 76. *viginti iam usust filio argenti minis: face id ut paratum iam sit.* Terent. Eun. 4, 6, 1. *credo equidem illum iam affuturum, ut illam a me eripiat.* Andr. 1, 2, 9. *id voluit, nos sic nec opinantis duci falso gaudio, sperantis iam amoto metu, interea oscitantis opprimi.* i. e. amoto metu etiam sperantes statim.

Burmannus et alii saepe docuerunt *iam* esse particulam celeritatis idemque significare quod *statim.* Vid. Gifan. in Ind. Lucret. Burmann. ad Ovid. Met. 7, 306. ubi aliena exempla confunduntur. Sed idem Burmannus non dubitavit ad Lucan. 2, 214. contrariam significationem tribuere particulae, quae moram ipsam denotaret. Ad 1, 63. dixit moram et dilationem excludi. Neque aliter Donatus, ut supra narravi.

8. Haec distinctior temporis designatio efficitur oppositione, qua unum tempus ratione alterius temporis distinguitur. In praesenti intelligimus aut unum hoc, quod modo est, tempus, aut maturum tempus. Quare indicat *iam* rem illico factam: *eben*, *gleich.* In praeteritis rebus aut, reiecta alia ante occupata opinione, confirmamus rem factam esse non ante longum tempus, sed proxime, aut eam ab extremo vel longius remoto tempore incepisse fieri. Illud exprimunt Germani verbis *eben erst*, hoc verbis *schon*, *eben schon:* quemadmodum *iam hodie* est *erst heute*, *iam olim* autem *schon ehemals.* Vtrumque regitur oppositionis ratione. Quae enim illico fiunt, ipsa etiam habent, quo opposita definiantur: nam dicitur res non serius, nec postea, nec ante facta. Atque notatur hoc modo etiam proximum tempus, quod idem esse videtur, et quod opponitur aut praeterito tempori longiori, ut sit *modo, haud diu:* ubi Germani dicunt *es ist eben geschehen:* aut prolongato tempori vel futuro, ut significet eodem temporis momento, illico. Conf. n. 7.

Cic. de Fin. 3, 7, 26. *videamus nunc, quam sint praeclara illa his, quae iam posui, consequentia.* Lucret. 3, 927. *brevis hic est fructus homulleis: iam fuerit: neque post umquam revocare licebit.*

Plaut. Merc. 5, 4, 2. *iam redeo.* i. e. *gleich komme ich zurück.* Vide alia p. 115.

Lucret. 3, 1013. *hoc est advorso nixantem trudere monte saxum, quod tamen a summo iam vertice rursum volvitur.* Horat. Art. poet. 468. *nec, si retractus erit, iam fiet homo.*

9. Ex oppositis cognoscuntur alia quoque. Significatur enim per *iam* et id, quod exspectatum adeoque sero evenit, et id, quod exspectationem praecurrit et non exspectatum, sed praemature vel ex improviso factum est. Illud dicimus *endlich*, *erst*, et additur interdum *aliquando*, *tandem:* hoc vero est *schon*, Vtrumque una distinctiore nota exprimitur: nimirum *iam* nihil significat, quam ut ex oppositione notionum intelligamus, aut rem non prius, aut non serius fieri. Conf. Burmann. ad Phaedr. 5, 2, 4. ad Ovid. Art. am. 3, 33. ad Lucan. 2, 214. Broukhus. ad Tibull. 2, 5, 79. Neque alio modo designamus rem in tempore promotam, vel ad extremum perductam,

Donatus ad Terent. Ad. 2, 1, 21. *et iam etiam tarditatis incusatio est, ut Virgilius:* (Aen. 12, 179.) *iam melior, iam, diva, precor.* ad Andr. 1, 2, 19. *iam modo tarditatis est signum.*

Cic. ad Att. 1, 4. *putamus enim utile esse te aliquando iam rem transigere.* ubi Corradus corrigendum censuit *aliquando tandem.* Tacit. Ann. 2, 21. *iamque sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris.* i. e. *und erst spät.* Plaut. Mil. 4, 2, 39. *iam tandem ades illico.* Liv. 22, 12, 10. *minus iam tandem aut virtutis aut fortunae poenitere suae.* Virgil. Aen. 6, 61. *iam tandem Italiae fugientis prendimus oras.* Ciris v. 46. Aristoph. Ran. 931. *ἔγωγ' οὖν ἤδη ποτ' ἐν μακρῷ χρόνῳ νυκτὸς διηγρύπνησα.*

Terent. Heaut. 5, 1, 8. *ohe iam desine deos uxor gratulando obtundere.* Apulei. Met. p. 185, 12. (p. 128. Pric.) *et tu, Fortuna, durior iam saevire desiste.* Terent. Andr. 1, 2, 19. *dehinc postulo sive aequumst, te oro, Dave, ut redeat iam in viam.* Lucan. 2, 214. *iam sanguinis alti vis sibi fecit iter.*

Liv. 21, 21, 7. *omnibus fere visendi domos oblata ultro potestas grata erat et iam desiderantibus suos et longius in futurum proiicientibus desiderium. Per totum tempus hiemis quies inter labores, aut iam exhaustos aut mox exhauriendos, renovavit corpora animosque.* Cic. ad Fam. 6, 2, 1. *gravitate valetudinis, qua tamen iam paullulum videor levari.* ad Fam. 3, 8, 16. *quum enim Laodiceae, quum Apameae, quum Synnadis — essem —, omnes iam istius generis legationes erant constitutae.* Cels. 3, 18. *neque credendum est, si vinctus aliquis, dum levari vinculis cupit, sanum iam se fingat.*

Formula *iamne abis?* utuntur ii, qui aliquem abeuntem retinere cupiunt. Plaut. Men. 2, 3, 86. Rud. 2, 7, 26.

Cic. p. Cluent. 39, 109. *iam insolentiam noratis hominis, noratis animos eius ac spiritus tribunicios.* ubi Goerenzius in notis ad Acad. p. 34. corrigendum arbitratur *nam.*

10. *Quum iam* et *iam quum* significant vel *gerade als, da eben* vel *als schon.* Sed possunt etiam idem fere exprimere, quod *simulac:* quo in usu etiam futurum sequitur. Nec aliter *qui iam* Horatius dixit. Comici *iam ut* pro simulac usurparunt. Vbi vero istae particulae disiunctae duas enuntiationis partes formant, utrique manet etiam singularis sua vis: *schon — als.* Quae Wagnerus ad Virgil. Ge. 1, 450. praecepit, aliena prorsus esse videntur.

Cic. ad Att. 1, 4. *nuper quidem quum iam te adventare arbitraremur, repente a te in mensem Quintilem reiecti sumus.* Virgil. Ge. 3, 336. *solis ad occasum, quum frigidus aera vesper temperat et saltus reficit iam roscida luna.* 4, 401. *medios quum sol adscenderit aestus, quum sitiunt herbae et pecori iam gratior umbra est.*

Cic. ad Att. 5, 19. *obsignaram iam epistolam eam, quam puto te modo perlegisse, — quum subito Appii tabellarius — mihi tuas litteras reddidit.* Orat. 51, 171. *et apud Graecos quidem iam anni prope quadringenti sunt, quum hoc probatur: nos nuper agnovimus.*

Virgil. Ge. 1, 50. *hoc etiam, emenso quum iam decedet Olympo, profuerit meminisse magis.* Cic. ad Att. 3, 22. *sed iam quum adventare milites dicentur, faciendum nobis erit, ut ab eo discedamus.* Ita mediceus codex optimus et edit. Ascens. et Victor. et recte quidem.

Horat. Art. poet. 158. *reddere qui voces iam scit puer et pede certo signat humum, gestit paribus colludere.*

Plaut. Curc. 5, 2, 46. *postquam illo ventum est, iam ut me collocaverat, exoritur ventus turbo.* Terent. Hec. 3, 3, 18. *iam ut limen exirem, ad genua accidit.*

11. Opponitur *nondum* vel alia negatio, ubi quis narrat, rem ad certum terminum processisse, qui comparetur cum altiore.

Cic. p. Cluent. 20, 56. *atque hoc tum iudicio facto, et Oppianico re et existimatione iam, lege et pronuntiatione nondum condemnato, tamen Avitus Oppianicum reum statim non fecit.* Liv. 1, 25, 6. *ad quorum casum quum conclamasset gaudio Albanus exercitus, romanas legiones iam spes tota, nondum tamen cura deseruerat.*

Caes. Bell. civ. 3, 25. *multi iam menses transierant, et hiems iam praecipitaverat, neque Brundisio naves legionesque ad Caesarem veniebant.*

Curt. 9, 6, 23. *nondum feminam aequavimus gloria, et iam nos laudis satietas cepit?*

12. Additur *iam* aliis nominibus temporis, ut ipsum tempus distinctiore nota opponatur alii tempori, praesertim praesenti. Ita fit, ut longinquum tempus et ante transactum ab ipso principio significetur, ne quis intelligat novum aut praesens: siquidem dicitur *iam a prima iuventute*, ut sit proprie *ab ipsa iuventute prima, a pueris illico, gleich von erster Jugend:* dein vero idem quod *schon von erster Jugend.* Modo additur *inde*, modo omittitur, et *usque* apponitur, et utrumque collocatur. Ita fit, ut *iam inde* sit *von nun an.* De aliis significationibus horum verborum vide INDE.

Cic. ad Fam. 1, 9, 67. *quae* (Musae) *me maxime, sicuti iam a prima adolescentia delectarunt.* 4, 7, 1. *benevolentia quae mihi iam a pueritia tua cognita est.* p. Mil. 8, 22. *dederas enim, quam contemneres populares insanias, iam ab adolescentia documenta.* ad Fam. 2, 16, 9. *deinde sententiam meam tu facillime perspicere potuisti iam ab illo tempore, quum in Cumanum mihi obviam venisti.*

Liv. 42, 11, 8. *iam ex quo ipse accepisset regnum, multa — admirando rerum successu tenuisse.*

In Terent. Heaut. 2, 1, 2. *qui aequom esse censent nos iam a pueris illico nasci senes.* Bentleius necessarium putat *iam*, quod abest a quibusdam codicibus. At non necessarium esset ob verbum *illico*, quod additum.

Cic. de Orat. 1, 10, 42. *urgerent praeterea philosophorum greges iam ab illo fonte et capite Socrate.*

Terent. Ad. 1, 1, 16. *iam inde ab adolescentia ego hanc clementem vitam urbanam atque otium sequutus sum.* Cic. p. Balb. 13, 31. *o iura praeclara atque divinitus iam inde a principio romani nominis a maioribus nostris comparata.* Phil. 14. 6, 16. *meorum omnium consiliorum periculorumque iam inde a consulatu meo testis.* ad Fam. 13, 38. *cuius cum patre magna mihi fuit amicitia iam inde a quaestura siciliensi.* Liv. 44, 25, 3. *cernebat et Persea iam inde ab initio belli omni modo spem pacis tentasse.* 1, 2, 3. Cic. de Nat. d. 2, 48, 124. *iam inde ab ortu naturae.* De formula *iam inde a* vid. Drakenborch. ad Liv. 1, 2, 3. 6, 40, 3. 9, 29, 8.

Liv. 9, 29, 8. *Appius iam inde antiquitus insitam pertinaciam familiae gerendo solus censuram obtinuit.*

Sueton. Tiber. 11. *amoenitate et salubritate insulae iam inde captus, quum ad eam ab Armenia rediens appulisset.*

Cic. in Vat. 5, 13. *ac tibi iam inde praescribo, ne tuas sordes cum clarissimorum virorum splendore permisceas.* Liv. 3, 36, 1. *ille finis Appio alienae personae ferendae fuit. Suo iam inde vivere ingenio coepit.* 9, 16, 1. *convenit, iam inde per consules reliqua belli perfecta.*

Cic. de Div. 1, 1, 1. *vetus opinio est, iam usque ab heroicis ducta temporibus, eaque et populi romani et omnium gentium firmata consensu* etc.

Terent. Heaut. 1, 2, 9. *nam mihi cum eo iam inde usque a pueritia fuit semper familiaritas.*

13. Componitur *iam* cum nominibus numeralibus temporis admodum magni et cum quibuscumque nominibus temporis longe transacti: cuius generis sunt *iam ante, iam olim, iam pridem, iam dudum, iam tum, iam tandem, iam denique.* Designatio fit per oppositionem brevioris temporis vel praesentiae. Sunt inter haec *iam dudum, iam diu*, quae a multis in unum vocabulum ita componuntur, ut altera pars videatur esse enclitica. Nec improbari id poterit, etiamsi desideremus exempla formae *iandiu, iandudum:* nec quisquam scripsit *nunciam*, quamquam plurimi *iamnunc* scripserunt.

Cic. p. Cluent. 3, 7. *ego me, iudices, ad eam caussam accedere, quae iam per annos octo continuos ex contraria parte audiatur — facile intelligo.* p. Flacc. 26, 63. *qui soli toto orbe terrarum septingentos iam annos amplius unis moribus et numquam mutatis legibus vivunt.* Phil. 6, 6, 17. ad Fam. 2, 10, 6. *ibi quintum et vigesimum iam diem aggeribus, vineis, turribus oppugnabam oppidum.* 7, 26, 1. *quum decimum iam diem graviter ex intestinis laborarem — fugi in Tusculanum.* ad Att. 5, 8. *me et incommoda valitudo — et Pomtini exspectatio — tenebat duodecimum iam diem Brundisii.* p. Lege Man. 3, 7. *ab illo tempore annum iam tertium et vicesimum regnat.* de Fin. 2, 29, 94. *ut iam decimum annum in spelunca iacet.*

Iam ante. Vide exempla Tom. 1. p. 378. Cic. ad Fam. 15, 16, 3. *quae ille Gargettius et iam ante Democritus εἴδωλα, hic spectra nominat.* Ita Orellius non primus, sed Wopkensius Lect. Tull. p. 35. (25.) emendavit. Brut. 17, 66. *amatores*

huic desunt sicuti multis iam ante saeculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi. ad Att. 7, 4. *quod mihi iam ante erat notum.* de Inv. 2, 22, 68. Cf. Gronov. ad Liv. 21, 20, 8. Liv. 27, 47, 9. *alter in destinatis iam ante animo latebris subsedit.* Cic. ad Fam. 3, 10, 14. *cuius sermo stultus et puerilis erat iam antea ad me a M. Coelio — perscriptus.* Sallust. Cat. 20, 5. *sed ego quae mente agitavi, omnes iam antea divorsi audistis.* 29, 1.

Iam aliquoties. Cic. ad Att. 3, 22. *me adhuc Plancius liberalitate sua retinet, iam aliquoties conatum ire in Epirum.* in Verr. Act. 1, 16, 49. *vos aliquot iam per annos conceptam huic ordini turpitudinem atque infamiam delere ac tollere potestis.*

Iam olim. Terent. Eun. 3, 5, 38. *et quia consimilem luserat iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi.* Virgil. Ge. 2, 396. *ac iam olim, seras posuit quum vinea frondis, frigidus et silvis aquilo decussit honorem, iam tum acer curas venientem extendit in annum rusticus.*

Iam pridem. Vide in PRIDEM. *Iam diu* vide Tom. 2. p. 287. *Iam dudum* vide infra.

Iam tandem. Cic. Agrar. 2, 37, 103. *confirmo, me esse perfecturum, ut iam tandem illi, qui honori inviderunt meo, tamen vos universos in consule deligendo plurimum vidisse fateantur.* Virgil. Aen. 6, 61. *iam tandem Italiae fugientis prendimus oras.* 10, 899. 12, 497.

Iam denique. Virgil. Aen. 2, 70. *quid iam misero mihi denique restat?*

14. *Iam tum* opponitur posteriori vel recentiori tempori. Reddi potest vel per *gleich damals*, vel per *schon damals*. Quare ex adverso ponitur *post*, *postmodo:* et additur temporis definitio verbis *quum*, *dum:* nec raro intelligitur tempus praeteritum, ex quo aliquid fieri soleat. Alium sensum, quo *iam tum* significat *eo ipso tempore*, *grade damals*, antea n. 1. memoravimus, et n. 15. notabimus, quomodo dicatur de initio. Antiquiores scriptores scripserant *iam tum*, recentiores etiam *iam tunc:* quamquam in his rebus non magna est editionum auctoritas.

Liv. 29, 1, 6. *si qui ita animati essent, malle eos sibi iam tum fateri, quam postmodo querentes, segnes atque inutiles milites reipublicae esse.*

Cic. p. Arch. 12, 30. *ego vero omnia, quae gerebam, iam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam.* Sallust. Cat. 18, 7. *iam tum non con-*

sulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur. Multa exempla e Livii libris collegit Drakenborch. ad 1, 41, 7. et ad 6, 26, 3.

Cic. ad Fam. 13, 17, 2. *eius libertum Apollonium iam tum equidem, quum ille viveret, et magnifaciebam et probabam.* ad Att. 1, 11. *ea quae iam tum, quum aderas, offendere eius animum intelligebam.* ad Fam. 7, 12, 3. *iam tum mihi non placebas, quum idem intuebare, quod et Seius familiaris tuus.* Liv. 10, 21, 14. *iam tum, quum ipse ibi cum collega rem pariter gesserit, fuisse tantum bellum, ut nec duce uno nec exercitu geri potuerit.* Vide Drakenborch. ad h. l. et ad 45, 6, 5. Liv. 45, 6, 5. *Oroandes iam tum, dum pecunia deferretur, primis tenebris solverat navem ac per altum Cretam petebat.* Drakenborchius aut *defertur* aut *quum* pro *dum* scribendum censet. Sed cohaerent partes sententiae conditionali nexu, de quo Tom. 2. p. 318. dixi. Est enim: *schon damals, als eben das Geld gebracht wurde.*

Stat. Theb. 2, 467. *haec audax etiamnum in limine retro vociferans, iam tunc impulsa per agmina praeceps, evolat.* Tacit. Hist. 4, 50. *namque aderat qui nosceret, Bebius Massa e procuratoribus Africae, iam tunc optimo cuique exitiosus.* Sueton. Ner. 7. *undecimo aetatis anno a Claudio adoptatus est Annaeoque Senecae, iam tunc senatori, in disciplinam traditus.* Aug. 89. *antiquis iam tunc curae fuisse.* vid. Burmann. ad c. 101. Iustin. 2, 9, 15. *inter ceteros tamen Themistoclis adolescentis gloria emicuit, in quo iam tunc indoles futurae imperatoriae virtutis apparuit.* Etiam Cornelius Timoth. 3. *Philippus iam tunc valens Macedo multa moliebatur.* Nam quod critici restituerunt, *tum* nescio an nullo in codice exstet vetere. Vnum inveni in Ciceronis libris exemplum ad Fam. 3, 12, 9. *nisi iam tunc omnia negotia cum summa tua dignitate confecissem.* Dubito de integritate scripturae, quam etiam apud Liv. 1, 41, 7. Gruterus mutaverat: Cortius quidem scripsit *iam nunc.*

15. Exactam temporis designationem videmus in *iam primum*, quod est in ipso principio, *gleich anfangs.* Id non animadvertens Gifanius Observ. p. 290. (554.) *iam* elegantiae caussa additum nihil fere significare putabat. Poetae interdum haec verba ponunt, ut exprimant *vorerst.* Terentius mutato ordine dixit *primum iam. Iam primum omnium* est *gleich von allem Anfang, zu allererst:* nam addito *iam* augetur vis verborum. Sed ponitur *iam* maxime in enarrandis rebus, ut narratio a re omnium prima incipiat. Hinc etiam

iam tum praemisso nomine novi temporis ad initium eius revocat. Id vero grammatici non satis reputarunt, qui voculae *iam* vim tribuebant continuandae orationis.

Terent. Andr. 3, 2, 32. *iam primum haec se e Pamphilo gravidam dixit esse: inventum est falsum: nunc, postquam videt nuptias domi apparari* etc. Heaut. 4, 1, 21. *tot peccata in hac re ostendis. Nam iam primum, si meum imperium exsequi voluisses, interemptam oportuit.* 3, 1, 42. *primum iam ancillas secum adduxit plus decem.*

Sallust. Cat. 7, 4. *iam primum iuventus simul laboris ac belli patiens erat, in castris per usum militiam discebat.* 15, 1. *iam primum adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat.* In utroque loco Kritzius explicat: ut caussam ab ipsis rei initiis referam: quod facile probaremus, nisi adiecisset sententiam de continuanda oratione, Cortium sequutus, Liv. 9, 17, 5. *iam primum, ut ordiar ab ducibus comparandis, haud equidem abnuo egregium fuisse Alexandrum, sed clariorem tamen eum facit quod unus fuit.* ubi Drakenborchius quoque temere memoravit vim connectendi orationem, alii male coniunxerunt verba *iam primum haud abnuo.* In verbis, quibus Livius historiam incipit: *iam primum omnium satis constat, Troia capta, in ceteros saevitum esse Troianos.* Drakenborchius ut haberet, quibuscum ea coniungeret, praefationem intellexit. Quod absonum esset, nisi accederet illa quam antea exposui narrationis incipiendae ratio. 40, 3, 3. *iam primum omnem fere multitudinem civium ex maritimis civitatibus — traduxit.* i. e. in ipsis rebellionis initiis. Tacit. Ann. 4, 6. Liv. 44, 18, 2. *iam omnium primum a senatu petiit* etc. 44, 38, 5. ubi etiam dixerat se esse recogniturum res olim actas. Nec aliter 5, 51, 5. ubi vid. Drakenborch. et 21, 62, 7. Ovid. Her. 4, 101. *nos quoque iam primum turba numeremur in ista.*

Virgil. Aen. 8, 190. *iam primum saxis suspensam hanc adspice rupem* i. e. *vorerst.*

Terent. Andr. 1, 3, 6. *primum iam de amore hoc comperit.* Est i. q. iamdudum.

Liv. 42, 11, 5. *itaque Persea haereditarium a patre relictum bellum et simul cum imperio traditum iamiam primum alere ac fovere omnibus consiliis.* ubi non est corrigendum *tamquam:* nam dicit Livius Persea ab ipso principio imperii fovisse illud bellum.

Virgil. Ge. 3, 187. *atque haec iam primo depulsus ab ubere matris audeat.* ubi Wakefieldus in notis ad Lucret. 1, 261.

temere *primo* a nomine *ubere* seiungit. Adverbium enim in adiectivum transiit. Apulei. de Habit. Doctr. Plat. p. 25, 29. *iam principio civitatis definit formam ad hunc modum.*

Virgil. Ge. 1, 43. *vere novo, gelidus canis quum montibus humor liquitur, — depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro ingemere.* Quae idem significant ac *iam primum vere novo.*

16. Sicuti longinquitatem temporis ad initium recurrentes definimus, ita etiam magnum temporis progressum emetientes, atque dicimus *iam biennium*, ubi nimium aut magnum tempus est significandum. Sic *iam* notat tempus longius productum et acceleratum vel anticipatum, sicque rem in tempore praeter opinionem progressam vel absolutam.

Plaut. Merc. 3, 1, 35. *ecastor iam biennium est, quum mecum rem coepit.* Curc. 1, 1, 14. *plus iam anno scio.*

Terent. Andr. 3, 4, 2. *cur uxor non adcersitur? iam advesperascit.* Plaut. Mil. 1, 1, 36. *hem, scio iam, quid vis dicere.* Celsus 7, 10. *polypum vere, qui in naribus nascitur, praecipue ferro curari iam alias posui.*

Cic. p. Lege Man. 17, 52. *obsolevit iam ista oratio, re multo magis quam verbis refutata.* ad Att. 7, 2. *quodsi tu valeres, iam mihi quaedam explorata essent.* de Sen. 19, 68. *quum id, quod ille sperat, hic iam consequutus est.* Celsus Praef. 1. p. 11, 24. *tale existimare esse moriente, immo iam mortuo.* 2, 6. *ad ultima vero iam ventum esse testantur nares acutae.* Stat. Silv. 5, 1, 30. *nunc etiam ad planctus refugit iam plana cicatrix.* Silv. 1, 2, 139. *ipsam iam cedere sensi.*

17. In rebus futuris per *iam* distinguuntur ea, quae ante debebunt praecedere, quam res sit agenda. Germani dicunt *erst.*

Cic. Brut. 25, 96. *de quibus iam dicendi locus erit, quum de senioribus pauca dixero.*

18. Tum de re proxime futura et de tempore instante usurpatur, ut indicet rem fore proximo tempore post aliud. Id est *eben, gleich.* Cf. Drakenborch. ad Liv. 2, 29, 11. 5, 39, 6.

Terent. Andr. 4, 4, 38. *nisi puerum tollis, iam ego hunc in mediam viam provolvam.* Ad. 4, 1, 10. *nunc ubi me illic non videbit, iam huc recurret.* 4, 4, 16. *atqui iam dabitur.* Phorm. 3, 3, 26. *iam opust.* c. *Iam feres.* i. e. *ich brauche es gleich. Du sollst es gleich haben.* Andr. 4, 2, 21. 4, 1, 58. Cic. Tusc. 4, 31, 67.

quam haec pulcra putet, ipse iam dicet. p. Flacc. 23, 56. *hunc te, inquit, capere non licuit. Iam il videro: sed primum illud tenebo.* Liv. 2, 29, 11. *agedum, inquit, dictatorem, a quo provocatio non est, creemus. Iam hic, quo nunc omnia ardent, conticescet furor.* Opponuntur *iam* et *nunc* apud Ciceronem Orat. 63, 212. vide p. 114. Liv. 5, 39, 6. *omne inde tempus suspensos ita tenuit animos usque ad lucem alteram, ut idemtidem iam in urbem futurus videretur impetus primo adventu, quo accesserant ad urbem.*

19. Deinde dicitur de re suo tempore certe futura ideoque confidenter exspectata vel exspectanda. Confirmatio enim additur rei. Quemadmodum nostri homines loquuntur *er wird schon kommen.* Sed plerumque id interpretantur per *mox, statim.* vide Schwabium ad Phaedr. 5, 2, 6.

Horat. Carm. 1, 4, 16. *iam te premet nox.* Tibull. 1, 1, 70. *iam veniet tenebris mors adoperta caput, iam subrepet iners aetas, nec amare deceb it.* Virgil. Aen. 4, 566. *iam mare turbari trabibus saevasque videbis collucere faces, iam fervere litora flammis.* 6, 676. *hoc superate iugum et facili iam tramite sistam.* 11, 707. *pugnaeque accinge pedestri: iam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem.*

Virgil. Aen. 6, 89. *alius Latio iam partus Achilles.* ubi miror Wagnerum reddidisse *schon wieder ein Achill.*

Tibull. 2, 5, 55. *carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas, dum licet: hic magnae iam locus urbis erit.* Stat. Silv. 1, 3, 88. *cedant quae te iam solibus aretis antia nimbosa revocabunt litora bruma.* Phaedr. 5, 2, 6. *iam curabo sentiat, quos attentarit.* i. e. *ich will ihn schon fühlen lassen.* Petron. 16, 2. *aperi, inquit: iam scies.* i. e. *mache nur auf. Du wirst schon erfahren.*

20. Sed quaerendum est, num *iam* pro *nunc* ponatur de re praesenti. Nec negari potest, antiquiores poetas et postea alios scriptores quosdam cum vulgo confudisse haec vocabula. Prudentiores autem *iam* non usurpabant, nisi cum quadam oppositione aut cum distinctione rei, aut in gradatione, qua dicitur res eo usque processisse. Indicat enim *iam* transitum ex alia actione in aliam factum et consequentiam, ideoque non modo cum praesenti, sed cum omnibus temporibus verbi componitur. Hinc vero fit, ut *iam* sit ex hoc tempore, *von nun*, vel etiam tandem, *nun endlich*, vel

levius indicet exspectationem. Quare saepe antecedit *sed*, in praecidenda exspectatione aliorum. Ita germanica *nun* et *jetzt*, graeca ἤδη et νῦν differunt. Quid, quod ipsa vocabula *nunc* et *iam* inter se opponuntur hac quidem ratione, ut *nunc* praesentiam significet, *iam* autem punctum temporis aliquo modo certum designet.

De Ennii usu verborum *iam fere* vide Tom. 2. p. 694. Sanadonius non bene explicuit *iam* apud Horat. Epist. 2, 1, 86. per *hodie*, *aujourd'hui.*

Cic. Tusc. 1, 7, 14. *age*, *iam concedo non esse miseros*, *qui mortui sunt: quoniam extorsisti*, *ut faterer*, *qui omnino non essent*, *eos ne miseros quidem esse posse.* Caussam addit, ad quam respicit *iam.*

Catull. 62, 3. *surgere iam tempus*, *iam pingues linquere mensas.* quo maturum tempus indicatur. Virgil. Aen. 5, 638. *iam tempus agi res.* de re non differenda. Stat. Theb. 2, 364. *Tydea iam socium coeptis*, *iam pectore fido aequantem curas (tantas post iurgia mentes vinxit amor) socerumque offatur tristis Adrastum.* ubi opponitur tempus ante actum. Tibull. 1, 2, 9. *ianua*, *iam pateas uni mihi*, *victa querelis.* i. e. *nun endlich.*

Terent. Andr. 1, 2, 19. *dehinc postulo*, *sive aequumst*, *te oro. Dave*, *ut redeat iam in viam.* i. e. *nun.* Eun. 2, 3, 39. *iamne imus?* 4, 4, 35. *iamne satis credis sobrium esse me?* i. e. quum haec audieris. Cic. Div. in Caec. 1, 3. *sese iam ne deos quidem in suis urbibus*, *ad quos confugerent*, *habere.* Virgil. Aen. 11, 139. *et iam Fama volans tanti praenuntia luctus*, *Euandrum Euandrique domos et moenia complet*, *quae modo victorem Latio Pallanta ferebat.* Ge. 4, 253. *quod iam non dubiis poteris cognoscere signis.* i. e. antea dubia.

Lucan. 1, 63. *sed mihi iam numen.* ubi est *jetzt schon*, *schon.*

Liv. 6, 15, 8. *iam omisso bello*, *quod simulatum sit*, *in se impetum fieri: iam dictatorem profiteri patrocinium foeneratorum adversus plebem: iam sibi ex favore multitudinis crimen et perniciem quaeri.* ubi praesens tempus opponitur praeterito.

In formula *iam faxo*, cuius usum illustrant Priscaeus ad Apulei. Met. p. 235. et interpretes Petronii 95. respicitur prius tempus et consequentia rerum. Terent. Ad. 2, 2, 1. Ovid. Rem. am. 682. *iam face ut e multis una sit illa tibi.*

Burmannus ad Petron. 44. monet, in verbis *iam scio*, *iam scis* vim inesse hanc: quod numquam deprehendere potui, sed semper suspicatus sum, verum esse deprehendi: et confert ex-

empla haec Petron. 44. *iam scio, unde acceperit denarios mille aureos.* Terent. Andr. 5, 4, 19. *nam ego quae dico vera an falsa audierim, iam sciri potest.* Eun. 5, 6, 15. *iam scis te perisse.* Liv. 1, 12, 9. *iam sciunt longe aliud esse rapere virgines, aliud pugnare cum viris.* Terent. Ad. 3, 3, 7. *iam scibo.* Sed comparat etiam locos, in quibus *nunc* legitur. In multis *iam scire* indicat rem statim cognitam. Lucan. 4, 394. *felix, qui potuit mundi nutante ruina, quo iaceat, iam scire,* loco. i. e. *auch sogleich.*

Variant libri in Cic. p. Planc. 5, 12. *venio nunc ad ipsius populi partes, ut illius contra te oratione potius quam mea disputem.* Meliores codices praebent *iam*, et recte, quum sit: praemissis his. Goerenzius in Iahnii Annal. 1. p. 324. utramque particulam falsam esse existimat, quum Cicero praeter unum locum p. Planc. 24, 58. *sed venio iam ad L. Cassium:* in hac formula *iam* numquam, saepe tamen *nunc* dicat, saepius particulam omittat. Neque eam in hoc altero loco exhibent duo libri laurentiani. Cic. de Off. 2, 2, 8. *sed iam ad instituta pergamus.* 3, 9, 39. Aliter sensit de excludenda particula Beierus ad Lael. 1, 4. de Off. 3, 32, 115. *sit iam huius loci finis.* Alii codices: *sed iam h. l. finis sit.*

Opponuntur haec apud Cic. Orat. 63, 212. *quo pacto deceat incise membratimque dici, iam videamus: nunc, quot modis mutentur comprehensiones conclusionesque, dicendum est.*

Sed Plin. Epist. 2, 11, 12. *stabat modo consularis, modo septemvir epulonum, iam neutrum.* i. e. nunc. Ita consuevit novissima aetas.

21. Cum imperativis *iam* iungitur, non quo praesens tempus significetur, sed ut nexus rerum agendarum indicetur, praegressis aliis. Quamquam in his etiam *nunc* dici potest: sed *iam* simul exprimit rem statim esse agendam. Graeci eodem modo. Pindar. Ol. 6, 37. *ἀλλὰ ζεῦξον ἤδη μοι σθένος ἡμιόνων, ᾧ τάχος.*

Virgil. Aen. 3, 41. *quid miserum, Aenea, laceras? Iam parce sepulto.* 6, 629. *sed iam age, carpe viam.* 11, 372. *nos animae viles — sternamur campis. Et iam tu, si qua tibi vis, si patrii quid Martis habes, illum adspice contra, qui vocat.*

II. Haec de iis, quae ad temporis notionem referuntur et propterea nobis primo loco consideranda sunt, quod haec ratio in particula *iam* eminet. Attamen *iam* quum non ipsum tempus indicet, sed temporis rationes distinctius exprimat, etiam in ipsis rebus de-

signandis usurpatur. Atque triplex est maxime modus. Aut enim per hanc particulam rem arctius comprehendo et distinctius constituo, aut affirmo eam, aut progredior vel ad certum terminum vel ad altiorem gradum. Quae omnia saepe ita coeunt, ut in singulis exemplis non possint discerni: quod moneo, ne quis in hac descriptione iustum ordinem desideret.

1. Componitur igitur *iam* cum pronominibus ita, ut fere idem sit quod *adeo*, de quo vid. Tom. 1. p. 143. Quemadmodum *iam hoc* est hoc ipsum, *gerade dies, eben dies: eo iam darum eben.* Sic Graeci *τοῦτο ἤδη, οὕτως ἤδη.*

Cic. p. Cluent. 21, 57. *iam hoc quoque prope iniquissime comparatum est, quod in morbis corporis, ut quisque est difficillimus, ita medicus nobilissimus atque optimus quaeritur, in periculis capitis ut quaeque caussa difficillima est, ita deterrimus obscurissimusque patronus adhibetur.* i. e. *gerade dies ist auch das Allermißlichste.* Cave tamen, ne reddendum censeas: *nun ist dies d. A.* Cicero hac quidem in oratione scripsisset *iam vero.* Classen eiecit *quoque*, quod abesse potest, sed non repugnat sententiae. Acad. 1, 6, 24. *sed quod ex utroque, id iam corpus et quasi qualitatem quamdam nominabant.* i. e. *dies eben.* de Off. 2, 19, 68. *iam illud non sunt admonendi, — ut animum advertant.* in Verr. 5, 19, 48. *iam illud minime mirum est, Mamertinos, a quo summum beneficium acceperant, — eius capiti litteris suis pepercisse.* Ita meliores libri, et probarunt Lambinus et Graevius, non item Zumptius ob falsam, ut mihi videtur, interpretationem. Liv. 22, 34, 8. *nam plebeios nobiles iam iisdem initiatos esse sacris et contemnere plebem, ex quo contemni desierint a patribus, coepisse.* 40, 35, 14. *quae quum ita sint, ego iam hinc praedico, P. C. me exercitu eo, qui nunc est, rempublicam administraturum.* quae quoniam librarii non perceperant, scripserunt *ego tamen haec praedico.* Illud vero est *eben daher.*

Tacit. Hist. 1, 13. *eoque iam Poppaeam Sabinam principale scortum ut apud conscium libidinum deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur.*

Celsus 8, 1. p. 503, 13. *quod valens ac durum a faucibus incipit, ab utroque latere lunatum et a praecordiis, iam ipsum quoque cartilagine mollitum, terminatur.* i. e. *selbst eben auch.*

2. Cum adiectivis et adverbiis *iam* coniungitur, ut id, quod his verbis dicitur, distinctione lumen accipiat. Saepe id reddi potest verbis *eben*, *gerade.* Graeci

eodem modo usurpant δή, veluti πολλὰ δὴ Demosth. p. Coron. 32. p. 262. Pindar. Ol. 6, 133. Tales sententiae etiam per *quidem*, *scilicet*, *nimirum* insigniuntur. Nec mutatur vis particulae, sive praecedit, sive post nomen ponitur.

Cic. p. Cluent. 9, 28. *itaque nubit Oppianico continuo Sassia, laetanti iam animo et spe optima confirmato.* ubi inepte intelligeretur tempus. Orat. 47, 157. *non scire quidem barbarum iam videtur.* ubi quidam librarii substituerunt *nimirum*, quod haud prudenter recepit Meyerus. 48, 161. *quod iam subrusticum videtur.* p. Mil. 28, 76. *quamquam haec quidem iam tolerabilia videbantur*, etc. de Orat. 1, 13, 58. *iam vero de legibus instituendis, de bello, de pace — dicant Graeci, si volunt, Lycurgum aut Solonem — scisse melius quam Hyperidem aut Demosthenem, perfectos iam homines in dicendo et perpolitos.* Celsus 7, 20. *donec ante oculos tota iam tunica sit.* Cic. de Sen. 14, 46. *ego vero propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector, nec cum aequalibus solum, qui pauci iam admodum restant, sed cum vestra etiam aetate atque vobiscum.* Codices variant: alii omittunt *iam*, alii transponunt. Equidem integram puto vocem, faciliusque omitterem *admodum*, tamquam a glossatore adiectum. de Rep. 2, 14, 27. *ad humanitatem atque mansuetudinem revocavit animos hominum studiis bellandi iam immanis ac feros.* Steinackerus non bene explicuit per *zur Zeit.*

Liv. 21, 61, 8. *atque urbe eorum obsessa, Lacetanos auxilium finitimis ferentes nocte, haud procul iam urbe, quum intrare vellent, excepit insidiis.* i. e. *nicht eben weit von der Stadt.* Martial. 2, 14, 1. *nil intentatum Selius, nil linquit inausum, coenandum quoties iam videt esse domi.* i. e. *so oft eben.* Sic dicitur *quum iam.* vide n. 18. Cic. p. Lege manil. 9, 24. *hoc iam fere sic fieri solere accepimus.* Nos *ganz gewöhnlich.*

3. Comparativis additum significat idem, quod *etiam* in notando maiore gradu. Hunc usum observavit Walchius Emendat. Liv. p. 90. Sed non semper ita opponuntur qualitates, ut *iam* reddi possit *noch:* interdum *iam* significat rem longius progressam.

Cic. p. Lege manil. 9, 24. *hic iam plura non dicam.* Liv. 21, 60, 4. *inde conciliata clementiae fama non ad maritimos modo populos, sed in mediterraneis quoque ac montanis ad ferociores iam gentes valuit.* 6, 16, 8. *et iam magis insignis et sordibus et facie reorum turba manliana erat.* Quintil. 1, 8, 16. *circa*

glossemata etiam, id est voces minus usitatas, non ultima eius professionis diligentia est. Enimvero iam maiore cura doceat tropos omnes. 2, 7, 3. *nam et exercebitur acrius memoria, aliena complectendo, quam sua: et qui erunt in difficiliore huius laboris genere versati, sine molestia, quae ipsi composuerint, iam familiarius animo suo affigent.* 8, 3, 75. *iam sublimius illud pro Archia.* ubi Spaldingius corrigit *nam.* Lactant. 7, 22, 15. *quoniam eos qui resurrexerint nec mori iam ulterius nec violari ullo modo fas est.* 7, 26, 4. *nec erit in hoc mundo ulla iam natio amplius praeter solam gentem dei.* ubi vid. Bünemann. Virgil. Aen. 12, 238. *talibus incensa est iuvenum sententia dictis iam magis atque magis.*

Liv. 27, 39, 7. *duodecim annorum adsuetudine perviis Alpibus factis, inter mitiora iam hominum transibat ingenia.* i. e. quae iam mitiora facta erant: *zu schon milderen Menschen.* Stat. Theb. 2, 368. *una iam potior cunctis sedit sententia.*

4. Nunc de negatione cum *iam* composita, quae multiplicem habet usum. Nos vero universum usum huius dictionis hic consideremus, etiam quae ad tempus spectant simul complectentes. Negatio igitur aut pertinet ad verbum aliudve nomen sententiae, et dicitur *iam non:* aut negatio praefigitur ipsi *iam*, ut fiat *non iam.* Hoc indicat rem in tempore, quod posthac sequitur, non locum habere, nec recurrere: *von nun an nicht,* aut significat exspectationem nimis longinquam: *nicht schon.* Illud *iam non* autem rem significat non esse, ut erat ante: *nicht mehr*, vel in praecipiti re *schon nicht.* In verbis *iam nullus*, *nullus iam* ordo verborum ambiguus est, et adiecto *amplius* praecedit *iam*, ut fiat *iam nihil amplius. Nec iam* pro *et iam non* ponitur, et *nemo iam* significat *niemand mehr*, sed *iam nemo* reddimus *eben keiner* pro *gar keiner.*

Propert. 1, 5, 11. *non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos.*

Cic. p. Quint. 1, 5. *profecto nihil est iam sanctum atque sincerum in civitate.*

Terent. Heaut. 4, 3, 1. *nulla mihi res posthac potest iam intervenire tanta, quae mihi aegritudinem afferat: tanta haec laetitia oborta est.*

Valer. Flacc. 8, 410. (426.) *ac prior ipsa dolos et quamlibet intima sensit non fidi iam signa viri nimiumque silentes una omnes.*

Cornel. Eum. 12, 1. *quum plerique omnes primo perturbati admirarentur, non iam de eo sumptum esse supplicium* etc.

Quintil. 6, 1, 10. *in epilogo vero est, qualem animum iudex in consilium ferat, et iam nihil amplius dicturi sumus, nec restat, quo reservemus.*

Liv. 10, 43, 6. *postquam iam non ex intervallo, nec missilibus, sed cominus gerebatur res.*

Ovid. Met. 4, 382. *manus tendens, sed iam non voce virili Hermaphroditus ait.* Lactant. 6, 20, 31. *adhaerentibus vitiis ad cubicula revertuntur, nec pueri modo, quos praematuris vitiis imbui non oportet, sed etiam senes, quos peccare iam non decet.* 3, 17, 31. *est tempus — quo et nos iam non sumus.*

Celsus 7, 7, 14. *exspectandum igitur est, donec iam non fluere, sed duritie quadam concrevisse videatur.*

Quintil. 6. Prooem. 11. *quam etiam deficiens, iamque non noster, ipsum illum alienatae mentis errorem circa solas litteras habuit?* Lucan. 9, 800. *tumidos iam non capit artus informis globus.* Cortius scripsit *non iam*, quod habent nonnulli codices. Quem contulit Burmannus, locus Ovidii Met. 2, 649. nil probat: nam legitur ibi rectius *nunc immortalis:* neque apud Terent. Heaut. 5, 4, 12. legitur *non iam*, et in Andr. 2, 2, 15. Bentleius restituit integram scripturam *tibi uxorem non dat iam Chremes.* ubi *iam* est *nun.*

In *nec iam* ordo verborum non nisi unus esse potest. Varro de Re r. 2, 4, 16. *quum porci depulsi sunt a mamma, a quibusdam delici appellantur, neque iam lactentes dicuntur.* Virgil. Ge. 3, 252. *ac neque eos iam frena virum — retardant.* Ovid. Fast. 4, 131. *vere monet curvas materna per aequora puppes ire, nec hibernas iam timuisse minas.* Art. am. 2, 93. *at pater infelix nec iam pater, heu, clamat.* Lucan. 2, 217. *nec iam alveus amnem, nec retinent ripae.*

Cic. de Leg. 2, 23, 59. *discebamus pueri duodecim, ut carmen necessarium, quas iam nemo discit.* ubi non est intelligendum *nunc.* in Catil. 1, 2, 5. *tum denique interficiam, quum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non iure factum esse fateatur.* Quintil. 6. Prooem. 5. *ego vel hoc uno malo sic eram afflictus, ut me iam nulla fortuna posset efficere felicem.* Virgil. Aen. 5, 633. *nullane iam Troiae dicentur moenia?*

5. Tertium genus non temporis rationem in se habet, sed *iam* iudicio definiendo inservit. *Non iam*

significat *nicht eben*, *iam non* autem *eben nicht*. In utroque res negatur apparens. Nimirum particula indicat, id quidem, quod quis dicere aut arbitrari possit, non venire in considerationem, aut non totum valere. Opponitur saepe *sed*, *tamen*. Quare fere idem est quod *non modo — sed*, quasi sit sententia *non dicam hoc — sed illud*. Quum praecedit *iam*, inhaeret negationi eamque intendit: quum post ponitur, negatio referenda est ad verbum. Sed utraque ratio facile mutatur non modo in vulgari sermone, verum etiam apud optimos scriptores.

Cic. Div. in Caec. 1, 3. *venisse tempus aiebant, non iam ut commoda sua, sed ut vitam salutemque totius provinciae defenderem.* in Verr. Act. 1, 16, 49. *hic si quid erit offensum, omnes homines non iam ex eodem ordine alios magis idoneos, quod fieri non potest, sed alium omnino ordinem ad res iudicandas quaerendum arbitrabuntur.* Liv. 30, 7, 8. *quum uxor non iam, ut ante, blanditiis satis potentibus ad animum amantis, sed precibus ac misericordia valuisset, plena lacrimarum obtestans, ne patrem suum patriamque proderet.* 2, 23, 7. *non iam foro se tumultus continet, sed passim totam urbem pervadit.* Vellei. Pat. 2, 115, 4. *quippe Perustae et Desitiates — non iam ductu, sed manibus atque armis ipsius Caesaris tum demum pacati sunt, quum pene funditus eversi forent.* Tacit. Ann. 11, 28. *non iam secretis colloquiis, sed aperte fremere.* Stat. Theb. 10, 15. *inde animus Tyriis non iam sua castra, sed ultro hostilem servare fugam.* Sueton. Tib. 13. *quo praecipue, non iam metu, sed discrimine coactus est tam suis quam matris impensissimis precibus reditum expostulare.*

Cic. Verr. 4, 27, 60. *venio nunc non iam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, sed eiusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque inesse videantur.*

Senec. de Clem. 1, 9, 7. *et quum defixum videret, nec ex conventione iam, sed ex conscientia tacentem — inquit* etc. Cic. in Verr. 5, 6, 13. *o praeclarum imperatorem, nec iam cum M'. Aquillio, fortissimo viro, sed vero cum Paullis, Scipionibus, Mariis conferendum.* Lucret. 1, 614. *unde neque avelli quidquam, neque diminui iam concedit natura.*

Caes. Bell. gall. 2, 20. *hi propter propinquitatem et celeritatem hostium, nihil iam Caesaris imperium spectabant, sed per se, quae videbantur, administrabant.*

Cic. de Am. 27, 104. *diutius enim iam in hoc desiderio esse non possum.* i. e. *lange eben — nicht.* Vellei. Pat. 2, 31, 2. *post biennium A. Gabinius tribunus legem tulit, ut, quum belli mor, non latrociniorum, orbem classibus, iam non furtivis expeditionibus piratae terrerent —, Cn. Pompeius ad eos opprimendos mitteretur.* Quintil. 8, 6, 13. *sed iam non pueris praecipimus.* 2, 7, 3. *et iam non sentientes formam orationis illam, quam mente penitus acceperint, expriment.* 8, 6, 39. Virgil. Ge. 3, 548. *praeterea iam nec mutari pabula refert, quaesitaeque nocent artes.* i. e. *überdies nützt eben nicht.* Vossius, Wagnerus Tom. 4, p. 489, et si qui alii aliter hanc sententiam ceperunt, errasse videntur.

Cic. Div. in Caec. 3, 7. *socii stipendiariique populi romani afflicti, miseri, iam non salutis spem, sed solatium exitii quaerunt.* Acad. 2, 47, 144. *deinde ad illa veniam, quae iam non ad multitudinem, sed ad vosmetipsos, qui adestis, pertinent.* Quintil. 2, 7, 4. *abundabant — figuris iam non quaesitis, sed sponte et ex reposito velut thesauro se offerentibus.* Quintil. 6, Pr. 16. *quod in nullum iam proprium usum perseveramus, sed omnis haec cura ad alienas utilitates — spectat.*

Intelligitur *sed.* Virgil. Aen. 4, 431. *non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro: nec pulcro ut Latio careat regnumque relinquat. Tempus inane peto, requiem spatiumque furori.* Minuc. Fel. 21. *haec iam non sunt sacra: tormenta sunt.* Conf. Miscell. Observat. Tom. 10, p. 25.

Cic. ad Fam. 5, 2, 26. *addam et illud etiam, quod iam ego curare non debui, sed tamen fieri non moleste tuli atque etiam, ut ita fieret, pro mea parte adiuvi, ut senatusconsulto meus inimicus, quia tuus frater erat, sublevaretur.*

Iustin. Praef. 5. *quod ad te non iam cognoscendi magis quam emendandi caussa transmisi.* Ita cod. Dorvillii, alii *tam.* Editores plurimi eiecerunt particulam, uni Wopkensio bene cognitam. Paulinus Epist. ad Aprum: *nec iam scholastico magis quam divino sermone.*

6. Et quum per *iam non*, sive *non — iam* apertum aut certum esse significetur, rem non fieri aut esse, his ipsis verbis conficitur forma affirmationis, quemadmodum verba *es kann eben nicht geschehen* significant rem certo non posse fieri. In colloquiis usurpatur ad confirmandam veritatem, sive praecesserit simulatio rei sive dubitatio.

Cic. de Leg. 2, 6, 13. *praeclare intelligo: nec vero iam aliam esse ullam legem puto non modo habendam, sed ne appellan-*

dam quidem. Alii fortasse explicabunt: quum hoc sit. At ordo verborum aliter suadet. Quintil. 4, 1, 22. *si necessitas exigit, non erit iam ex arte oratoria.* i. e. *so gehört es eben nicht zur rednerischen Kunst,* quod idem fere ac *so gehört es gar nicht.* Cic. p. Cluent. 38, 105. *tum etiam illi quinque, qui — tum illum absolverunt, iam suam clementiam laudari magnopere nolebant.* i. e. *sie mochten eben nicht rühmen.*

Phaedr. 1, 8, 1. *qui pretium meriti ab improbis desiderat, bis peccat, primum quoniam indignos adiuvat, impune abire deinde quia iam non potest.* ubi mirum quam inepta interpretibus sententia placuit. Redde *weil er eben nicht kann ohne Schaden davon kommen.*

Cic. Verrin. 3, 94, 220. vide supra. Lucret. 3, 776. *at non sunt iam immortali ulla pericla.*

Praemissa sententia conditionali Lactant. 3, 7, 9. *si eligere possumus, quod est melius: iam non est philosophia nobis necessaria, quia sapientes iam sumus qui de sapientum sententiis iudicemus.* 5, 19, 23. *nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, iam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur.* 6, 12, 2. 6, 23, 22.

Terent. Heaut. 4, 6, 16. *iam non sum iratus.* Simulaverat antea iram Syrus: tamen verba non reddiderim, *ich bin nicht mehr böse:* dicit enim ille: *ich bin gerade nicht böse,* i. e. vide, non sum iratus. Vulgus Germanorum particulam *nun*, mutata pronuntiatione, in similem modum usurpat: *na ich bin nicht böse.*

Cic. Orat. 47, 158. *nam amovit dicimus et abegit et abstulit, ut iam nescias, ab verum sit an abs.* i. e. *dafs man eben nicht weifs, ob —.*

7. Additur *iam* in formulis *non solum — sed, non modo — sed:* de quibus Bremius falsam prodidit regulam, quasi *iam* tempus significans suum locum occuparet per vim in notione temporis insitam. Tamen ratio non alia est quam in formulis *non iam, iam non.*

Liv. 7, 18, 9. *relinquendumque non campum iam solum, sed etiam urbem captam atque oppressam regno patriciorum.* Cornel. Milt. 1, 1. *quum — ea esset aetate, ut non iam solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui, talem futurum, qualem cognitum iudicarunt, accidit* etc. Bremius scripsit *iam non* eo errore, quo librarii quidam ordinem verborum mutaverant. Est vero: *nicht eben allein.*

Liv. 21, 7, 8. *deinde iam non pro moenibus modo atque turri*

tela micare, sed ad erumpendum etiam in stationes operaque hostium animus erat. Quintil. 1, 1, 19. *quae non modo iam est in parvis, sed tum etiam tenacissima est.*

8. Latini quando cogitant rem aliquam aliquid efficere aut per se aut solam, non aliis rebus adiuvantibus, dicunt *iam*, ubi nos Germani vel *schon* vel *eben* usurpamus.

Quintil. 4, 2, 94. *somniorum et superstitionum colores ipsa iam facilitate auctoritatem perdiderunt.* Cic. de Off. 1, 12, 37. *quamquam id nomen durius iam effecit vetustas.*

9. In designanda re certo eventura *iam* exprimit eventum haud dubium, sed certum, quasi ad perfectam rem provocet. Quare etiam praesens ponitur verbi.

Tibull. 2, 5, 39. *impiger Aenea, — iam tibi laurentes adsignat Iupiter agros: iam vocat errantes hospita terra lares.* Propert. 4, 6, 39. *vince mari, iam terra tua est.*

Plaut. Amph. 2, 2, 161. *at cum cruciatu iam, ni apparet, tuo.* Lindemannus maluit abiicere *iam* quam pro *nisi*, quod praebent codices, scribere *ni*. Sed omiserunt librarii *iam* non intellectum et scripserunt *nisi*, ut numerus syllabarum compleretur.

10. Componuntur *iam prope*, *prope iam*, *iam ferme*, *iam pene* sive de numero magno, sive de longinquo termino, ut rem adeo productam vel auctam esse indicemus. Quod etiam ad deminutionem magnam referri potest. Goerenzius in Iahnii Annal. I. 1. p. 43. observasse se narrat, Ciceronem semper dixisse *prope iam*, numquam *iam prope*. At quod Cicero p. Rosc. Am. 22, 62. scripsit: *in his levioribus peccatis, quae magis crebra et iam prope quotidiana sunt* etc. nemo de correctione cogitat, praesertim quum in reliquo particulae usu ordo verborum non sit stabilitus. Conf. n. 20.

Terent. Heaut. 1, 1, 45. *eius filiam ille amare coepit virginem, prope iam ut pro uxore haberet.* 1, 1, 52. *amicam ut habeas prope iam in uxoris loco.* Cic. ad Fam. 1, 5, 6. *nec — ad eum deferri, ad quem prope iam delatum existimatur.* Caes. B. civ. 1, 81. *quae* (seges) *prope iam matura erat.* Hirt. Bell. Alex. 63. *prope iam constituta opera.* Cons. Davis. et Oudendorp. ad Caes. Bell. civ. 3, 70. Liv. 45, 41, 11. [ad alterum] *ex Capitolio prope iam exspirantem veni.*

Cic. ad Fam. 3, 6, 9. *ex annua provincia, quae mihi longa videtur, prope iam undecim mensium provinciam factam esse gaudebam.*

Cic. Phil. 1, 5, 13. *ad similem virtutem et simile factum stirpem iam prope in quingentesimum annum propagavit.* Goerenzius eiiciendum censet *iam*, quod fecerant auctor iuntinae et Gruterus. ad Fam. 2, 5, 2. *ita sunt omnia debilitata et iam prope exstincta.* ubi quum *et* errore scribae in mediceo codice vel in antiquiore aliquo omissum esset, nata est reliquorum librorum discrepantia.

Liv. 2, 23, 14. *iam prope erat, ut ne consulum quidem maiestas coerceret iras hominum.* 40, 32, 5. 2, 65, 6.

Terent. Andr. 1, 5, 49. *iam ferme moriens me vocat.* Cic. de Off. 1, 1, 3. *hos etiam de philosophia libros, qui iam illis fere aequarunt, studiose legas.*

Quintil. 8, 4, 29. *demus ergo breviter hoc desiderio iam pene publico.* 9, 3, 1. *pene iam quidquid loquimur figura est.*

11. Simili modo componuntur *non modo — sed iam* pro *sed adeo.*

Liv. 21, 63, 6. *non cum senatu modo, sed iam cum diis immortalibus C. Flaminium bellum gerere.*

12. Inest in hac particula aliqua affirmandi vis, quae proficiscitur ex demonstratione apertae vel conspicuae rei. Dicimus enim *iam*, ubi rem ipsam distincte eloquimur. Idque referri potest ad totam enuntiationem confirmandam et particula in fine sententiae poni. Eodem modo Germani *eben*, *geradehin.* Interdum componuntur *et iam*, quasi dicatur *et ergo.* Hac ratione Graeci *καὶ δὴ* loquuntur. Et additur ipsum vocabulum *ergo.* Manet haec vis in vocabulo *etiam.* Neque errabis, si *iam* quibusdam in locis reddideris *allerdings, wirklich.*

Cic. de Fin. 5, 5, 14. *praetereo multos, in his doctum hominem et suavem, Hieronymum: quem iam cur Peripateticum appellem, nescio.* i. e. *warum ich ihn geradehin einen Peripatetiker nennen soll.*

Plaut. Capt. 2, 2, 107. *hoc quidem haud molestum est iam, quod collus collari caret.* i. e. *es ist gar nicht lästig eben.* Cic. Lael. 21, 77. *loquor enim iam, ut paullo ante dixi, non de sapientium, sed de communibus amicitiis.* i. e. *ich spreche nemlich eben.* p. Mil. 28, 76. *quae vero aderant iam et impendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis aut ferre?* de Fin. 2,

22, 74. *quid enim merere velis iam, quum magistratum inieris?* Plaut. Epid. 1, 2, 8. *iam istoc probior es, meo quidem animo, quum in amore temperes.* Terent. Eun. 5, 2, 43. *te quoque iam, Thais, ita me di bene ament, amo.* Inepte reddunt *auch dich schon hab' ich lieb.*

Cic. de Fin. 5, 21, 59. *etsi* (natura) *dedit talem mentem, quae omnem virtutem iam accipere posset* etc. Librarii et critici, qui elegantiam non intellexerunt, particulam eiecere. Acad. 2, 12, 45. *huic rationi quod erat consentaneum, faciebat, ut contra omnium sententias dicens iam plerosque deduceret.* Haec Gesnerus egregie emendavit *dies* in *dicens* mutando: reliqua sana sunt. Nam *deducere* est ab illorum sententia in suam deducere, sicuti a Caesare Bell. gall. 7, 37. adolescentes dicuntur *praemio deducti.* Reddo: *so dafs er wirklich sehr viele für sich gewann.* Quintil. 9, 2, 58. *imitatio morum alienorum — iam inter leniores affectus numerari potest.* 7, 1, 62. *reliqua iam aequitatis sunt.* Tacit. Germ. 46. *cetera iam fabulosa.*

Lucret. 3, 880. *neque hilum differre, ullo fuerit iam tempore natus, mortalem vitam mors quom immortalis ademit.* i. e. *ob er wirklich einmal geboren war.* Ineptit Hartungius, quum in libro de Particul. graec. 1. p. 240. ait, *iam* exprimere rem nihil differre (*den Begriff der Gleichgültigkeit*). Virgil. Aen. 10, 881. *desine. Iam venio moriturus.* Quae Wagnerus Tom. 4. p. 489. scripsit, vim particulae non explicant. Redde: *ich komme ja als ein Sterbender.*

Cic. p. Cluent. 41, 113. *esto: potuit esse innocens Falcula. Iam ergo aliquis Oppianicum gratis condemnavit: iam non eos Iunius subsortitus est, qui pecunia accepta condemnarent.* Tacit. Germ. 45. *illuc usque et fama vera: tantum natura. Ergo iam dextro suevici maris litore Aestyorum gentes alluuntur.* Opponit Tacitus veram rerum naturam iis, quae fama percipiuntur, et illuc usque, inquit, ad extremum terrarum orbem pertinet fama vera: tantum vero, quod ego teneo, natura ipsa docet. Ergo iam i. e. aperte in dextro maris litore Aestyi conspiciuntur.

13. Vtrumque coniungas et adscensum ad maiora vel eximia et affirmationem rei mirae et incredibilis, et habebis *adeo* per *iam* expressum.

Tacit. Ann. 1, 21. *adcurritur ab universis et carcere effracto solvunt vincula desertoresque ac rerum capitalium damnatos sibi iam miscent.* ubi conf. Waltherum.

14. Videtur *iam* pro *etiam* poni, sive intelligas ac-

cessionem, sive adscensum ad maiora: certe utrumque vocabulum attingit significationem particulae *adeo*.

Cic. ad Fam. 14, 14, 1. *vestrum iam consilium est, non solum meum, quod sit vobis faciendum.* Quintil. 11, 3, 177. *unum iam his adiiciendum est.* Liv. 26, 33, 3. de quo loco vide n. 15.

Tacit. Ann. 2, 21. *nec minor Germanis animus, sed genere pugnae et armorum superabantur, quum — miles — nuda ora foderet viamque strage hostium aperiret: imprompto iam Arminio ob continua pericula, sive illum recens acceptum vulnus tardaverat.* Agr. 10. *sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum, velut in cuneum tenuatur.* Falsa est Walchii interpretatio, neque *iam* umquam significat *fast*, nec procurrentes terrae sunt *wieder vorlaufendes Land.* Dicit vero Tacitus terras etiam extremo litore procurrentes in cuneum tenuari.

15. Gradatio illa cernitur in formulis *et iam*, *iamque*, *iam etiam*, quod significat *sogar auch*. *Et iam*, quod est pro *et adeo*, respondet graecis verbis καὶ — ἤδη. Tamen non ubique id intelligitur. Saepe *et* coniungit enuntiationes, atque *et iam* dicitur de tempore vel maturo vel praeoccupato, ut sit *und schon*. Quomodo transitus in aliam enuntiationem per has particulas comparetur, infra n. 24. s. explanabimus. *Iam et* explicandum est aut per *iam etiam*, *auch schon*, aut per *adeoque*.

Cic. Brut. 25, 96. *hoc in oratore latino primum mihi videtur et lenitas apparuisse illa Graecorum et verborum comprehensio, et iam artifex, ut ita dicam, stilus.* Ita enim scribendum est, non *etiam*. 18, 70. *pulchriora etiam Polycleti et iam plane perfecta, ut mihi quidem videri solent.* ad Fam. 4, 6, 9. *sed quum cogitarem haec mihi tecum et cum quibusdam esse communia et quum frangerem iamque ipse me cogerem illa ferre toleranter, habebam quo confugerem.* Ita codex Gruteri, adstipulante etiam mediceo, et recte quidem. ad Fam. 1, 1, 3. *Pompeium et hortari et orare et iam liberius accusare et monere — non desistimus.* Liv. 26, 33, 3. *cives romanos affinitatibus plerosque et propinquis iam cognationibus ex connubio vetusto iunctos.* sive ut optimi codices praebent *iamiam*. Quintil. Declam. 5, 3. *delicatus, impatiens et iam similis aegro.*

Cic. Tusc. 1, 4, 7. *in quam exercitationem ita nos studiose dedimus, ut iam etiam scholas Graecorum more habere auderemus.*

Brut. 76, 263. *C. Sicinius — probabilis orator, iam vero etiam probatus.* conf. ETIAM. Liv. 22, 15, 1. *quamquam probe scit, non in castris modo suis, sed iam etiam Romae infamem suam cunctationem esse.* ubi non transiecta sunt verba, quemadmodum existimavit Drakenborchius. 34, 2, 11. *maiores nostri nullam, ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt: in manu esse parentum, fratrum, virorum: nos, si diis placet, iam etiam rem publicam capessere eas patimur.* Iustin. 2, 4, 6. *singulare omnium saeculorum exemplum ausae agere rem publicam sine viris: iam etiam cum contemptu virorum se tuentur.*

Cic. ad Fam. 10, 20, 5. *nunc vero etiam iam erroris caussa sublata est.* ubi Manutius delevit *iam.* Tacit. Dialog. 11. *frequentiam salutationum concupisco, non magis quam aera et imagines, quae etiam iam me nolente in domum meam irruperunt.* ubi Lipsius eiecit *iam*, nemo restituit.

Liv. 27, 39, 2. *Hasdrubalem movisse ex hibernis et iam Alpes transire.* Alia vide n. 9.

Sueton. Ner. 47. *verum clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum rediit: unde iam et custodes diffugerant, direptis etiam stragulis.* Liv. 29, 23, 4. *ad eam rem consummandam tempusque nuptiis statuendum (iam enim et nubilis erat virgo) profectus Hasdrubal.* In duobus tribusve codicibus omissum est *et*, quod nemo desiderabit quidem, nec tamen falsum est. Tacit. Hist. 1, 23. *nec deerat Ptolemaeus, iam et sceleris instinctor, ad quod facillime ab eiusmodi voto transitur.* Nec aliter 1, 22. *Ptolemaeus, Othoni in Hispania comes, quum superfuturum eum Neroni promisisset, postquam ex eventu fides, coniectura, iam et rumore senium Galbae et iuventam Othonis computantium persuaserat, fore ut in imperium adsciscerctur. Coniectura* enim non erat illorum senium computantium, sed Ptolemaei.

16. *Iam* quum locum habeat in sententiis, quae verum rei successum atque effectum significant, componuntur verba *ut iam:* hoc est, *dafs eben, dafs gerade.*

Cic. de Leg. 1, 4, 11. *atqui vereor, ne istam caussam nemo noscat tibique semper dicendum sit: et eo magis, quod te ipse mutasti et aliud dicendi instituisti genus, ut — tu a contentionibus, quibus summis uti solebas, quotidie relaxes aliquid, ut iam oratio tua non multum a philosophorum lenitate absit.* Errant qui intelligunt *nunc.* 1, 7, 23. *parent autem huic coelesti de-*

scriptioni mentique divinae et praepotenti deo: ut iam universus hic mundus una civitas sit communis deorum atque hominum existimanda. Orat. 17, 56. *diserti deformitate agendi multi infantes putati sunt, ut iam non sine caussa Demosthenes tribuerit et primas et secundas et tertias actioni.* Acad. 1, 12, 45. *huic rationi quod erat consentaneum, faciebat, ut contra omnium sententias dicens iam plerosque deduceret.* Ita enim scribendum videtur. Vid. not. ad Wopkens. Lect. Tull. p. 29. At Liv. 27, 51, 10. *statum quoque civitatis ea victoria movit, ut iam inde, haud secus quam in pace, res inter se contrahere vendendo, emendo, mutuum dando, argentum creditum solvendo auderent.* In his coniungas verba *iam inde*, quod significat tempus praematurum.

17. *Vt iam* alio in usu significat *quamvis*, *wie auch schon*, *wenn schon:* quam significatiouem Gronovius ad Liv. 22, 25. aliique uni vocabulo *ut* tribuerunt. Id conditionale recte appellat Walchius Emendat. Liv. p. 88. in eo tamen falsus, quod *iam* pene abundare dicit.

Cic. de Fin. 4, 24, 66. *ut iam omnes insipientes sint miseri, quod profecto sunt: non est tamen aeque miser, qui patriae consulit.* ne cum Goerenzio consequutionem cogites. Liv. 34, 32, 13. *at enim, ut iam ita sint haec, quid ad vos, Romani?* 42, 12, 10. *iuventutem, ut iam macedonia deficiat, velut ex perenni fonte unde hauriat, thracium subiectam esse.* 21, 47, 5. *nam neque equites armis equisque salvis tantam vim fluminis superasse verisimile est, ut iam Hispanos omnes inflati transvexerint utres.* Curt. 5, 8, 12. *ni forte satius est exspectare victoris arbitrium —: ut iam malit ille gloriae suae quam irae obsequi.* 9, 6, 6.

Sed non inverso ordine dici poterat *iam ut*, quod Walchius temere opinatus est. Apud Curtium enim 3, 5, 7. correcta interpunctione scribendum est: *iam, ut ad Hellespontum fuga penetrarent, classem, qua transeant, quem praeparaturum?* Apud Livium in loco 5, 54. modo allato, ubi Walchius *iam ut* coniungi iubet, proba interpretatione nectamus *quum iam.* Nec probari potest emendatio, quam Walchius ex perversa cognitione particulae *iam* hausit, in Caes. Bell. gall. 3, 9. *neque nostros exercitus propter frumenti inopiam diutius apud se morari posse confidebant: ac, iam ut omnia contra opinionem acciderent, tamen se plurimum navibus posse: Romanos neque ullam facultatem habere navium neque eorum locorum, ubi bellum gesturi essent, vada, portus insulasque novisse.* Reddendum est *und doch eben.*

18. Illi vero similem videmus rationem in eo, quod conditionales particulae *si*, *quum*, *ut* coniunguntur cum *iam*, quo appareat, conditionem ex ipsa re prodire et tamquam iam cognitam aut necessariam ex reliquis colligi. Id Germani vocant *wenn denn*, *wenn nun*. Interdum etiam *si iam* cum graecis εἴ γε et εἴ γε δή comparari potest. Quidam scriptores *si iam* dicebant in progrediundo ad aliam rem argumentationis: de quo infra.

Cic. in Catil. 1, 2, 5. *si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero, credo, erit verendum mihi, ne* etc. ubi Beneckius non debebat *iam* delere propterea, quod in quibusdam codicibus Quintiliani deest.

Ovid. Trist. 1, 2, 65. *mittere me stygias si iam voluisset ad undas Caesar, in hoc vestra non eguisset ope.* Male reddunt *jetzt:* est enim *wenn wirklich.* Her. 3, 67. *si tibi iam reditusque placent patriique penates, non ego sum classi sarcina magna tuae.* ubi Lennepius intelligit praematurum reditum ab Achille non accipiendum. Quod probari non poterit ob antecedentia verba. Liv. 34, 2, 6. *haec consternatio muliebris — nescio, vobis, tribuni, an consulibus magis sit deformis: vobis, si feminas ad concitandas tribunicias seditiones iam adduxistis: nobis, si* etc. 39, 25, 7. *quod ea oppida, si iam redderentur sibi, spoliata et deserta redditurus esset.*

Cic. Tusc. 1, 22, 50. *quasi vero intelligant, qualis sit in ipso corpore, quae conformatio, quae magnitudo, qui locus: ut, si iam possent in homine uno cerni omnia, quae nunc tecta sunt, casurusne in conspectum videatur animus, an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem.* Quae omnia sana sunt: nam *videatur* est *videri possit: si iam possent* significant *wenn eben könnten: uno* ponitur pro *uno aliquo.* Nihil vero ineptius est defensione, quam Nissen excogitavit.

Nisi iam significat *wenn nicht eben.* Sallust. Cat. 52, 32. *ignoscite Cethegi adulescentiae, nisi iterum iam patriae bellum fecit.* ubi critici sine iusta caussa voc. *iam* damnarunt.

Liv. 5, 54, 6. *quod quum ita sit, quae (malum) ratio est expertis alia experiri, quum iam, ut virtus vestra transire alio possit, fortuna certe loci huius transferri non possit?* Val. Flacc. 8, 230. *seu quum coelestes Alcidae invisere mensas iam vacat.* Ceterum inanis erat opinio, qua Iohannsen in libro de Verborum compositione p. 105. contendit, Latinos numquam dixisse *quum iam:* hoc enim factum esse *quoniam.*

19. *Donec iam* non modo de extremo aliquo termino usurpatur, sed etiam designat rem certe ad aliquem finem productam. Germani dicunt *bis eben*, *bis nun eben*.

Celsus 8, 4. extr. *illa utique capite fracto servanda sunt, ut donec iam valida cicatrix erit, vitentur sol, ventus.* 8, 2. *radere, donec iam aliquid cruoris ostendatur.*

Celsus 8, 9, 1. *ergo quotidie quoque resolvetur, donec iam cerato aut malagmate possimus esse contenti.*

20. In numero enuntiando et in magnitudine significanda indicat *iam* magnitudinem completam vel extremam partem, quousque processerit res, et numerum in serie rerum admodum magnum. Germani in quibusdam regionibus dicunt *al*, quod natum ex *alle* est: in tota Germania autem *bereits*, *bereits schon*, *allbereits*. Sed non semper tempus anticipatum intelligitur. Nam *multi iam* sunt *multi adeo*, *prope iam* significat ad proximum adeo rem processisse. Vid. n. 10.

Cic. p. Rosc. Com. 3, 8. *quam pridem hoc nomen, Fanni, in adversaria retulisti? Erubescit: quid respondeat, nescit: quid fingat extemplo, non habet. Sunt duo menses iam, dices.*

Liv. 22, 13, 2. *inter multitudinem sociorum italici generis — tres campani equites erant multis iam illecti donis promissisque Hannibalis ad conciliandos popularium animos.* Aldus e quibusdam codicibus edidit *iam tum*, quod a glossatore profectum erat. Proprio iure *iam* assumunt verba *frangi*, *infringi* et similia. Cic. de Orat. 1, 7, 24. *quum — Drusi tribunatus pro senatus auctoritate susceptus infringi iam debilitarique videretur* etc. p. Flacc. 26, 62. *auctoritate enim tanta est, ut iam fractum prope ac debilitatum Graeciae nomen huius urbis laude nitatur.* Horat. Sat. 1, 1, 4. *o fortunati mercatores! gravis annis miles ait, multo iam fractus membra labore.* Aliquantum mutatur sensus, si cum plurimis interpretibus coniungis *iam fractus.* Cohaerere enim possunt etiam verba *multo iam labore.* Nec debebat Eichstadius assentiri Bothio, qui ut emendationem verborum *annis gravis* defenderet, particulam *iam*, de praematura re intelligendam, dicebat ad iuvenem militem, non ad veteranum referri posse. At *gravis annis* non appellatur senex. Quare redde illa verba: *der Soldat in Jahren, dem bereits viele Strapazen die Glieder abgestumpft haben.* Fortasse etiam huc pertinet Virgil. Ge. 3, 398. *multi iam excretos prohibent a matribus haedos primaque ferratis praefigunt ora capistris.* Nam si cum Vossio explicueris haedos a matribus modo

separatos, ineptam habebis sententiam. Ge. 3, 360. *concrescunt subitae currenti in flumine crustae, undaque iam tergo ferratos sustinet orbis.*

Cic. de Off. 1, 15, 46. *de qua iam multa dicta sunt.* i. e. *schon vieles*, quod non est *antea* multa dicta sunt, sed revera, quae dicta sunt, multa sunt, nec dicenda adhuc.

ad Quint. fr. 3, 5. *sed saepe iam scribendi totum consilium rationemque mutavi.* in Verr. 5, 33, 86. *stetit solcatus praetor populi romani cum pallio purpureo tunicaque talari, muliercula nixus in litore. Iam hoc ipso istum vestitu Siculi civesque romani permulti saepe viderunt.* ubi Ernestius emendandum putabat *nam:* Zumptius explicabat: quod ad hanc quidem rem pertinet: at nectenda sunt verba *iam permulti saepe.*

Imprimis nomina aetatis assumunt hanc particulam. Cic. de Sen. 20, 76. *sunt et ineuntis aetatis: num ea constans iam requirit aetas, quae media dicitur?* 10, 33. *gravitas iam constantis aetatis.* Virgil. Aen. 6, 302. *ipse ratem conto subigit — iam senior.* p. Coel. 18, 43. *quorum — eximiae virtutes, firmata iam aetate, exstiterunt.* Liv. 3, 58, 1. *is magno iam natu quum ad pericula eius rediisset* etc. 5, 34, 3. *hic magno natu ipse iam.* ubi ordo verborum est notandus. Sueton. Aug. 89. *iam grandem natu.*

21. Progredior ad ea, in quibus vel enuntiationum nexum format vel orationi transitum parat. In exponendis vel narrandis rebus *iam* ponitur, ut consequentia significetur. Quare non idem est quod *nunc*, sed indicat id, quod dicitur, in ordine rerum consequi, et certum obtinere locum, quasi cogitemus: quum hoc esset. Germani dicunt *nun.* Poetae narrationibus suis addunt hac particula perspicuitatem et lumen, quo oculi quasi in res praesentes vertuntur.

Liv. 40, 36, 14. *quae quum ita sint, ego iam hinc praedico, patres conscripti, me exercitu eo, qui nunc est, rem publicam administraturum.* i. e. ego in hac rerum conditione: *so verheifse ich nun.* Illa verba *quae quum ita sint* omitti poterant.

Liv. 10, 43, 14. *conspecta et ex muris Aquiloniae ea multitudo erat: iamque etiam legionariae cohortes sequebantur.*

Liv. 10, 43, 1. *prima luce — corona cinxit urbem: subsidiaque firma, ne qua eruptio fieret, portis opposuit. Iam signum dantem eum nuntius a collega trepidus — moratus est.*

Virgil. Aen. 2, 615. *iam summas arcis Tritonia, respice, Pallas*

insedit nimbo effulgens. ubi Servius male explicat *praeterea* et Ge. 2, 57. comparat. Nam respondet *iam* antecedenti *hic.*

Virgil. Aen. 11, 182. *Aurora interea miseris mortalibus almam extulerat lucem referens opera atque labores. Iam pater Aeneas, iam curvo in litore Tarchon constituere pyras.* Non mutatur sensus, neque alia exsistit ratio verborum, si cum Wagnero colon pro puncto posueris. Nec differunt haec Aen. 1, 418. *corripuere viam interea, qua semita monstrat. Iamque adscendebant collem.* Stat. Theb. 11, 154. *et iam cuncta silent. Ipsi iam stare recusant cornipedes.*

22. Deinde *iam* dicunt Latini in enarrandis rebus singulis, ubi ab alia ad aliam progrediuntur, sive aliam aliis addunt. Haec est illa vis demonstrativa, qua quid in adspectum profertur. Quare saepe nominativus format orationem absolutam, et rem considerandam nominat.

Cic. de Nat. d. 2, 56, 141. in percensendis sensibus: *et aures —: itemque nares —: iam gustatus —: tactus autem.* conf. Ochsneri Eclog. Cic. p. 66. Plin. Epist. 1, 6, 2. *mirum est, ut animus agitatione motuque corporis excitetur. Iam undique silvae et solitudo ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt.* Tacit. Ann. 15, 41. *domuum et insularum et templorum, quae amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit: sed vetustissima religione — exusta. Iam opes tot victoriis quaesitae et graecarum artium decora: exin monumenta ingeniorum antiqua et incorrupta.* 2, 14. expositis Germanorum rebus in bello gerendo adhibitis: *iam corpus, ut visu torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia.* Stat. Silv. 1, 2, 143. *iungit Amor laetamque vehens per nubila matrem gemmato temone sedet. Iam Tybridis arces iliacae: pandit nitidos domus alta penates.* Lactant. 3, 10, 3. *nonne aliquid amori mutuo et indulgentiae simile impertiunt? Iam illa, quae sibi prospiciunt in futurum et vibos reponunt. Habent utique providentiam.*

23. Ita fit, ut *iam — iam* pro *modo — modo* usurpetur, quemadmodum etiam *nunc — nunc* dicitur. vid. Bentlei. ad Horat. Art. poet. 46. Saepe idem fere est quod *et — et*, praesertim apud poetas, qui rerum notiones imaginibus exprimere solent. His vero non adiicienda sunt ea, in quibus *iam* per anaphoram bis terve ponitur.

Horat. Sat. 2, 7, 20. *qui iam contento, iam laxo func labo-*

rat. Liv. 30, 30, 10. *iam aetas senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum, iam secundae, iam adversae res ita erudierunt, ut rationem sequi quam fortunam malim.* Vellei. Pat. 2, 114, 2. *iam medici, iam apparatus cibi, iam in hoc solum importatum instrumentum balinei, nullius non succurrit valetudini.* Flor. 2, 17, 8. *itaque per partes iam huc, iam illuc missi duces.*

Ovid. Met. 1, 111. *flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.* Tibull. 1, 2, 49. *iam tenet infernas magico stridore catervas, iam lubet aspersas lacte referre pedem.*

Eleg. ad Messal. 45. *immoderata pati iam frigora, iamque calores?*

24. Procedit oratio per *iam* ad aliam rem eiusdem rationis vel generis, quae cum reliquis coniungatur novumque adiiciat argumentum, ut intelligamus vel *item* vel *ad haec*, *adde*, *porro*. Id observarunt quidem Drakenborchius ad Liv. 3, 34, 8. et Spaldingius ad Quintil. 12, 1, 45. sed exempla, quibus illi utuntur, non satis apta sunt. De Quintil. 12, 1, 45. p. 148. loquuturus sum: nihil enim novi additur. De Liv. 3, 34, 8. vide supra. Conf. Bünemann. ad Lactant. de Opif. Dei 10, 26. Burmann. ad Quintil. Tom. 1. p. 448. Additur etiam *porro*.

Cic. de Nat. d. 2, 52, 129. *Testudines autem et crocodilos dicunt, quum in terra partum ediderint, obruere ova, deinde discedere: ita et nascuntur et educantur ipsa per sese. Iam gallinae avesque reliquae et quietum requirunt ad pariendum locum et cubilia sibi nidosque construunt.* p. Lege man. 14, 41. *itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium, sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de coelo delapsum intuentur, — nunc intelligunt, non sine caussa maiores suos — servire populo romano quam imperare aliis maluisse. Iam vero ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberae querimoniae de aliorum iniuriis esse dicuntur, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. Iam quantum consilio, quantum dicendi gravitate et copia valeat — hoc ipso in loco saepe cognostis.* ad Fam. 5, 2, 10. *iam illud senatus consultum* etc. Liv. 40, 12, 6. *iam illud quam accusatorie, quod noctis huius crimen miscuit cum cetera insectatione vitae meae?* 3, 34, 8. ubi vide Drakenborch. Quintil. 10, 1, 97. *virium tamen plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt. Iam Vari Thyestes cuilibet Graecorum comparari potest.* Ita enim est scribendum, nec *iam* explicandum: recentioribus tempo-

ribus. 10, 1, 110. *ipsa illa, quae extorquet, impetrare eum credas et eum transversum vi sua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Iam in omnibus, quae dicit, tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat.* Iustin. 41, 5, 3. *ita enim et praeruptis rupibus undique cingitur, ut tutela loci nullis defensoribus egeat: et soli circumiacentis tanta ubertas est, ut propriis opibus expleatur. Iam fontium ac silvarum ea copia est, ut et aquarum abundantia irrigetur et venationum voluptatibus exornetur.* 4, 1, 16. Tacit. Ann. 15, 43.

Cic. in Verr. 3, 50, 118. *iam id porro utrum libentes, an inviti dabant?* p. Rosc. Am. 40, 116. *videte iam porro cetera, iudices, ut intelligatis* etc.

25. Etiam in argumentatione *iam* habet proprium locum, eumque non modo in annectendis membris ratiocinationis, ubi etiam *atqui*, *at vero* dicitur, sed etiam in conclusione quacumque occupat. Quare significat etiam id quod *igitur*, *itaque*, *quum hoc sit.* Saepe praemittitur pronomini *illud.* Et ponitur fere semper primo loco, interdum etiam secundo, quod negare videtur Goerenzius ad Cic. de Fin. 4, 15, 40.

Cic. de Fin. 2, 26, 84. *satis est tibi in te, satis in legibus, satis in mediocribus amicitiis praesidii: iam contemni non poteris.* 2, 7, 22. *iam doloris medicamenta illa epicurea tamquam de narthecio proment.* ad Fam. 5, 2, 4. *iam hoc non potest in te non honorifice esse dictum.* de Leg. 2, 24, 60. expositis legibus, quae ornamenta mortuorum vetant: *illa iam significatio est laudis ornamenta ad mortuos pertinere.* i. e. atqui ex his legibus colligitur haec sententia. p. Cluent. 16, 46. *his Fabriciis semper usus est Oppianicus familiarissime. Iam hoc fere scitis omnes, quantam vim habeat ad coniungendas amicitias studiorum ac naturae similitudo.* ad Fam. 2, 13, 2. *ego Appium — valde diligo. — Iam me Pompeii totum esse scis: Brutum a me amari intelligis. Quid est caussae, cur mihi non in optatis sit complecti hominem?* 7, 18, 8.

Cic. de Off. 1, 10, 32. *nec promissa igitur servanda sunt ea, quae sunt iis, quibus promiseris, inutilia —. Iam illis promissis standum non esse, quis non videt, quae coactus quis metu, quae deceptus dolo promiserit?* de Orat. 2, 41, 176. *iam illud videmus nequaquam satis esse, reperire quid dicas, nisi id inventum tractare possis.* de Fin. 2, 32, 104. *iam illud quale tandem est?* Phil. 2, 8, 19. Lactant. 1, 20, 5. *nec hanc solam Romani meretricem colunt, sed Faulam quoque, quam Herculis scortum fuisse*

Verrius scribit. Iam quanta ista immortalitas putanda est, quam etiam meretrices adsequuntur. Quintil. 5, 11, 39.

26. Multi docuerunt *iam* transitionem orationis efficere et connectendis partibus eius succurrere, et quum vidissent etiam *nam* hac vi esse praeditum, ideoque saepe haec vocabula a librariis commutari, parum aut nihil interesse dixerunt, utrum poneretur. Vid. Ernest. ad Cic. de Nat. d. 1, 12, 30. Duker. ad Flori Praefat. 2. Drakenborch. ad Liv. 5, 51, 6. Heindorfius autem in notis ad Cic. locum scriptis ita censet: *nam* poni, ubi illud, ad quod sermo transit, obiter magis et defunctorie afferatur: contra *iam* lectorem excitare et attentum facere ad id, quod subiicitur. Ei assentitur Beierus. Aliter autem Ellendtus ad Cic. Brut. 43, 159. haec praecipit: *iam* usurpari, si, quod sequitur pari ferme ordine, ut iusta sit enumeratio, cum antecedentibus coniungatur: *nam* autem, si sententia in transcursu perfunctorie quasi παρενθέτως interseratur. Quae non satisfacere mihi videntur. *Nam* enim tum dicitur, quum oratio ad aliquid transit, quod praesumitur ab eo, qui legit, cognitum esse vel concedi, ideoque saepe locum obtinet in sententiis adiectis, quae rem magis declarant: *iam* autem in hoc usu demonstrativam vim suam non exuit, sed monstrat novum et diversum novo quasi progressu occupandum. Ita fit in initio novae partis narrationis. Haec eadem observata esse video ab Oudendorpio, qui ad Lucan. 2, 214. poetas ait solere novum sensum inchoare per *iam*, praesertim quando ea, quae narraturi sint, interea acciderint: id quod naturam particulae non tangit. Contraria docuit Ernestius ad Sueton. Iul. 44. inquiens: servit et *iam* transitioni, sed non ad novum genus rei: quam vere, ipsa res monstrat.

Cic. de Nat. d. 1, 12, 29. *quid aer, quo Diogenes Apolloniates utitur deo, quem sensum habere potest aut quam formam dei? Iam de Platonis inconstantia longum est dicere.* ubi Goerenzius necessarium esse putat *nam*. Brut. 43, 158. *paratus igitur venibat Crassus, exspectabatur, audiebatur, a principio statim, quod erat apud eum semper accuratum, exspectatione dignus videbatur: non multa iactatio corporis, non inclinatio vocis. — quodque difficile est, idem et perornatus et perbrevis. Iam in altercando invenit parem neminem: versatus est in omni fere genere caussarum.* Tibullus 4, 1. virtutes Messalae celebrans, enarratis laudibus prudentiae et facundiae, pergit ad artes belli v. 82.

iam te non alius belli tenet aptius artes. Lucan. 7, 647. *iam Magnus transisse deos romanaque fata senserat infelix.* 1, 183. Silius 9, 242. *cetera iam Numidis circumvolitare vagosque ferre datur cursus.* Poetae quidam amant hanc particulam in narrationibus: de qua re Heinsius ad Sil. 11, 40.

Virgil. Aen. 12, 704. *iam vero et Rutuli certatim et Troes, et omnes convertere oculos Itali.* 11, 213. *iam vero in tectis praedivitis urbe Latini praecipuus fragor.*

Alia prorsus est ratio verborum *nam quid* in Cic. Tusc. 4, 17, 37. ubi non est corrigendum. vid. NAM. In Sueton. Iul. 44. nec scribendum est *nam*, nec explicandum *iam* de transitu ad novum, sed est gradatio.

27. Ita ponitur *iam*, ubi oratio pergit ad aliam partem expositionis novamque rem declarandam.

Cic. de Off. 1, 42, 150. *iam de artificiis et quaestibus, qui liberales habendi, qui sordidi sint, haec fere accepimus.*

Virgil. Ge. 2, 57. quum dixisset arbores sponte sua progerminantes cultu posse emendari, pergit ad arbores satas, easque docet esse transplantatione colendas: *iam quae seminibus iactis se sustulit arbos, tarda venit* etc. Servius explicuit *praeterea.*

28. Accedere ex ipsa sententia potest illa, quam supra exposui, vis efferendi, qua Latini per *iam* ad maiora et eximia adscendunt. Germani aut ad dubitationem removendam ponunt affirmativum *ja*, aut dicunt *vollends.* Observarunt latinum usum Beierus ad Cic. de Off. 1, 10, 32. non apto in exemplo, Doederlinus in Lect. Horat. p. 17. Schmidius ad Horat. Epist. Tom. 2. p. 307. Poetae et auctores acutioris stili etiam in his nominativum saepe ponunt absolutum, ut monstrent apparere rem graviorem vel insignem. Quam dicendi formam prae ceteris frequentat Apuleius. Vid. Pricaeus ad Metam. p. 92. et p. 713.

Plaut. Capt. 1, 2, 59. (53.) *opus paniceis, opus placentinis quoque, opus turdetanis, opus est ficedulensibus: iam maritumi omnes milites opus sunt mihi.* Cic. Tusc. 1, 1, 2. *iam illa, quae natura, non litteris assequuti sunt, neque cum Graecia neque ulla cum gente sunt conferenda.* Liv. 9, 19, 8. comparatis Macedonum et Romanorum militibus postremum addit: *iam in opere quis par romano miles, quis ad tolerandum laborem melior?* Cic. de Rep. 1, 5. *iam illa perfugia, quae sumunt sibi ad excusationem —, certe minime sunt audienda.* Quintil. 12, 1, 45. *nam frequenter etiam optimae caussae similes sunt malis et inno-*

cens reus multis verisimilibus premitur: quo fit, ut eadem actionis ratione defendendus sit, qua si nocens esset. Iam innumerabilia sunt bonis caussis malisque communia, testes, litterae, suspiciones, opiniones. Tacit. Ann. 1, 41. *ipsa insigni fecunditate praeclara pudicitia: iam infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus.* Hoc enim argumentum militibus summum erat visum. Horat. Epist. 2, 1, 83. quum dixisset ab hominibus antiquiora tantum probari: *vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt, vel quia turpe putant parere minoribus et quae imberbes didicere, senes perdenda fateri,* pergit: *Iam saliare Numae carmen, qui laudat et illud, quod mecum ignorat, solus vult scire videri, ingeniis non ille favet plauditque sepultis, nostra sed impugnat.* Iustin. 6, 8, 8. *honoresque ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Iam litterarum studium, iam philosophiae doctrina tanta, ut mirabile videretur, unde tam insignis militiae scientia homini inter litteras nato.*

29. Iac. Gronovius ad Macrob. 2, 16. docet, *iam* a veteribus in connectendis sententiis esse ita usurpatum, ut significaret *autem*. Ne quis vero haec comprobet, animum advertat ad exemplorum, quae Gronovius contulit, diversitatem, et ad ipsum, quem ille emendaturus erat, locum Macrobii. In duobus codicibus enim legebatur: *quanta sit iam vocabuli huius expressio, quo anima fons motus vocatur, facile reperies.* pro *quanta sit autem.* Illud ne latinum quidem puto. Sed scribae recentioris aetatis ubique *iam* in promptu habebant. Apud Iustinum 5, 4, 6. scripserunt quidam: *Alcibiades cum classe victrici Asiam vastat, iam multis locis proelia facit.* Meliores libri non exhibent *iam*.

30. Vis particulae, quam peregrino nomine patheticam vocare licet, in eo apparet, quod velocitas irae et vehementia indignationis ita loquitur. Id praecipue fit in interrogatione de re odiosa vel certe non exspectanda.

Tibull. 2, 5, 48. *iam tibi praedico, barbare Turne, necem.*

Plaut. Aul. 5, 11. *iamne autem, ut soles, deludis?* Epid. 1, 1, 23. TH. *Ius dicis?* EP. *Me decet.* TH. *Iam tu autem nobis praeturam geris?* Bacch. 2, 2, 25. *iamne, ut soles?*

III. Nunc dicendum est de particulis, quibuscum coniuncta *iam* usurpatur, maxime in consociandis enuntiationibus.

1. Eo, quem paullo ante exposui, sensu saepius in transitu orationis dicuntur *iam vero*, quae lectorem attentum reddunt ad novum argumentum, vel ad aliam rem veram. Procedit enim oratio aliud, quod verum sit, indicando. Praeter comicos nemo, quod sciam, dixit *iam autem:* nemo potuit dicere *iam enim.* Nam quod in uno codice Cic. de Sen. 22, 81. legitur, factum est errore scribendi. At dixerunt *enim iam* alia ratione. vid. p. 136.

Cic. Tusc. 5, 38, 110. *iam vero motus animi, sollicitudines aegritudinesque oblivione leniuntur.* de Orat. 1, 3, 8. *iam vero consilio ac sapientia qui regere ac gubernare rem publicam possent multi — exstiterunt.* p. Lege Man. 11, 29. *iam vero virtuti Cn. Pompeii quae potest par oratio inveniri?* 14, 41. vide p. 145. in Catil. 3, 9, 22. de Off. 2, 3, 13.

Quaeritur, num recte dicatur *at iam, at enim iam.* Non dubito. Cic. de Fin. 4, 15, 40. *at enim iam dicitis virtutem non posse constitui, si ea, quae extra virtutem sint, ad beate vivendum pertineant.* Ita boni codices: alii *nam:* quod quum ferri non posset, substituerunt librarii vel *veram*, vel *natura*, idque placuit criticis plurimis. Tamen non ea, quae infra dicuntur: *itaque contra est* etc. his verbis opponuntur, sed proxima. Nos reddimus *aber freilich sagt ihr nun.*

2. Quidam scriptores *si iam*, *quodsi iam* dixerunt pro *si vero*, ubi ad novam partem argumentationis vel expositionis transierunt. Est *wenn nun.*

Celsus Praef. 1. p. 10. *primo tamen remedia exploranda summa cura fuisse, nunc vero illa explorata esse: neque ulla aut nova genera morborum reperiri, aut novam desiderari medicinam. Quodsi iam incidat mali genus aliquod ignotum, non ideo tamen fore medico de rebus cogitandum obscuris.*

3. De usu verborum *et iam* supra expositum est p. 138. Critici autem docent eleganter dici *et iam* in adiungenda alia re facta: in quo usu equidem elegantiam nullam video, nisi quod poetae *iam* saepe ita interponunt, ut non tam abundare videatur, quam narrationi addat lumen ac speciem. Nam illud *et iam*, quod *und schon* vel *und eben*, *und nun* reddimus, saepe in continuata narratione ad aliam rem perducit, aut distinctiore monstratione rem quasi in conspectum promovet, tamquam dicatur *et en.* Haec est caussa, quapropter in carminibus non modo ab initio versuum, quod Robbi-

gius in Robigal. 1, 14. p. 52. exemplis demonstravit, sed etiam in extremo versu ponitur, veluti apud Valer. Flacc. 5, 71. 8, 29. 5, 428. Saepe sequitur in altera parte enuntiationis *quum:* de quo vide I, 1. et III, 5. Etiam *et iamiam* ita usurpatur, et *iamque*, de quo postmodum agam. Caesar dixit *ac iam.*

Liv. 36, 44, 10. *et iam classes quoque undique concurrerant.*

Virgil. Ecl. 1, 83. *et iam summa procul villarum culmina fumant.* Aen. 4, 584. Ovid. Trist. 4, 10, 77. *et iam complerat genitor sua fata.* Lucan. 8, 659. *vivis adhuc, coniux, et iam Cornelia non est iuris, Magne, sui.* ubi vid. Cortius.

Val. Flacc. 1, 348. *sic ait: ille suo collapsam pectore matrem sustinuit, magnaque senem cervice recepit: et iam finis erat: Zephyrumque ratemque morantes solverat amplexus tristi tuba tertia signo.* 1, 736. *sacroque vocat grandaeva tumultu Thessalis exanimes atavos magnaeque nepotem Pleiones: et iam tenues ad carmina vultus extulerat.* 5, 425. 428. 120.

Valer. Flacc. 8, 27. *qualis adhuc — latmius aestiva residet venator in umbra, dignus amore deae: velatis cornibus et iam luna venit: roseo talis per nubila ductor implet honore nemus tatemque exspectat amantem.* 5, 691. *instaurat mensas pacemque reducit: et iam sidereum noctem dimittit Olympo.*

Val. Flacc. 7, 389. *et iamiam magico per opaca silentia Colchis coeperat ire sono.*

Sil. Ital. 8, 158. *iamque ferebatur vicina per oppida rumor. Tum cyrenaeam fatis agitantibus urbem devenio.*

Caesar Bell. gall. 3, 9. *ac iam, ut omnia contra opinionem acciderent, tamen se plurimum navibus posse.*

4. Iamqve. Distinguere nos oportet *iamque*, in quo *que* copulativum adiungit aliam sententiam, ab eo, quod per se constat et forma et significatione. De illo supra demonstravi, poetas et historicos in narrandis rebus per hoc vocabulum ad rem, quae alias iam actas exceperit, exponendam procedere, ubi Germani dicunt *und nun.* Quare ponitur *iamque* ab initio sententiae eo modo, quo *et iam.* vide p. 150. Sunt vero exempla, in quibus *iamque* nec coniungit alteram cum altera sententia, et ponitur in media enuntiatione. Id formatum videtur in modum verborum *namque, denique*, vel etiam per contractionem, ut sit pro *iam iamque*, sicuti *ubique* pro *ubi ubique* et *hodieque* dicuntur. cf. p. 100. Significat autem *eben*, hoc ipso tempore, modo.

Virgil. Ecl. 6, 21. *iamque videnti sanguineis frontem moris et tempora pingit.* Nemes. Ecl. 3, 11. *tum Pan excussus sonitu stri-*

dentis avenae iamque videns — inquit. i. e. *et iam*, *und schon. Iamque et* composuisse Statius dicitur Theb. 2, 307. *ismenius heros respicere ad Thebas*, *iamque et sua quaerere regna.* Sed alii codices *et iam*, alii *iam iam.*

Virgil. Aen. 6, 477. *inde datum molitur iter. Iamque arva tenebant ultima.* 9, 25. *iamque omnis campis exercitus ibat apertis.* 12, 391.

Virgil. Aen. 3, 588. *postera iamque dies primo surgebat Eoo.* 6, 81. *ostia iamque domus patuere ingentia centum sponte sua.* 7, 637. 11, 766. *hos aditus iamque hos aditus omnemque pererrat undique circuitum.*

5. Huic particulae *iamque* proprium est, ut post se habeat alteram sententiae partem, in qua *quum* ita ponitur, ut duae res in tempore se attingentes vel aequales comparentur. Germani *eben — als* usurpant. De hac dictione Wagnerus in Virgil. Tom. 4. p. 491. sic praecepit: ubi alterum enuntiati membrum priori serviat, poni *iam — quum*, ubi autem prius alterum illustret, dici *iamque.* Cuius praecepti nec rationem nec usum satis intelligo. Quid enim est, quo differant exempla haec? Virgil. Aen. 7, 102. *haec responsa Fauni — non ipse suo premit ore Latinus, sed circum late volitans iam fama per urbis ausonias tulerat, quum Laomedontia pubes gramineo ripae religavit ab aggere classem.* Et 5, 835. *iamque fere medium coeli nox humida metam contigerat, — quum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris aera dimovit tenebrosum.* In utroque aequalem videmus comparationem.

Caes. B. gall. 6, 6. *iamque ab eo non longius bidui via aberant, quum duas venisse legiones missu Caesaris cognoscunt.* Virgil. Aen. 3, 521. *iamque rubescebat stellis Aurora fugatis, quum procul obscuros colles humilemque videmus Italiam.* 7, 25. 10, 260. *iamque in conspectu Teucros habet et sua castra —, clipeum quum deinde sinistra extulit ardentem.* 3, 135. 521.

Tacit. Ann. 2, 8. *iamque classis advenerat, quum praemisso commeatu et distributis in legiones ac socios navibus — lacus inde et oceanum — pervehitur.*

Virgil. Aen. 5, 268. *iamque adeo donati omnes opibusque superbi puniceis ibant evincti tempora taeniis, quum — irrisam sine honore ratem Sergestus agebat.* 5, 864.

Omittitur *quum* apud Virgil. Aen. 9, 459. et pergit oratio per *atque* 10, 215.

6. Iam nunc. Haec formula non discedit a primaria significatione verborum, nec satis bene perspexit hanc rem Ernestius, quum apud Cic. ad Att. 1, 8. *iam* abundare dixit. Significat enim *iam nunc* ἤδη νῦν, νῦν δή, *jetzt eben*, *gerade jetzt*, aut ubi exspectationem res praecurrit et futurum opponitur, *schon jetzt*, aut ubi res cessat et exspectationem fallit, *erst jetzt*.

Cic. ad Att. 1, 8. *hermae tui pentelici cum capitibus aeneis, de quibus ad me scripsisti, iam nunc me admodum delectant.* i. e. antequam eos vidi. Liv. 22, 38, 9. *mirari se, quomodo quis dux, priusquam aut suum aut hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis nosset, iam nunc locatus in urbe sciret, quae sibi agenda armato forent.* Opponitur *mox* apud Horat. Epist. 2, 1, 127. *os tenerum pueri balbumque poeta figurat, torquet ab obscoenis iam nunc sermonibus aurem, mox etiam pectus praeceptis format amicis.* cf. Bentlei. ad Carm. 3, 6, 23. Petron. 7. *et haec omnia publico ideo, ut familia mea iam nunc sic me amet, tamquam mortuum.* Ovid. Art. am. 3, 59. *venturae memores iam nunc estote senectae.*

Liv. 40, 15, 16. *quid eum, quum regnum tradideris, facturum credis in me esse, qui iam nunc sanguine meo sibi indulgeri aequum censet?*

7. Saepe *iam nunc* pro *iam* usurpatur cum graviori consequutionis vi, ut intelligamus *in his rebus, quum ita sit, quum haec praecesserint*, et ut reddamus *nun*. Sed etiam pro *nunc* accipi potest. Etenim in vitae communis sermone duplicabant notionem ad vim orationis augendam: veluti apud Terent. Heau. 2, 3, 135. *iam nunc haec non est tua.*

Cic. in Caecil. Div. 13, 42. *iam nunc mente et cogitatione perspicio, quae tum studia hominum, qui concursus futuri sint. — Quae quum cogito, iam nunc timeo, quidnam* etc. Liv. 2, 54, 5. *quod si consulatus tanta dulcedo sit, iam nunc ita in animum inducant consulatum captum — esse.* Alia Livii exempla vide apud Drakenborch. ad 31, 32, 3.

Traianus ad Plin. 10, 57. *remumeranda est igitur probitas eorum: ut iam nunc sciant, hoc, quod inspecturus es, ex mea voluntate salvis quae habent privilegiis esse facturum.*

Tibull. 2, 3, 3. *ipsa Venus laetos iam nunc migravit in agros.* ubi absonam coniecturam Vossii vix memorandam censeo. Liv. 3, 40, 12. *et iam nunc ita se parare Appium Claudium, ut* etc.

Plaut. Amph. 3, 2, 65. *iam nunc irata non es?* Stat. Theb. 1, 15. *atque adeo iam nunc gemitus et prospera Cadmi praeteriisse sinam.*

Quod Westerhovius ad Terent. Andr. 1, 1, 144. docet, *iam nunc* maiorem celeritatem indicare quam *iam*, id abhorret a veritate.

Apud Tibullum 1, 1, 25. restituenda est codicum scriptura: *iam modo nunc possum contentus vivere parvo, nec semper longae deditus esse viae.* de quo loco vide quae dixi in Ephemerid. Lips. a. 1813. p. 789.

8. Non mutatur sensus inverso verborum ordine, sed *nunc iam* dicitur ita, ut oppositio, qua praesens tempus vel praeterito vel futuro obstat, distinctior fiat, et gravior accedat vis vocabulo *nunc*. Quae Hartungius de Partic. graec. I. p. 235. ad verba *νῦν ἤδη* et *ἤδη νῦν* distinguenda disseruit, quasi alterum *jetzt*, alterum *eben* significaret, coniunctis verbis tribuerunt significationem, quae in singulis seorsum positis iam inest. Drakenborchius, qui Livio alteram formam *iam nunc* tamquam propriam tribuit in notis ad 2, 54, 5., hanc opinionem ipse abiecit ad 31, 32, 3.

Terent. Andr. 2, 1, 29. *audi iam nunc.* Cassius ad Cic. 12, 12, 5. *nunc iam sum expeditus.* Cic. in Verr. 3, 2, 5. *patior, non moleste fero, iudices, eam vitam, quae mihi sua sponte antea iucunda fuerit, nunc iam mea lege et conditione necessariam quoque futuram.* Liv. 7, 32, 14. *nunc iam nobis patribus vobisque plebeiis promiscuus consulatus patet.* 5, 2, 10. *nunc iam octoiuges ad imperia obtinenda ire.* 10, 19, 7. *nunc iam populares orationes serere.* 5, 17, 7.

Terent. Ad. 2, 1, 21. *i nunc iam.* Ad haec Donatus: *duae partes istae sunt. Et bene iam, quia sero et post plagas.* At non aliter Aeschinus loquitur quam v. 14. *i intro nunc iam.* et Andr. 1, 1, 144. *eamus iam nunc intro.* Est enim: i, quum nunc eundum sit. Plaut. Capt. 2, 1, 23. *secede huc nunc iam, si videtur, procul.*

9. Cum negationibus coniungitur *iam nunc* eodem modo, quo diximus *iam* componi.

Val. Flacc. 8, 47. *nec iam nunc regina loquor.*

10. Has particulas non posse, ut unum vocabulum fiant, copulari, id exempla monstrare videntur interpositae alius vocis, veluti Virgil. Aen. 6, 816. *quem*

iuxta sequitur iactantior Ancus, nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris. Tamen non huius generis est locus Ciceronis in Verr. 4, 27, 60. *venio nunc non iam ad furtum:* nec omnino negari poterit, etiam veteres quosdam aliquando vocabula coniunxisse, quemadmodum *etiam nunc* et *etiamnunc*, *quod si* et *quodsi* scripserunt.

11. Iam iam antiqua est dicendi forma. Quaeritur in ea quoque, utrum duae hae particulae unum vocabulum efficiant, unique accentui submittantur, sicut fit *utut*, an separatae interiecto nullo signo scribendae sint. Atque dubium magis id videtur esse quam in reliquis. Desunt enim exempla vocum per aliud verbum interpositum distractarum. Nam quum Oudendorpius cum Bersmanno defendunt atque commendant scripturam cuiusdam codicis in Lucani 5, 749. *iam me iam Marte parato securos cepisse pudet cum coniuge somnos.* temere ibi excusant errorem scribae, qui *iam* pro *nam* dedit. Rem ipsam satis exposuit Cortius. Nec vero propterea, quod *quoniam* pro *quom iam* dicitur, scribendum erit *ianiam:* nam habemus *amicio* et *circumiacere* et alia. Tamen *iam iam* eodem modo factum esse, quo componuntur *magis magis*, et dici pro *iam iamque,* perspicue declarat Catullus 63. 73. *iam iam dolet, quod egi, iam iamque poenitet.* His contraria ne quis afferat verba Virgilii Aen. 12, 753. ita scribenda: *at vividus Vmber haeret hians, iamiamque tenet, similisque tenenti increpuit malis.* interpunctio corrigenda erit: *haeret hians: iam iamque tenet.* Verum igitur affirmasse equidem mihi videor, quum iterum arbitror, utramque scripturam probam veteribusque usitatam fuisse. Nam quando minor erat potestas delata particulae, et duplicata fere pro simplici ponebatur, etiam utraque pars uno accentu comprehendebatur, sicuti Latini et *res publica* et *respublica* scripserunt. Ita Cicero videtur scripsisse *senatum iamiam inclinatum*, et Virgilius *iamiam nulla mora est:* sed Catullus *iam iam dolet.* Nec multum abest, quin credam, olim etiam scriptum esse *iamiamque.* Id certe apparet in varietate scripturae apud Tacitum Ann. 12, 22.

Nec differt duplicatum a simplici *iam* nisi gravitate et distinctiore significatione. Quocirca illud non in iis sententiis locum invenit, quibus particula subtiliorem

modum addit. Sed per maiorem istam vim efficitur, ut *iam iam*, ubi praesens tempus designat, idem fere sit quod *nunc:* ubi tempus ante actum significat, intelligatur longinquum tempus: ubi de imminente aut futura re dicitur, proxime futurum.

Plaut. Most. 2, 2, 72. *o iam iam optume praeceptis paruisti.* Cic. de Orat. 3, 24, 90. *iam iam — intelligo, Crasse, quid dicas.* Phil. 34, 87. *iam iam minime miror te otium perturbare.* Catull. 63, 73. vide supra. Val. Flacc. 7, 389. *et iamiam magico per opaca silentia Colchis coeperat ire sono.* Lucan. 2, 538. *iamiam me praeside Roma supplicium poenamque petat.* Plaut. Curc. 5, 3, 29. *iamiam faciam, ut iusseris.* Virgil. Aen. 2, 701. *iam iam nulla mora est: sequor, et qua ducitis adsum.* 12, 875. *iam iam linquo acies.* 12, 676.

Virgil. Aen. 12, 753. *at vividus Vmber haeret hians iam iamque tenet, similisque tenenti increpuit malis.*

Cic. Brut. 14, 55. *possumus Appium Claudium suspicari disertum, quia senatum iamiam inclinatum a Pyrrhi pace revocaverit.* Virgil. Aen. 6, 602. *quos super atra silex iamiam lapsura cadentique imminet assimilis.*

Virgil. Aen. 4, 369. *iamiam nec maxuma Iuno, nec Saturnius haec oculis pater adspicit aequis.* Val. Flacc. 8, 39. *iamiam non ulla requiro vellera teque meae satis est vexisse carinae.* ubi est pro simplici *iam.*

12. Etiam *iamiam* vim occupat confirmandi sententiam, ubi is, qui loquitur, vel affirmans veritatem vel alium exhortaturus vel miserationem declarans ad rem provocat ante oculos ponendam. Observavit id iam Valla in Elegant. 2, 47.

Cic. in Verr. 1, 30, 77. *iamiam, Dolabella, neque me tui, neque tuorum liberum — misereri potest.* ad Att. 7, 9. *quod ille si faciat, iamiam a bonis omnibus summam ineat gratiam.* nisi scribendum est *iam*, ut notatur in Lambini editione a. 1584. Liv. 26, 33, 3. *affinitatibus plerosque et propinquis iamiam cognationibus ex connubio vetusto iunctos.* ubi temere correxerunt *iam.* Sallust. Iug. 14, 22. *iamiam frater, animo meo carissume, quamquam tibi immaturo et unde minume decuit vita erepta est, tamen lactandum magis quam dolendum puto casum tuum.* Quintil. Declam. 3, 17. *iamiam, commilito, quicumque casus manet, etiam si te imperator damnaturus est, habes solatium: satius est quam a patre occidi.*

13. *Iamiam primum* a Livio dictum esse, notavimus supra p. 123.

Liv. 42, 11, 5. *Persea haereditarium a patre relictum bellum et simul cum imperio traditum iamiam primum alere et fovere omnibus consiliis.* Creverio haec suspecta sunt visa. Gronovius coniecit *tamquam.* Livius scripsisse mihi videtur: *iam in primum alere*, uti 3, 62, 8. *cedentibusque iam suis provolant in primum.* Conf. Gronov. ad 10, 14, 17.

14. Virgilius *iam iamque* praemisit comparativo *magis*, ut esset idem quod *magis magisque.* Aen. 12, 940. *et iam iamque magis cunctantem flectere sermo coeperat.*

15. *Iam iamque* de eo dicitur, quod proxime eventurum est, vel exspectatur, vel hoc ipso tempore statim adest. Nos *im nächsten Augenblick*, *in diesem Augenblick.*

Cic. Tusc. 1, 7, 14. *quae enim potest in vita esse iucunditas, quum dies et noctes cogitandum sit, iam iamque esse moriendum.* ad Att. 12, 5. *quum Romae essem et te iam iamque visurum me putarem.* 14, 22. *quamquam ipse iam iamque adero.* 16, 9. *iam iamque video bellum.* Quare non reprehendendus erat Victorius, qui quum legisset apud Cic. ad Att. 9, 5. *sed miserius nihil quam ea videre, quae tamen iam, iam inquam videnda erunt.* sed codices scripti omitterent *iam* alterum, eleganter correxit *iam iamque videnda erunt.* Tacit. Aen. 1, 47. *ceterum ut iam iamque iturus, legit comites.* 12, 15. *quae ubi cognita et iam iamque Bosporum invasurus habebatur.* 14, 7.

Cic. ad Att. 7, 20. *at illum ruere nuntiant et iam iamque adesse.* ad Fam. 12, 10, 8. *persuade tibi — vos exspectari: Brutum quidem iam iamque.* de Fin. 3, 14, 48. *ut enim, qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si non longe absunt a summo, ut iam iamque possint emergere, quam si etiam tum essent in profundo.*

Cic. ad Att. 7, 21. *mihi dubium non erat, quin ille iam iamque foret in Apulia.*

Caesar B. civ. 1, 14. *Caesar enim adventare iamiamque et adesse eius equites falso nuntiabantur.* vid. Tom. 2. p. 521.

*) *Iam* saepissime commutatum est cum *nam:* vid. Drakenb. ad Sil. 9, 242. ad Liv. 5, 51, 6. Burmann. ad Lucan. 2, 214. ad Anthol. T. 1. p. 468. maxime in principio versus, littera prima non scripta: vid. Schraderi

Observ. p. 51. et cum *tam* et *tamen* per similitudinem compendii: vid. Drakenb. ad Liv. 40, 35, 14. et ad 2, 5, 4. et cum *clam:* vid. Drakenb. ad Liv. 9, 24, 3. Confunduntur *iam* et *etiam:* vid. Drakenb. ad Liv. 5, 7, 2. cf. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 173. et cum voc. *cum:* vid. Burm. ad Lucan. 5, 678. Critici narrarunt, saepissime *iam* a scribis temere adiectum esse: vid. Heusinger. ad Cic. Off. 1, 12, 19. 3, 18, 10. Goerenz. ad Cic. Acad. 1, 4. ad libr. de Leg. p. 52. Beier. ad Off. 3, 23, 92. Bremium ad Cornel. Attic. 16, 3. nec negari potest, librarios recentioris aevi particulam haud raro addidisse, tamen caveamus necesse erit, ne particulam ob significationem non vulgarem temere in falsam suspicionem vocemus. Solebat ea in formulis *ut saepe dixi* (vid. Cic. de Sen. 19, 71.) et post *etiam* (vid. Sueton. Vitell. 8. et Drakenb. ad Liv. 2, 6, 11.) addi. Saepius autem oblitterata est, et praesertim ubi vim affirmativam vel demonstrativam habebat. Cic. Lael. 22, 77. *Iamque* et *itaque* commutari notavit Drakenborch. ad Liv. 26, 25, 8.

IAMDVDVM sive IAM DVDVM.

Vocabula *iam* et *dudum* coniunguntur ita, ut uno accentu contineantur atque formam unius verbi induant. Quid vero significent, et quomodo ad ea accedat longioris temporis notio, expositum est Tom. 2. p. 299. et 302. Etenim *dudum*, quod notat antegressum tempus non adeo longum, intenditur particula *iam*, quae ipsa non dissimilis est. Itaque intelligimus tempus transactum esse non breve, sed longius, certe aliquanto longum. Quae Germani duabus formis exprimunt *schon lange* et *schon längere Zeit*, ea uno verbo reddunt Latini. Sed in hac quoque particula aetas mutavit usum. Videamus singula.

1. Indicat igitur *iamdudum* tempus longius vel admodum longum, ubi Germani dicunt *schon längst*, sive *schon lange*. Cum praeterito perfecto et cum praesenti verbi componitur, rarius cum imperfecto et plusquamperfecto, nisi ubi est modus conditionalis. Donatus ad Terent. Eun. 3, 1, 58. interpretatur verbo *iampridem*, Servius ad Aen. 1, 580. verbo *olim*. Hoc reprehendit Laurent. Valla, negans *iamdudum* de longinquo tempore pro *olim* vel *iampridem* dici posse. Rationem exposui in DVDVM.

Terent. Eun. 4, 5, 8. *iamdudum: aetatem.* ubi Donatus: *quia iamdudum infinitae morae est, addit aetatem, ut ostendat multum abiisse temporis, ut factum est.* Potius ita: dudum est infinitae morae, sed ut ostendat multum abiisse tempus, dixit *iam dudum*, et ut rem oratione exaggeret, addit *aetatem.*

Plaut. Trin. 4, 2, 78. *dixi ego iamdudum tibi.* Plin. Hist. nat. 23, 2, 23. *somno vero ac securitatibus iamdudum hoc fuit, quod homerica illa Helena ante cibum ministravit.* Plaut. Pseud. 4, 7, 49. *iamdudum, si des, porrexi manum.*

Plaut. As. 3, 3, 150. *Leonida, curre obsecro: patrem huc orato ut veniat.* LI. *Iamdudum est intus.* Pseud. 4, 7, 117. *mihi quoque edepol iamdudum ille Syrus cor perfrigefacit.* Terent. Heau. 5, 1, 9. *quid illic iamdudum gnatus cessat cum Syro.* Introierant enim antea in domum. Cic. de Orat. 2, 7, 26. *quem iamdudum et Cotta et Sulpicius exspectat.* Horat. Carm. 3, 29, 4. *pressa tuis balanus capillis iamdudum apud me est.*

Plaut. Stich. 5, 5, 1. *ita me Venus amoena amet, ut ego hic iamdudum exissem simitu vobiscum foras, nisi me vobis exornare.* Ovid. Met. 8, 74. *altera iamdudum succensa cupidine tanto perdere gauderet, quodcumque obstaret amori.* Tibull. 3, 6, 64. *iamdudum syrio madefactus tempora nardo debueram sertis implicuisse comas.* Plin. Epist. 5, 6, 40. *vitassem iamdudum, ne viderer argutior, nisi proposuissem* etc. Pan. 52, 1.

Plaut. Men. 2, 3, 65. *iamdudum, mulier, tibi non imprudens adversabar.*

2. Praesens verbi cum hac particula componitur aut propter diuturnitatem rei praesentis, veluti *ego iamdudum hic adsum* Terent. Eun. 4, 6, 5. aut designatur praesenti hac forma res ante acta quasi in praesens prolongata et perdurans.

Plaut. Amph. 2, 2, 71. *Sosia ille, quem iamdudum dico.* Terent. Phorm. 3, 1, 7. *et quidem, here, nos iamdudum hic te absentem incusamus qui abieris.* Cic. in Catil. 1, 5, 12. *quod te iamdudum hortor.* in Verr. 3, 36, 83. *non intelligis, haec, quae iamdudum loquor, ad aliam quaestionem — pertinere?* Cic. p. Cluent. 22, 63. *vocat me alio iamdudum tacita vestra exspectatio.*

Terent. Phorm. 2, 1, 59. *iamdudum te omnes nos accusare audio immerito:* unde Bentleius correxit verba Andr. 1, 4, 1. *audivi, Archyllis, iamdudum.* At Plaut. Merc. 5, 2, 112. *iamdudum audivi.*

3. Componitur altera pars sententiae, in qua tempus per vocabulum *quum* designatur.

Plaut. Asin. 5, 2, 40. *iube dare vinum: iamdudum factum est, quum primum bibi.* **Trin. 4, 3, (4,) 3.** *iamdudum factumst, quum abisti domo.*

4. Notanda est negatio, quae inter utramque partem verbi interponitur apud Plaut. Poen. 1, 2, 105. *quia iam non dudum ante lucem ad aedem Veneris venimus.* quo quidem demonstrari licebit, veteres duo vocabula seiuncta scripsisse. Hoc quidem argumento utitur Heinrichius in defendenda scriptura diremtorum nominum *res publica*, sed vereor ne parum proficiat in constituendo uno modo, qui vulgari usu duplex erat. Neque negari poterit veteres quidem aliquando scripsisse *iam dudum*, sed non diverso sensu.

5. In iis locis, ubi librarii *iam dudum* et *iam diu* commutaverunt, veluti apud Cic. de Off. 1, 40, 143. de Senect. 6, 18. quaerendum erat de discrimine. Quae Gernhardus p. 38. libri Cic. de Senect. dixit, ego non satis intelligo. In *diu* exprimitur ipsa longi temporis diuturnitas: *per dudum* autem terminatur tempus, quasi dicamus: diu usque ad hoc tempus, *eine Weile eben.* vid. Tom. 2. p. 328. et conf. Doederlini Synomyma. p. 96. Tom. 3. Sed usus non semper hoc discrimen spectat, nisi quod verbis *iam diu* maiorem vim tribuit.

6. Quod in comicorum oratione observavimus, *dudum* etiam de proximo tempore usurpari (vid. Tom. 2. p. 302.), id poetae reliqui ad *iamdudum* ita transferebant, ut significarent *iam modo*, *nun eben*, maxime in oratione adhortante. Quare *iamdudum* componitur cum imperativo et cum coniunctivo. Cf. Laur. Vallae. Elegant. 2, 34. Neque proximum est tempus, quod hac ipsa particula notatur, sed definitur distinctius.

Virgil. Aen. 2, 103. *iamdudum sumite poenas.* **Servius explicat:** *quam primum, modo:* **itemque Donatus ad Terent. Andr. 1, 4, 1. Conf. Sitzmannus ad Boeth. p. 164. Burmannus autem originem dictionis quaerit in transmutata sententia: quasi dicendum fuisset: iamdudum sumere debebatis poenas. Doederlinus ellipsin statuit plenae orationis: iamdudum sumendas sumite poenas: quod non potest approbari. Broukhusius ad Tibull. 3, 6, 63. omnia alia miscet.**

Ovid. Met. 11, 482. *ardua iamdudum demittite cornua, rector clamat.* **ubi Iahnius coniungi malit verba** *iamdudum clamat.* **Stat. Theb. 1, 270.** *iamdudum ab sedibus illis incipe.* **Senec.**

Med. 190. *vade veloci via monstrumque saevum, horribile iamdudum avehe.*

Ovid. Art. am. 2, 457. *candida iamdudum cingantur colla lacertis.* ubi antecedunt verba *breve sit spatium.* Est igitur *statim*, *alsbald.*

7. Sed etiam in alius generis sententiis posuerunt poetae *iamdudum* pro *nunc iam*, *modo*, vel pro *statim*, παραυτίκα, siquidem ita definitur tempus instans.

Sil. Ital. 15, 352. *haec ubi sedere, ardentes attollere sese iamdudum certant in equos.* Lucan. 5, 423. *iamdudum nubes et saevas perdimus undas.* Val. Flacc. 6, 604. *ora sub excelso iamdudum vertice coni saeva micant.* i. e. *nun eben.* 6, 456. *visa iamdudum prosilit altis diva toris.*

Ovid. Her. 20, 80. *iamdudum dominae more venire iube:* ubi cohaerent verba *iamdudum venire*, ut apud Sil. 1, 300. Art. am. 1, 317. *dixit et ingenti iamdudum de grege duci iussit.* Lucan. 6, 341. 4, 545. *nec plura loquuto viscera non unus iamdudum transigit ensis.* Stat. Theb. 6, 856. *terraeque propinquat, iamdudum aetherias eadem reditura sub auras.* Lucan. 2, 523. *in medios belli non ire furores iamdudum moriture paras?* quae Cortius non recte cepit, quasi *iamdudum* ad *paras* pertineret. Pertinet enim ad *moriture*, ut intelligatur illico moriturus. Nam si cum Micyllo sensum esse dicimus: cur non iamdudum paras in belli furores ire, qui alioqui moriturus es? sententia inepto languore laborat. Neque aliter Seneca Epist. 70, 22. *quare non omne tormentum, omne ludibrium iamdudum effugio?* Senec. Herc. Oet. 320. *saxa iamdudum et faces in te ferentur.*

8. Sicut *quum* vidimus ad tempus designandum in altera enuntiationis parte apponi, ita etiam de tempore praesente *dum*, quo apparet *iamdudum* significare *nunc demum.*

Virgil. Ge. 1, 212. *cereale papaver tempus humo tegere, et iamdudum incumbere aratris, dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.* I. H. Vossius male reddit *sogleich.* Est *nun eben.*

IBI.

Grammatici de origine vocabuli IBI consentiunt fere omnes, factum id esse ex *is* pronomine. Dativum nominant plurimi, quemadmodum *sibi* ex prisco *si* natum

sit. Vid. Lindemann. de Adverbio Comm. 2. p. 5. Qui autem in India radices verborum fodiunt, instrumentalis casus formam *bhis*, quae est pluralis, etiam in singulari numero aliquando usurpatum esse *bhi*, suo, quod dicunt, iure contendunt, atque ex *ibhi* factum esse *ibi* suspicantur. Vid. Max. Schmidtii Comment. de Pronomine p. 83. Alii tamen in propioribus regionibus consistunt, et graecam terminationem localem φι in latino *bi* agnoscunt, atque *alibi* cum graeco ἄλλοφι (dicendum erat ἄλληφι, ut ἑτέρηφι) comparant. Quod certe nostro usui suppetit. Perizonii enim opinionem ad Sanctii Minerv. 3, 14, 37. prolatam, qua *inbi* in *ibi* mutatum esse dicit, vix commemoratu dignam putamus. Nec mensura vocabuli suppeditat ullum argumentum: nam extrema syllaba anceps est. Vid. Servius ad Virg. Aen. 1, 116.

Est *ibi* igitur id quod *in eo loco*. Etenim pronomen *is*, quod vulgo demonstrativum appellant, personam indicat tertiam, et cum *qui* coniunctum, relativi speciem induit. Demonstrativa vero vis, a Schmidtio aliisque negata, in iis quidem haud dubie apparet, quae aliquam rem absolutam indicant: quod multis exemplis adverbii *ibi* demonstrari potest. Nam recte vocamus pronominale adverbium. Intelligitur vero vel locus, vel tempus, vel ipsa res, quae loci nomine significatur.

I. 1. Primum igitur intelligimus *in eo loco*, *daselbst*, *dort*. Non raro nomen ipsius loci praemittitur, idque, quod de eo dicitur, per verba *atque ibi*, *et ibi*, *ibique* adiicitur.

Plaut. Capt. 2, 2, 6. (10.) *tandem abii ad praetorem. Ibi vix requievi, rogo syngraphum.* Asin. 2, 1, 5. *Ibi tu ad hoc dici tempus dormitasti in otio.* Liv. 21, 48, 9. *ibi quum vim pararent, spes facta proditionis.* Varro de L. L. 5, 3. *hoc sacrificium fit in Velabro — ad sepulcrum Accae, ut quod ibi prope faciunt Diis Manibus Servilibus sacerdotes.* i. e. in illius loci propinquitate.

Plaut. As. 1, 1, 104. LI. *Nempe in foro?* DE. *Ibi.* Cic. in Verr. 4, 43, 94. *Herculis templum est apud Agrigentinos non longe a foro, sane sanctum apud illos et religiosum. Ibi est ex aere simulacrum ipsius Herculis.*

Terent. Heaut. 1. 1, 59. *in Asiam hinc abii propter pauperiem, atque ibi simul rem et gloriam armis belli repperi.* Cic.

Phil. 2, 31, 77. *delituit in quadam cauponula, atque ibi se occultans perpotavit ad vesperam.* Tusc. 5, 37, 109. *fugit Tarquinios Corintho et ibi suas fortunas constituit.*

Nomen loci, praesertim vulgari in sermone, additur, ut *ibi* abundare videatur. Plaut. Curc. 4, 1, 15. *in medio propter canalem, ibi ostentatores meri.* v. 19. 22. Cist. 1, 1, 18. *nec nisi disciplina apud te fuit quidquam ibi, quin mihi placeret.*

Iurisconsulti quaerebant, quomodo accipiendum fuerit, si praetor dixisset *ibi*: de qua re vide Digest. 43, 16, 1, 37.

2. Diximus *ibi* substitui nomini loci. Ponitur ergo, ne nomen iterum pronuntietur, aut ut locus aliis locis opponatur. Veteres scriptores ita loquuti sunt de regionibus terrae, de locis apertis, de rebus, in quibus aliquid locum occupabat: recentiores autem id etiam ad vasa referebant, ut *ibi* esset *in eo.*

Celsus 3, 18. p. 152. *sic vero significatur lachryma arboris in Aegypto nascentis, quam ibi συκόμορον appellant.* Liv. 40, 46, 10. *T. Tatius et Romulus, in cuius urbis medio foro acie hostes concurrerant, ibi concordes regnarunt.* i. e. in ea urbe. Caes. B. gall. 1, 15. *in eo flumine pons erat. Ibi praesidium ponit.* i. e. in eo ponte. B. civ. 1, 47.

Plin. Hist. n. 2, 96, 98. *in Crustumino natum foenum ibi noxium, extra salubre est.*

Gaius in Dig. 13, 6, 18, 3. *item qui sciens vasa vitiosa commodavit, si ibi infusum vinum vel oleum corruptum effusumve est, condemnandus eo nomine est.*

3. Sicuti reliqua huius generis vocabula, etiam *ibi* componitur cum verbo *loci.* Rara tamen sunt exempla.

Plin. Hist. n. 6, 10, 12. *ibi loci, terrarum orbe portis discluso, ex adverso maxime Harmastis oppidi Iberum.*

4. Opponitur verbum *alibi.* Sed *ibi* pro *illic* dicitur, ubi ex adverso respondet *hic*, de quo vide III, 3.

Celsus 2, 17. p. 94. *at si temporibus integris primum ibi, deinde alibi sudor incipit, fovendum os aqua calida.*

5. Per pleonasmum componuntur verba *illic ibi* apud Plautum.

Plaut. Capt. 5, 4, 3. *illic ibi demum'st locus, ubi labore lassitudo est exigunda ex corpore.*

6. In describendo loco componitur *ibi* cum relativis

nominibus, quae sunt *ubi*, *unde*, *quo loco* et huius generis alia. Et potest relativa enuntiatione ipse locus, ad quem *ibi* spectat, definiri.

Plaut. Curc. 1, 2, 7. *nam ubi tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.* Cic. ad Fam. 6, 1, 1. *nemoque sit, quin ubivis, quam ibi, ubi est, esse malit.* 6, 4, 9. *tempus est huiusmodi, ut — ubi quisque sit, ibi esse minime velit.* 3, 6, 7. *non modo ibi non fuisti, ubi me quam primum videre posses, sed* etc. ad Att. 11, 2. *tutius videbatur fore ibi, ubi est, quam apud publicanos.* Cato de R. r. 6, 3. *sicubi in his locis ripae aut locus humectus erit, ibi cacumina populorum serito.*

Liv. 28, 26, 3. *vicit sententia lenior, ut, unde orta culpa esset, ibi poena consisteret.* 3, 9, 9. *nec denique ars ulla consummatur ibi, unde ordiendum est.* Senec. Epist. 75, 7. Iustin. 3, 7, 10. *unde periculum quaesitum fuerat, ibi maximam gloriam invenit.*

Liv. 8, 9, 12. *evidentissimum id fuit, quod quacumque equo invectus est, ibi haud secus quam pestifero sidere icti pavebant.* Celsus 8, 9. p. 530. *quo loco maxime humor intus perseverabit, ibi pus proximum erit.*

Cato de R. r. 6, 2. *qui ager frigidior et macrior erit, ibi oleam licinianam seri oportet.* Varro de R. r. 2, 1, 5. *quo descenderant, ibi processerunt longe.*

7. Plautus Merc. 2, 3, 27. *nec sacrum, nec tam profanum quidquam est, quin ibi illico adsit.* Hoc posterioris temporis usus ita contraxit, ut *ibi* pro *in ipso loco* sive pro *illico* usurparet. Sumpta haec videntur ex vulgari loquutione.

Quintil. 4, 1, 54. *hoc ipso quod non compositum domi, sed ibi et ex re natum, et facilitate famam ingenii auget et — fidem quoque acquirit.* 11, 2, 46. *memoria autem facit etiam prompti ingenii famam, ut illa, quae dicimus, non domo attulisse, sed ibi protinus sumpsisse videamur.* 12, 9, 19.

Huc refero formulam iuridicam, quae legitur apud Ciceronem p. Mur. 12, 26. *inde ibi ego te ex iure manu consertum voco.* Et paullo post: *unde tu me ex iure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco.* Nam *inde ibi* non potest esse *in eum locum*, ut voluit Graevius, neque *indidem*, quod placuit Steinmetzio. *Inde* enim significat ob eam caussam, *ibi* est *illico*: quasi quis dicat *deshalb ohne Weiteres.*

8. Etiam pro *ibidem* dicitur, quemadmodum *id* pro *idem* ponitur.

Quintil. 5, 10, 93. in afferendis exemplis: *ex maiore pro Caecina: — ex difficiliore: — et ibi: an sperandi* etc.

9. Pompeius grammaticus in Comment. p. 340. demonstrat soloecismum esse, si quis *ibi*, quod sit permanentis, cum verbis proficiscendi vel eundi coniungat. Attamen Heineccius narrat in iurisconsultorum libris interdum *ibi* significare *in eum locum*. Scilicet deterioris est latinitatis, quam ne bonis scriptoribus affingamus cavendum erit. Vnum verbum *venire* excusationem inveniet, si pro *advenire* dictum putemus. Sed Floridus Sabinus Lect. subcis. 2, 1. hunc usum iurisconsultis communem cum vulgo fuisse statuit.

Gaius in Digest. 1, 2, 1. *istae praefationes et libentius nos ad lectionem propositae materiae producunt, et quum ibi venerimus, evidentiorem praestant intellectum.* Argument. in Ovidii Metam. 14, 5. *ac novissime Vlysses remedio Mercurii ibi venit.*

Corrupta sunt verba Labeonis Dig. 14, 2, 10, 2. *si conduxisti navem amphorarum duo millium et ibi amphoras portasti, pro duobus millibus amphorarum pretium debes.* Et quod in Cod. Iustin. 4, 21, 18. legitur: *ut possint occasione testium in aliis locis degentium litigantes vel procuratores eorum ibi destinare:* opposita verba habet *in aliis locis* nec *destinare* significat mittere aliquo, ut Heineccio visum, sed constituere.

II. 1. Haec ad tempus referuntur, de quo etiam ἐνταῦθα et germanicum *da* usurpatur. Nec ponitur *ibi* tantum in iis, quibus praecedit *ubi*, sed etiam per se ipsum significat *tum*. Interdum potest explicari verbis *quo facto*, sicuti apud Graecos ἐνταῦθα.

Terent. Eun. 2, 2, 29. *ille ubi miser famelicus videt me esse tanto honore et tam facile victum quaerere, ibi homo coepit me obsecrare, ut sibi liceret discere id de me.* Plaut. Aul. 2, 2, 20. *ubi manum iniicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam.* 3, 5, 51. Epid. 2, 1, 1. *ubi pudendum est, ibi eos deserit pudor, quum usus est ut pudeat.* Liv. 3, 69. 3. *in senatum ubi ventum est, ibi vero in Quintium omnes versi* etc.

Plaut. Truc. 1, 2, 14. *ibi est ibus pugnae et virtuti, de praedonibus praedam capere.* Liv. 2, 35, 2. *ibi ira est suppressa.* 2, 21, 12. *sequuta est pedestris acies. Ibi nihil nec divinae, nec humanae opis dictator praetermittens aedem Castori vovisse fertur.* Multa exempla vide apud Drakenb. ad Liv. 7, 23, 4. et apud Duker. ad 2. 35, 1. et apud Cortium ad Plin. Epist. 1, 5, 5. Virgil. Aen. 2, 792. *ter conatus ibi collo dare brachia circum.*

Curtius 7, 5, 39. *ibi ille facinus purgare non ausus regis titulum se usurpare dixit.* Bene restituit Heumannus Lactantio 1, 11, 34. Nec debebat dubitare Valckenarius in Catulli de Coma Beren. 33. cf. Heusingeri Emendat. p. 12.

Celsus 2, 17. p. 95. *et ibi quoque, antequam aliquid assumat, insudet.*

2. Id etiam de futura re usurpatur.

Plaut. Most. 5, 2, 57. *ibi utrumque et hoc et illud poteris ulcisci probe.* Terent. Andr. 2, 3, 5. *sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet.*

3. In narrationibus colloquentes saepe utuntur hac particula, ubi *iam* vel *tum* dicendum videtur. Idque fit etiam praemisso *postquam.* Vulgaris sermo imprimis his particulis monstrativis abundat.

Plaut. Amph. 1, 1, 94. *perduelles penetrant se in fugam: ibi nostris animus additus est.* 5, 1, 11. 5, 1, 16. Most. 1, 2, 28. *atque illud saepe fit, tempestas venit, confringit tegulas imbricesque: ibi domum indiligens reddere alias nevolt.*

Plaut. Amph. 5, 1, 39. *postquam parturire hodie uxor occoepit tua, ibi utero exorti dolores.* Terent. Hec. 1, 2, 53.

4. Pleonasmus sive duplicatio eiusdem notionis cernitur in collocatis verbis *ibi tum* sive *tum ibi:* quo modo Germani loquuntur *da dann.* Similiter *ibi deinde.*

Plaut. Curc. 5, 2, 47. *exoritur ventus turbo: spectacula ibi ruunt: ego pertimesco: tum ibi me nescio quis arripit timidam atque pavidam.* Terent. Andr. 1, 1, 79. *ibi tum filius cum illis qui amarant Chrysidem, una aderat frequens.* ubi vid. Ruhnken. 1, 1, 104. *ibi tum exanimatus Pamphilus bene dissimulatum amorem — indicat.* Cic. p. Caec. 10, 27. *quum Aebutius Caecinae malum minaretur, ibi tum Caecinam postulasse, ut moribus deductio fieret.*

Celsus 5, 28, 12. *ibi deinde si dilabitur specillum, nondum caries est.*

5. In sermonibus comicorum etiam verba *ibi nunc* coniunguntur.

Plaut. Amph. Prol. 135. *ibi nunc meus pater memorat, legiones hostium ut fugaverit.* Curc. 3, 68. *quia nudius quartus venimus in Cariam ex India: ibi nunc statuam volt dare auream solidam.*

6. Non mutatur significatio, quam exposuimus, quando a narrantibus componuntur vocabula *ibi quum*, *ibi postquam*. Additur enim in rei factae narratione temporis designatio, ut intelligamus rem tum temporis esse factam. Germani loquuntur *als da*.

Liv. 40, 5, 7. *ex composito sermones ad spretionem Romanorum trahebant. Ibi quum alii mores et instituta eorum, alii res gestas — eluderent, iuvenis incautus — omnia tuendo suspectum se patri et opportunum criminibus faciebat.* 22, 1, 4. *per idem tempus Cn. Servilius consul Romae idibus martiis magistratum iniit. Ibi quum de republica retulisset* etc.

Liv. 39, 31, 4. *ibi postquam laborare aciem Calpurnius praetor vidit* etc.

7. Quemadmodum *illico* ad tempus refertur, ita *ibi*, quod pro *illo* dici iam supra memoravi, etiam de re usurpatur protinus vel statim facta.

Terent. Eun. 4, 1, 8. *invitatust: mansit. Ibi illa cum illo sermonem occipit.* Plaut. Poen. 3, 3, 42. *sermonem nobiscum ibi copulat.*

III. 1. Ipsas res rerumque conditionem nominibus loci designari omnibus notum est. Ita fit, ut *ibi* explicemus *in ea re*, *in eo*, praesertim quum in praecedentibus legitur verbum, quod aliquem ad aliquam rem promotum esse aut in aliqua re versari significat. Et brevitatis caussa particula usurpatur, ubi dicendum est, inter aliquam rem agendam vel in aliqua re gesta aliquid factum esse: id quod Germani dicunt *dabei*.

Plaut. Epid. 4, 2, 23. *numquid ego ibi peccavi?* Terent. Ad. 5, 4, 13. *duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi.* ubi Donatus: *ibi inquit, quasi uxor locus sit.* Cic. p. Rosc. Am. 29, 82. *si quid est quod ad testes rescrvet: ibi nos quoque ut in ipsa caussa paratiores reperiet, quam putabat.* Sallust. Cat. 5, 2. *huic ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere: ibique iuventutem suam exercuit.* Vid. Cortius. 3, 3. Quintil. 2, 2, 12. *id mutuum est et ibi declamationis fortuna.* 7, 1, 5. *si confessum, non poterat ibi esse quaestio.*

Ulpian. in Dig. 1, 8, 9, 3. *quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi deo non sit consecratum: et interdum in sanctionibus adiicitur, ut qui ibi aliquid commisit, capite puniatur.* i. e. in his sanctionibus.

Liv. 5, 7, 3. *horaeque momento simul aggerem et vincas —*

incendium hausit, multique ibi mortales — ferro ignique absumpti sunt. Redde *dabei.*

2. Formula est *ibi esse*, quo modo dicitur *hic esse.* Significat in ea re agenda vel cogitanda versari. Vid. Westerhov. ad Terent. Heaut. 3, 1, 63.

Terent. Heaut. 5, 2, 30. *immo et ibi nunc sum, et usque id egi dudum.* 3, 1, 62. *etsi subsensi id quoque, illos ibi esse, id agere inter se clanculum.*

3. Demonstrativam particulae vim insignem videmus in iis, quibus opponitur *hic.* Est igitur *ibi* pro *in illo* dictum.

Celsus 3, 1. *hic enim breve spatium est, intra quod, si quod auxilium non profuit, aeger exstinguitur: ibi et deliberationi et mutationi remediorum tempus patet.* Vlpian. in Dig. 47, 8, 4, 6. *eritque haec differentia inter hoc edictum et superius, quod ibi de eo damno praetor loquitur, quod dolo malo hominibus coactis datum est —: at hic de eo damno, quod dolo malo in turba datum est* etc.

4. Componitur *ibi* de rebus dictum cum relativa sententia, ut ipsum repraesentet notionem earum rerum, quae definiuntur.

Varro de Ling. lat. 7, 3. (8, 3, 10.) *quarum rerum usus erat simplex, simplex ibi etiam vocabuli declinatus.*

5. Nec praetermittamus, quemadmodum *unde* pro *a quo*, *ubi* pro *apud quem* ponatur, etiam *ibi* de hominibus, tamquam de rebus usurpari.

Liv. 1, 24, 2. *cum trigeminis agunt reges, ut pro sua quisque patria dimicent ferro. Ibi imperium fore, unde victoria fuerit.*

*) *Ibi* et *ubi* saepe commutata sunt. vid. Tacit. Ann. 12, 69. 15, 10. Drakenb. ad Liv. 2, 7, 8. 27, 5, 2. qui etiam monstrat, quomodo librarii *sibi* et *tibi* pro *ibi* scripserint.

IBIDEM.

Ibidem formatur in speciem verborum *idem*, *quidem.* Per syllabam *dem* notio verbi *ibi* restringitur eoque augetur. Nam vocabulo *idem* revocamur ad rem, quae ante iam enuntiata et una est: *ibidem* significat *in*

eodem loco. Saepe tamen intelligimus *in ipso eo loco.* Quare Festus haud male: *ibi dicitur, quum locus semel demonstratur: ibidem, quum saepius.* Sed omnia fere, quae nobis in *ibi* observanda erant, communia nunc iterum agnoscere nos oportet in *ibidem*, fortasse etiam correptionem mediae syllabae, certe apud scenicos. Quam quum Grotefendus negasset, brevem syllabam mediam defendit Lindemannus afferens exemplum Terentii Andr. 4, 4, 39. Id imitati videntur recentissimi poetae. Sed ne in Iuvenci Evang. Hist. 3, 80. legeretur: *ille iubet cunctis ibidem convivia poni:* iam Badius Ascensius scripsit *cunctis illic.* Et Paullinus Nolanus in carm. contra poetas vanos, quod alii Claudiano Mamerto tribuunt, v. 48. *cognosces ibidem ne pergas tradere fatis.* Ceterum de accentu in secunda syllaba ponendo agit Servius ad Virg. Aen. 1, 116.

I. 1. Significat igitur *in eodem loco: daselbst.*

Terent. Andr. 4, 4, 37. *nisi puerum tollis, iam ego hunc in mediam viam provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.* Plaut. Merc. 2, 3, 99. *ibidem mihi etiam nunc adnutat.* intellige, ex eodem loco.

2. Coniungitur particula cum nomine ipsius loci, ut indicetur eum esse eumdem, aut ut nomen appositum distinctius definiat locum.

Plaut. Capt. Prol. 26. *medicus Menarchus emit ibidem in Alide.* Most. 2, 2, 70. *isque me defodit insepultum clam ibidem in hisce aedibus.* Cist. 5, 7. *intus ibidem uxor tua est.*

Cic. de Inv. 2, 51, 154. *ut — ille autem, cuius merces erant, in gladium in navi ibidem incumberet.* Videntur verba *in navi* a glossatore adiecta: quibus omissis, tamen intelligitur navis. Dominus mercium enim non reliquit navem: et quaerebatur potius, num is, qui de vitae statione decesserit, navem reliquisse videri posset.

3. Significat *in ipso loco eodem: eben daselbst.*

Cato de R. r. 37, 3. *vitis, si macra erit, sarmenta sua concidito minute et ibidem inarato aut infodito.* Cic. p. Quint, 27, 84. ex edicto: *quod ibidem recte custodire poterunt, id ibidem custodiant.*

4. Saepius intelligimus res in uno eodemque loco simul vel continuo factas.

Cic. de Inv. 2, 4, 14. *simul coenare et in eodem loco somnum capere voluerunt. Coenati discubuerunt ibidem.* Lucret. 3, 1093. *praeterea vorsamur ibidem atque insumus usque.* Virgil. Aen. 1, 116. *ast illam ter fluctus ibidem torquet agens circum.*

5. Hoc modo fit, ut pro *illico* ponatur. Qua significatione coniunguntur verba *hic ibidem*, uti dicitur *hic idem.*

Cic. p. Rosc. Am. 5, 13. *caussam dicit is, qui etiam ad hoc ipsum iudicium cum praesidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur.* Lucret. 6, 792. *nocturnumque recens exstinctum lumen ubi acris nidor subfundit nares, tum cogit ibidem concidere.* Quintil. 9, 2, 69. *vel quum quaerere nos quid dicamus fingimus: — et quum ibidem invenire.* Sueton. Aug. 39. *lenissimum genus admonitionis fuit traditio coram pugillarium, quos taciti et ibidem statim legerent.* Domit. 23.

6. Verbum *ibidem* excipit ab altera parte relativum *ubi*, uti dicitur *ibi — ubi.*

Plaut. Truc. 4, 4, 31. *ubi amici, ibidem opus.* Bacch. 1, 2, 26. *ibidem ego meam operam perdidi, ubi tu tuam.* Iustin. 2, 2, 10. *quippe ibidem divitiarum cupido est, ubi et usus.*

7. Poetae quidam non sine negligentiae specie *ibidem* pro *ibi* usurpabant.

Lucret. 6, 175. *ventus ibi invasit nubem et vorsatus ibidem fecit, ut ante, cavam, docui, spissescere nubem.* 6, 124. *quom subito validi venti collecta procella nubibus intorsit sese conclusaque ibidem — cogit, ut fiat spisso cava corpore circum.*

8. Quod de *ibi* notavimus, in quasdam formulas admitti, quae ipsae motum in aliquem locum factum videantur significare, id etiam de *ibidem* dicendum est. Plautus bis utitur verbis *ibidem una traho.* Trin. 1, 2, 166. *egomet me adeo cum illis una ibidem traho.* et 2, 4, 10. *ibidem una traho.* Sabinus Floridus in Lect. Subcis. 2, 1. *ibidem* pro *eo* dictum putabat. Vtroque in loco formulam habemus computandi, quam reddas *ich ziehe dazu.* At *ibidem* tamen esse potest: in eadem computatione, in eadem ratione.

II. 1. De tempore. *Ibidem* est in eodem tempore.

Virgil. Ge. 3, 500. de aegrotante equo: *demissae aures, incertus ibidem sudor, et ille quidem morituris frigidus.* Explicant: circa aures, capitis sudor. Quod mihi ineptum esse videtur.

2. Vna est ratio temporis et rei agendae in verbis, qualia sunt Plauti Pers. 4, 4, 62. *tibi ibidem das, ubi tu tuum amicum adiuvas.* i. e. qua re amicum adiuvas, in eadem tibi das, sive, quando amicum adiuvas, tum etc.

III. Haec loci notio ipsas res comprehendit: unde *ibidem* significat in eadem re, in eadem conditione. Quapropter explicari poterit verbis *simul, item.*

Plaut. Cist. 2, 1, 52. *si redierit illa ad hunc, ibidem loci res erit.* Cic. p. Caec. 9, 23. *laesit in eo Caecinam: sublevavit ibidem.* Gratii Cyn. 114. *blandimenta vagae fugies novitatis: ibidem exiguo nimiove nocent.* i. e. item. conf. Burmann. ad h. l.

Cic. de Fin. 1, 6, 19. *deinde ibidem homo acutus, quum illud occurreret.* i. e. in eadem argumentatione. Acad. 2, 14, 44. *deinde ibidem, inter falsa visa et vera nihil interesse.*

IDCIRCO.

Partes, quibus vocabulum IDCIRCO constat, per se declarantur. Nam qua ratione formae *quo, qua, quum* coniunctionum vices praestant, eadem et adverbii et praepositionis naturam induunt *circum, circa, circo.* Hoc vero cum *id* compositum fit *idcirco*, quod idem est ac *circum id*, vel *circa id.* Vtrum scribatur *idcirco*, an assimilatione facta *iccirco*, non potest codicum auctoritate demonstrari. In inscriptionibus antiquis nusquam inveni *iccirco*, sed *idcirco* legitur apud Gruterum p. 23, 12, p. 229, 2. p. 408. conf. Spalding. ad Quintil. 5, 9, 6.

Significatio una est, et quum *circa id* exprimat esse id, quod ad eam rem, de qua loquimur, pertineat, nexus rerum caussalis hoc modo designatur, sive in origine sive in fine rei cernitur. Germani simili modo loquuntur *darum.* Sed *idcirco* interdum etiam internam caussam indicat, de qua re conf. IDEO. Nunc usum describamus.

I. Primum igitur perspicua est relativa particulae natura. Nam sequuntur, vel inversa oratione praemittuntur *quod, quia, quoniam.* *Quia* non adeo multa habet exempla.

Terent. Andr. 4, 2, 7. *nam idcirco accersor, nuptias quod mi apparari sensit.* Cic. ad Fam. 9, 2, 7. *putaret me idcirco disce-*

dere, quod quosdam homines oculi mei ferre non possent. 9, 1, 2. *etsi non idcirco eorum usum dimiseram, quod iis succenserem.* Plin. Epist. 1, 8, 14. *nec — idcirco, quod gloriam non meruit, minus pulchrum est.*

Cic. p. Rosc. Am. 50, 145. *quod bona, quae Roscii fuerunt, tua facta sunt, idcirco hunc illius filium studes perdere.* Phil. 2, 15, 38. *quod autem habebat uterque quid sequeretur, idcirco tolerabilior erat nostra dissensio.* de Off. 1, 44, 158.

Plaut. Merc. 1, 1, 34. *hoc pauciloquium rursum idcirco praedico, quia nullus umquam amator adeo'st callide.* Cic. de Div. 2, 10, 25. *sin autem idcirco possunt provideri, quia certa sunt et fatalia* etc. Quintil. 5, 9, 6. *nec enim, quia movetur, qui ingreditur, idcirco, qui movetur, ingreditur.*

Cic. de Am. 9, 32. *quia natura mutari non potest, idcirco verae amicitiae sempiternae sunt.* ad Att. 12, 21. *quae omnia quia Cato laudibus extulerat in coelum perscribendaque censuerat, idcirco in eius sententiam est facta discessio.* de Leg. 2, 4, 10.

Libri scripti variant in voc. *quod* et *quia* apud Cic. de Off. 3, 7, 33.

Traian. ad Plin. Epist. 10, 41. *memineris idcirco te in istam provinciam missum, quoniam multa in ea emendanda apparuerunt.* Columell. 12. Prooem. 5. *et quoniam hunc sexum custodiae et diligentiae assignaverant, idcirco timidiorem reddidit quam virilem.* 7, 5, 7.

Iavolenus in Dig. 47, 2, 92. *haec idcirco, quoniam furti eatenus habet actionem, quatenus eius interest.* Vlpian. in Digest. 49, 1, 10, 4.

2. Oratio haec ita potest conformari, ut, caussa antea exposita, res, quae ex ea pendet, in speciem conclusionis addatur. Tum *idcirco* significat *hanc ob caussam*, *quare.*

Plaut. Rud. Prol. 26. *facilius, si qui plus est a dis supplicans, quam qui scelestus est, inveniet veniam sibi. Idcirco moneo vos ego haec, qui estis boni, quique aetatem agitis cum pietate et cum fide, retinete porro.*

3. Tum vero caussa, quapropter aliquid fiat, posita est in consilio vel fine rei agendae. Sequitur, praemisso *idcirco*, aut *ut*, aut *quo*, aut *ne*, *ut ne.*

Cic. ad Att. 6, 1. *qui me idcirco putent bene audire velle, ut ille male audiat.* ad Fam. 9, 13, 9. *quam idcirco non fugiunt, ut et vivant cum suis et moriantur domi.* 9, 6, 4. *hoc ego id-*

circo nosse te volui, ut scires hospitium tibi ubi parares. In Verr. 5, 66, 169. 5, 9, 23. Quintil. 5, 11, 8. Lactant. 2, 2, 3.

Inversa oratione Cic. p. Rosc. Am. 47, 137. *quae ut fieret, idcirco pugnatum esse arbitror.*

Plaut. Pseud. 1, 5, 149. *suspicio est mihi nunc vos suspicarier, me idcirco haec tanta facinora promittere, qui vos oblectem, hanc fabulam dum transigam.* Cic. ad Att. 1, 19. *Lucullus — dixerat, se, quo facilius illas probaret romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et σόλοικα dispersisse.* Caes. B. gall. 5, 3. *sese idcirco ab suis discedere atque ad eum venire noluisse, quo facilius civitatem in officio contineret.*

Cic. ad Fam. 13, 7, 5. *quas idcirco non commemoro, ne de miseriis meorum necessariorum conquerens homines, quos nolo, videar offendere.* p. Rosc. Com. 7, 20. *qui idcirco capite et superciliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur.* p. Flacc. 9, 21. p. Cluent. 46, 128. *ne autem nimium multi poenam capitis subirent, idcirco illa sortitio comparata est.* Acad. 2, 25, 79. *quod ne id facere posses, idcirco heri, non necessario loco, contra sensum tam multa dixeram.*

Hirtius B. afr. 9. *hoc eum idcirco existimo fecisse, ut marituma oppida post se ne vacua relinqueret.* In Cic. Tusc. 1, 32, 78. restituenda est scriptura codicum: *illud autem, quod — non facile ad credendum est, — id idcirco non dant, ut, quum diu permanserit, ne intereat.* Suo more loquutus est Cicero, quod alii dixissent: illud ideo non concedunt, ut ne animus, quum diu permanserit, interire videatur.

4. Caussa in hoc genere enuntiationum exprimitur etiam conditionali sententia. Sic componuntur *si* — *idcirco*, *etsi* — *idcirco*.

Plaut. Rud. 3, 3, 38. *ne invisas habeas, neve idcirco nobis vitio vortas, si quippiamst minus quod bene esse lautum arbitrare.* Cic. de Orat. 2, 40, 171. *non si Opimium defendisti, Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt.* Quintil. 8, 6, 15. *non enim, si Cicero recte sentinam rei publicae dixit, — idcirco probem illud quoque veteris oratoris: persecuisti rei publicae vomicas.* De hac formula *neque si — idcirco* frequenter usitata vide NEQVE.

Cic. de Leg. 1, 11, 32. *nec, si opiniones aliae sunt apud alios, idcirco qui canem et felem ut deos colunt, non eadem superstitione, qua ceterae gentes, conflictantur.* In quibus verbis critici non satis perspexerunt Ciceronis mentem, atque scribendum censuerunt *non colunt.* Ille vero cogitavit similitudinem super-

stitionis non posse negari propter diversas, quae inter homines inveniuntur, opiniones. Dicit enim: non propterea quod opiniones sunt aliae apud alios, ii, qui canem ut deum colunt, diversa superstitione quam ceterae gentes conflictantur.

Etsi — idcirco. Cic. de Orat. 1, 50, 206. vide Tom. 2. p. 601.

5. Notanda est interrogationis forma in verbo *idcircone*, ab initio sententiae posito.

Cic. p. Rosc. Am. 49, 141. *idcircone experrecta nobilitas armis atque ferro rem publicam recuperavit, ut ad libidinem suam liberti servulique nobilium bona, fortunas vestras nostrasque vexare possent?* p. C. Rabir. 8, 23. *idcircone oportuit C. Rabirium desciscere a re publica?*

6. Quum grammatici vidissent bonos scriptores non dixisse *et igitur*, sed tamen *et ideo*, *ideoque*, quaesiverunt etiam, num umquam apud eos usitatum fuerit *et idcirco*. Ernestius affirmavit: quod quidem nulla affirmatione indigebat. Nam quum *idcirco* per se constet, nihil prohibet, quo minus sententiae coniungantur per vocabula *et* vel *que*.

Cic. de Inv. 1, 8, 11. *non quod de facto constet, sed quod id, quod factum sit, aliud alii videatur esse, et idcirco alius alio nomine id appellet.* ad Fratr. 1, 2, 2. Sueton. Caes. 9. Curt. 8, 9, 36. Lactant. 5, 1, 5. orditur sententiam hic: *Et idcirco disceptatione sublata pellitur e medio sapientia.*

IDENTIDEM.

Originem et formam adverbii IDENTIDEM veteres grammatici docent, esse mutatis literis *idem et idem*. Priscianus enim p. 945. *in neutro tamen praeterea geminatur compositio. Dicimus enim identidem, id est, idem et idem, cuius obliqui deficiunt casus.* Additque paullo post: *mutatur enim* M *in* N *ante* D *euphoniae caussa.* Beda de Orthographia p. 2337. *identidem per* N *in priore loco scribendum est, licet sit ab idem et idem compositum.* Si quis vero cum Vossio statuere malit, *t* litteram non ex *et* sumptam, sed in verbis *idem idem* interpositam esse eo modo, quo etiam in aliis, veluti in *ἀντίω*, *plecto*, inseri soleat, haud temere desiderabimus analogiam. Aliam enim rationem sequimur in componendis verbis, aliam in formandis. Ne-

que enim demonstrari poterit litteram D paragogicam, ad hiatum explendum interpositam, mutari in T, neque comparari D finalis in extremis verbis *haud*, *sed*, *illud* cum T commutata. Lindemannus igitur de Adverbio 4. p. 11. et ad Plaut. Mil. 4, 8, 55. scribendum censet *itendidem*, ut compositum videatur ex *item* et *idem*, addita *d* euphonica. Equidem non arbitror *et* copulam esse interiectam, sed quum *idem* neutrum pro *item* dici possit, et *idemidem* componi in modum verborum *utut*, *quidquid*, non dubito, quin, D littera inserta, factum sit *idendidem*, idque vel vulgari pronuntiatione, vel quod *et* subesse grammaticis visum esset, in *identidem* mutatum. Duriorem enim litteram in usu scriptorum fuisse aperte declarat Priscianus. De litteris *m* et *n*, de quibus Cellarius Orthogr. p. 256. disseruit, non magna erit dissensio, modo reputaverimus *m* scriptum ante *t* sonasse *n*. Quare recte scribemus *idendidem* sive *idemdidem*, nec tamen pronuntiationem imitantes errabimus scribendo *identidem*.

Glossae: *identidem*. παρ' ἕκαστα, ἐπαλλήλως, ὡσαύτως. Onomastica: συνεχῶς. Recentiores: διηνεκῶς, αὖθις καὶ αὖθις. Quae omnia significationem non distincte definiunt. Est enim idem idemque, quod se offert saepius idem. Id pro adverbio dicitur item itemque, et de rebus, quae non semel recurrunt, sed saepius, sive quae iterum iterumque aguntur, saepius iteratae. Vsus vocabuli non ad omnes scriptores pertinet. Terentius nusquam posuit.

1. Igitur *identidem* non modo de eo usurpatur, quod iterum iterumque redit, hoc est plus semel, sed etiam de eo, quod admodum frequenter et crebro fit. Illud est *wiederholt*, hoc autem *oft*.

Plaut. Men. 1, 2, 51. *ne te uxor sequatur, respectas identidem.* cf. Cas. 5. 2, 13. Cic. p. Rabir. Posth. 12, 34. *recitabatur identidem Pompeii testimonium.* i. e. plus semel. p. Domo 55, 140. *quemadmodum ista praeposteris verbis —, identidem se revocando — omnia aliter, ac vos in monumentis habetis, et pronuntiarit et fecerit.* Caes. B. gall. 2, 19. *quum se illi identidem in silvas ad suos reciperent et rursus ex silva in nostros impetum facerent* etc. *zu wiederholten Malen.* Liv. 9, 32, 6. *quum identidem legem aemiliam recitaret.* i. e. plus semel. 5, 48, 4. *in quibus quum identidem Galli famem obiicerent eaque necessitate ad deditionem vocarent* etc. 26, 44, 4. *subsidia identidem submissa e*

castris non averterunt solum in fugam hostem, sed etc. 40, 56, 9. *quum identidem species et umbrae insontis interemti filii agitarent.* 4, 20, 8. vide Drakenb. ad 8, 28, 3. Plin. Epist. 5, 6, 42. Quintil. 6, 3, 49. *quum — identidem interrogaret, quo tempore Clodius occisus esset, respondit, sero.* Plin. Epist. 3, 9, 27. *nolito ergo identidem quaerere, quid Romae geratur.* 1, 13, 4. Pan. 66, 1. *neque enim ut in sterili ieiunaque materia eamdem speciem laudis diducere ac spargere, atque identidem tractare debemus.*

Praesertim verba monendi coniunguntur cum hac particula. Cic. p. Rosc. Am. 38, 110. Pricaeus ad Apulei. Met. 5. p. 255.

Cic. de Nat. d. 2, 57, 142. *idque providit, ut identidem fieri posset cum maxima celeritate.* de Inv. 2, 26, 78. *is animadvertit sororem suam de fratrum morte non laborantem, sponsi autem nomen appellantem identidem Curiatii cum gemitu et lamentatione.* Quintil. 6, 3, 86. *quum — instaret identidem accusator ei: dic, M. Tulli, numquid potes de Sex. Annali?* Sueton. Ner. 25. *incedenti passim victimae caesae, sparso per vias identidem croco.* Plin. Pan. 64, 2. *identidem me, an audierim, an viaerim, interrogo.* Epist. 6, 7, 2. *invicem ego epistolas tuas lectito atque identidem in manus quasi novus sumo.* 6, 20, 16.

2. Quum id, quod saepe frequenterve fit, continuum videatur, dicitur *identidem* de eo, quod continuo fit, nec intermittitur. Idcirco in iis proprie usurpatur, quibus, ne quid omittant aut intermittant, alios monemus.

Accius apud Cic. Tusc. 3, 26, 62. *scindens dolore identidem intonsam comam.* Catull. 51, 3. *qui sedens adversus identidem te spectat et audit dulce ridentem.* Plaut. Bacch. 3, 3, 75. *nullo pacto res mandata potest agi, nisi identidem manus ferat ad papillas, labra a labris nusquam auferat?* Truc. 4, 2, 25. *rem accipere identidem.* Cic. de Fin. 2, 23, 75. *hoc enim identidem dicitis, non intelligere nos voluptatem quam dicatis.* de Nat. d. 3, 10, 24. *quid chalcidico euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius?*

Rhetor. ad Herenn. 4, 56, 69. *nunc identidem nosmet ipsi nobis instemus. Res enim communis agitur, ut frequenter et assidue consequamur artis rationem studio et exercitatione.* Plin. Pan. 2, 5. *intelligamus ergo bona nostra, dignosque nos illis usu probemus atque identidem cogitemus, quam sit indignum, si maius principibus praestemus obsequium.*

Plaut. Mil. 4, 8, 54. *cogitato identidem, tibi quam fidelis*

fucrim. i. e. ne intermitte cogitare. Trin. 1, 2, 110. *et quaeso identidem circumspice.*

3. Hinc exprimit *per totum tempus*, *semper: immerwährend*, et de consuetudine sempiterna usurpatur. Imprimis adhibetur ad verba crescendi, augendi, amplificandi. Et de consuetudine quidam ita dicunt, ut intelligamus, quotiescumque illud fiat, toties hoc quoque fieri.

Liv. 5, 39, 6. *omne id tempus suspensos ita tenuit animos usque ad lucem alteram, ut identidem iam in urbem futurus videretur impetus primo adventu, quo accesserant ad urbem.* Curt. 4, 15, 33. *exaudiebant tamen strepitus habenarum, quibus equi currum vehentes identidem verberabantur.* Sueton. Aug. 28. *quam voluntatem quum prae se identidem ferret, quodam etiam edicto his verbis testatus est.*

Cic. p. Rosc. Am. 30, 84. *L. Cassius ille — identidem in caussis quaerere solebat, cui bono fuisset.* Plin. Epist. 9, 6, 2. *quo magis miror, tot millia virorum tam puerilitcr identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre.*

Curt. 9, 9, 10. *identidem intumescere mare et in campos paullo ante siccos descendere superfusum.* h. e. *fortdauernd schwoll das Meer an.*

Curt. 9, 4, 18. *novis identidem armis novos hostes exsistere.*

4. Neque aliter, quando quis in aliqua re permanere, non mutata sententia, dicitur.

Liv. 1, 54, 1. *inde in concilia publica adhiberi: ubi, quum de aliis rebus assentire se veteribus Gabinis diceret —, ipse identidem belli auctor esse.*

5. Peculiari modo componitur cum verbis *repetere*, *revolvere*, *reverti*, et quae sunt huius generis. Reddimus *immer wieder.*

Cic. ad Att. 13, 26. *itaque revolvor identidem in Tusculanum.* i. e. *ich komme immer wieder auf das Tusc. zurük.* Rhet. ad Herenn. 2, 18, 27. *haec enim res facit, ut neque diutius, quam satis sit, in iisdem locis commoremur, neque eodem identidem revolvamur.* Plin. Epist. 9, 40. *illa, quae dictavi, identidem retractantur.* 9, 31, 1. *legi enim librum tuum identidem repetens ea maxime, — quae de me scripsisti.*

6. Notandum etiam est, quomodo cum nominibus *omnia* et *multa* coniungatur, ut significetur, nihil umquam esse exceptum, aut omnibus vel multis esse id, quod dicitur, commune.

Liv. 5, 25, 4. *Camillus identidem omnibus locis concionabatur.* 35, 23, 2. *nam etsi per legatos identidem omnia explorabantur.*

Liv. 1, 9, 12. *multisque sciscitantibus, cuinam eam ferrent, identidem, ne quis violaret, Talassio ferri clamitatum.*

Rhet. ad Herenn. 3, 22, 37. *sed illud facere oportebit, ut identidem primos quosque locos imaginum renovandarum caussa celeriter animo pervagemur.* Liv. 33, 45, 6. *adversae Hannibali factionis homines principibus romanis, amicis quisque suis identidem scribebant.*

7. Laurentius Valla Elegant. 2, 50. *identidem* demonstrat esse frequenter cum quodam intervallo, ut si iter faciens crebro ad comitem respiciam, an me sequi possit: quod posteriores scriptores dicebant *subinde.* Esset igitur ex hac opinione id quod *von Zeit zu Zeit.* At ex iis, quae nos attulimus, satis patet, hoc vocabulum eiusdem rei crebram repetitionem indicare: intervalli nulla omnino est ratio. Sunt loci, in quibus si reddas *dann und wann*, verendum est ne ineptus fias, veluti Curt. 9, 9, 21. *miles nec egredi in terram, nec in naves subsistere audebat, identidem praesentibus graviora, quae sequerentur, exspectans.*

IDEO.

De origine vocabuli IDEO haud parva exstat opinionum varietas. Lindemannus de Adverbio 2. p. 19. ita disputat: „*Ideo* proprie est *id eo, dies darum:* id ea de re: quod quum saepe iungeretur, ubi *id* suum haberet locum suamque potestatem, veluti: *id eo factum est ut:* accidit deinde longo usu, ut iungerentur in unum vocabulum duo diversa.“ Haec fortasse speciosa videbuntur aliis: me quidem fugit, quomodo *id*, quod subiectum enuntiationis sit, copuletur cum nomine *eo*, quod ad praedicatum pertinet: nec potest caussa huius confusionis sive breviloquentiae in longo usu quaeri: redundat scilicet *id* in tali compositione. Sed ista sententia ne nova quidem est, verum iam a Perizonio ad Sanctii Minerv. 3, 14, 37. proposita, non firmiori quidem argumentatione substructa. Adde Ramshornii Grammat. p. 851. Idem tamen Perizonius meliorem explicationem invenisse sibi videbatur, quum diceret, *ideo* esse *in eo* vel *indu eo*, elisa littera *n*, quasi intelli-

geretur *in eo negotio.* Quae formatio omnino falsa est. Sanctii ad praepositiones omissas refugientis opinionem referre piget. Nemo autem negabit *ideo* duabus partibus constare. Atqui *id* et *eo* propterea videntur esse composita, ut in duplicata notione eiusdem generis maior et distinctior vis exsisteret. *Id* enim accusativus parum differt ab *eo*, quemadmodum Graeci dicunt τοῦτο. Vid. Sophocl. Oed. Tyr. 1005. Terent. Ad. 5, 8, 16. *idne estis auctores mihi?* Quae ratio effecit, ut *idque* etiam diceretur, ubi *ideoque* exspectaremus, et *id* — *quia* pro *ideo* — *quia.* vid. Terent. Andr. 2, 3, 2. Si vero illam vim, quam affert *id*, reddere volumus, pronominale nomen vix poterit adhiberi. Dicimus *eben darum.* Graeci simili ratione, ut Euripides Ion. 556. (568.) τοῦτ' ἐκεῖ: quod non erat corrigendum.

Comparari possunt dictiones pleonasmi nomine designatae τίνος δὴ χάριν ἕνεκα apud Platonem, ἀμφὶ περὶ κρήνην: de quibus conf. Hermann. de Ellipsi et Pleonas. p. 201. (220.)

Idcirco rem esse indicat, ad quam alia res referatur sive quacum alia cohaereat caussali nexu: *eo* autem internum nexum exprimit caussae, ex qua quid proveniat. Hanc caussam cum graviore distinctione notat *ideo.* Ramshornius Grammat. p. 851. cum aliis caussam et occasionem in his vocabulis distinguit, non satis reputans, haec ratio si proba esset, proprie cum *ideo* coniungendum esse *quoniam*, quod tamen rarius et a recentioribus scriptoribus componitur. Latini vero in vulgari usu discrimen illud subtilius non diligenter curarunt, *ideo* eodem significatu ponere soliti, quo *idcirco* dicitur. Quare omnes fere dictionis formae, quae in *idcirco* notavimus, habent etiam in *ideo* exempla similia. Quae vero similitudo inter *eo* et *ideo* intercedat, vide apud Varronem de Lingua lat. 4, 1. (5, 1, 5.).

1. Componitur igitur *ideo* cum relativae enuntiationis altera parte. Coniunctiones sunt *quod*, *quia*, *quoniam*, haec quidem nusquam apud antiquiores scriptores obvia, illae autem etiam apud poetas.

Varro de Re r. 2, 6, 5. *ideo quod plerique deducuntur ad molas.* Cic. p. Rosc. Am. 30, 85. *ideo quod tametsi veritatis erat amicus, tamen natura non tam propensus ad misericordiam — videbatur.* ad Fam. 1, 8, 11. *re quidem ipsa ideo mihi*

non satis facio, quod nullam partem tuorum meritorum — consequi possum. ad Att. 3, 14. *in Epirum ideo — non veni, quod subito mihi universi nuntii venerant.*

Lucret. 3, 830. *quodsi forte ideo magis immortalis habenda est, quod vitalibus ab rebus munita tenetur.* Horat. Epist. 1, 19, 26. *ac ne me foliis ideo brevioribus ornes, quod timui mutare modos et carminis artem.*

Varro de L. lat. 6, 2. (7, 2, 11.) *neque ideo, quod sancta, sed quod, ubi mysteria fiunt, attuentur, tuesca dicta.* Columell. 3, 2, 12. *quae hoc vocabulum non ideo usurpat, quod sola ex omnibus amineis, verum quod praecipue canescit lanugine.* Vlpian. in Dig. 5, 3, 42.

Cic. ad Q. fratr. 3, 1, 7. *quod multos dies epistolam in manibus habui, — ideo multa coniecta sunt.*

Plaut. Merc. 1, 1, 31. *hoc ideo fit, quia quae nihil attingunt ad rem — haec amator profert saepe adverso tempore.* Cic. ad Att. 2, 1. *ut mulieres ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur.* Liv. 45, 22, 5. *qui ideo felicia bella vestra esse, quia iusta sint, prae vobis fertis.* Lucret. 3, 815. Quintil. 6, 4, 1.

Cic. ad Fam. 13, 7, 7. *sed quia confido mihique persuasi illum et dignitatis municipii et aequitatis et etiam voluntatis erga se habiturum esse rationem, ideo a te non dubitavi contendere, ut* etc. Lucret. 1, 814. *quia multimodis communia multis multarum rerum in rebus primordia multa sunt, ideo variis variae res rebus aluntur.* Quintil. 5, 11, 35.

Vlpian. in Dig. 47, 2, 47. *competit enim actio non ideo, quia nunc abest, sed quia umquam beneficio furis abfuit.*

Celsus Praef. p. 8, 4. *ideo supervacaneum esse contendunt, quoniam comprehensibilis natura sit.* 2, 19. *quae omnia ideo noscenda sunt, quoniam aliud alii vel corpori vel valetudini convenit.* Plin. Hist. n. 20, 18. 76. *addidit Andreas ideo non protinus excoecari eo, quoniam adulteraretur Alexandriae.* 16, 29, 51. Senec. Epist. 76, 4. *immo ideo magis propera, quoniam id nunc aggressus est.* Vlpian. in Dig. 3, 2, 2, 2. *hoc ideo adiectum est, quoniam multa genera sunt missionum.*

2. In his notandum est illud genus orationis, in quo sententiae alicui adiungitur caussae demonstratio ita, ut verba *ideo quia* clausulam imponant, veluti apud Ciceronem de Off. 1, 30, 110. *neque enim attinet repugnare naturae, nec quidquam sequi, quod assequi non queas: ex quo magis emergit, quale sit decorum illud: ideo quia nihil decet invita, ut aiunt, Minerva.* Et

apud Plautum Merc. 3, 1, 45. *sequere sis huc me. Diem unum oravit, ut apud me praehiberem locum: ideo, quia uxor ruri est.*

3. Sed ea, quam modo declaravimus, forma non una est caussae exponendae. Haec enim vel ablativis, vel conditionali sententia potest exprimi.

Tacit. Ann. 14, 49. *his atque talibus recitatis et offensione manifesta, non ideo aut consules aut Thrasea decessit sententia.*

Varro de L. lat. 4, 1. (5, 5.) *non, si non potuero indagare, eo ero tardior: sed velocior ideo, si quievero.* Cic. p. Coel 9, 21. *sed vestrae sapientiae tamen est, iudices, non, si caussa iusta est viris fortibus oppugnandi M. Coelium, ideo vobis quoque vos caussam putare esse iustam — consulendi.* Varro de Re r. 1, 18, 3. *nec si bis tanto ampliorem fundum aut eo plus colas, ideo duo vilici aut tres habendi fuere.* Vid. NEQVE et NON. Quintil. 2, 17, 24. *si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator.*

4. Sed caussa, ad quam *ideo* revocat, saepe ante dictis est designata, nec sequitur relativa enuntiatio. Tum *ideo* per se significat *ob hanc caussam, quare.*

Cic. de Fin. 5, 29, 87. *ideo enim ille summum bonum εὐθυμίαν — appellat.* Celsus Praef. p. 5, 22. *saepe vero etiam nova incidere genera morborum, in quibus nihil adhuc usus ostenderit: ut ideo necessarium sit animadvertere, unde ea coeperint.* Quintil. 9, 2, 46. *nam ideo dictus εἴρων.* Phaedr. 4, 23, 16. *nihil laboras: ideo quum opus est, nil habes.*

5. Quo in usu nihil impedit, quo minus alteram hanc sententiam per verba *ideoque*, *et ideo*, *neque ideo* adiungamus, aut etiam in principio sententiae has particulas collocemus. *Igiturque* dicere non licet. Proprie componuntur *atque ideo*, quae saepe commutata sunt cum *atque adeo.* vid. Tom. 1. p. 505. Frequentissime Lucretius et Celsus ita loquuntur.

Cornel. Alcib. 9, 5. *videbat id sine rege Persarum non posse fieri ideoque cum amicum sibi cupiebat adiungi.* Lucret. 4, 491. 496. 680. 5, 625. Sueton. Caes. 86. Calig. 50. Caes. 45. *ideoque et deficientem capillum a vertice adsuevera*t, *et ex omnibus* etc. Quintilianus saepissime ad aliam sententiam hoc vocabulo adhibito transit. Quare non reiicienda videtur librorum scriptura in 10, 2, 13. Heineccius observavit iurisconsultos *ideoque* posuisse in nectenda oratione, ut Instit. 2, 13, 1.

Celsus 7, 26, 2. p. 477. *ac primum circa cervicem quaeritur calculus: ubi repertus minore negotio expellitur. Et ideo dixi ne curandum quidem.* Plin. Hist. nat. 2, 8, 6. *Saturni autem sidus gelidae ac rigentis esse naturae, multoque ex eo inferiorem Iovis circulum et ideo motu celeriori duodenis circumagi annis.* Quintil. 7, 4, 23. *et ideo qualitas maxime oratoris recipit operam.*

Varro de Re r. 1, 59. *et ideo oporothecas qui faciunt, ad aquilonem ut fenestras habeant, atque ut eae perflentur, curant: neque tamen sine foriculis, ne quum humorem amiserint, pertinaci vento vieta fiant. Ideoque in iis camaras marmorato et parietes pavimentaque faciunt, quo frigidius sit.*

Celsus 2, 2. *considerandum est, num cui saepius horum aliquid eveniat, neque ideo corporis ulla difficultas subsequatur.* Tacit. Ann. 1, 12. *nec ideo iram eius lenient.* Sueton. Aug. 54. *nec ideo libertas, aut contumacia fraudi cuiquam fuit.*

Caes. B. civ. 3, 11. *Vibullius — non minus necessarium esse existimavit, de repentino adventu Caesaris Pompeium fieri certiorem, uti ad id consilium capere posset, antequam de mandatis agi inciperet: atque ideo — ad Pompeium contendit.* Lucret. 1, 1088. 1053. 2, 386. 395. 3, 583. Quintil. 12, 10, 2.

6. Quando effectus aliquis vel consilium aliquod tamquam caussa, quapropter aliquid fiat, designanda est, ponitur *ideo*, adiunctis verbis *ut*, *ne*, *quo*, *quin*. Germani *darum daſs*.

Varro de Re r. 3, 16, 15. *quas ideo videntur medias facere angustissimas, ut figuram imitentur earum.* Cic. Verr. 4, 4, 7. *idcirco nemo superiorum attigit, ut iste tolleret? ideo C. Claudius Pulcher retulit, ut C. Verres posset auferre?* de Inv. 2, 23, 70. Traian. ad Plin. Epist. 10, 118. *sed ego ideo prudentiam tuam elegi, ut formandis istius provinciae moribus ipse moderareris.*

Cic. Agrar. 3, 2, 4. *neque vero nunc disputabo, quod hunc statum rei publicae non magnopere defendendum putem, — sed ut doceam Rullum* etc.

Cic. Verr. 1, 41, 106. *an ideo aliquid contra mulieres fecit, ne totum edictum ad Chelidonis arbitrium scriptum videretur?* Liv. 4, 6, 2. *ideoque decemviros connubium diremisse, ne incerta prole auspicia turbarentur.* Quintil. 4, 1, 33. *non tamen omittenda, vel ideo, ne occupentur.* Vlpian. in Dig. 1, 7, 17. *ne forte eum ideo arroget, ne rationes reddat.*

Tacit. Hist. 4, 73. *nec ideo Rhenum insedimus, ut Italiam tueremur, sed ne quis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur.*

Varro de Ling. lat. 4, 16. (5, 90.) *quom id ideo facerent, quo facilius deminuerent hosteis.*

Liv. 2, 15, 2. *non, quin breviter reddi responsum potuerit, non recipi reges, ideo potius delectos patrum ad eum missos, quam legatis eius Romae daretur responsum, sed ut in perpetuum mentio eius rei finiretur.*

7. Accedere potest huius caussae expositio, vel ut intelligatur, quae ipsius consilii ratio sit, vel ut perspicuitas orationis augeatur. Ita Quintil. 4, 2, 128. *ideo autem reperta, ut, quia narratio brevis esse debet, fusius et ornatius res possit exponi.* Columella 3, 2, 12. de aminea: *sane boni vini, sed lenioris quam superiores, crebram quoque materiam fundit: atque ideo propter pampini densitatem saepe parum recte deflorescit.* i. e. ob crebram materiam et quum nimia sit densitas pampini.

8. Fuerunt, qui docerent *ideo* eleganter significare id quod *tamen.* Vid. Scheffer. et Schwabium ad Phaedr. 2, 8, 11. At haec vis, quam illi tribuunt particulae, debetur universae sententiae aut aliis verbis, quamquam concedi poterit, *nec ideo* pro *nihilo magis* dici. Recentiores scriptores dixerunt *neque ideo tamen, non ideo tamen.*

Virgil. Ge. 2, 94. de uvarum generibus: *purpureae, preciaeque: et quo te carmine dicam, Rhaetica? nec cellis ideo contende falernis.* Nec est nec tamen, *ideo* hoc nomine. Celsus 2, 2. extr. *in primis tamen illud considerandum est, num cui saepius horum aliquid eveniat, neque ideo corporis ulla difficultas subsequatur.* i. e. nec tamen ideo. Tacit. Hist. 4, 44. *ambo gravi senatus consulto damnati pulsique, quamvis concesso aliis reditu, in eadem poena retenti sunt. Nec ideo lenita erga Mucianum invidia.* Ann. 12, 39. *tum Ostorius cohortes expeditas opposuit: nec ideo fugam sistebat, ni legiones proelium excepissent.*

Phaedr. 2, 8, 11. *frontem bubulcus affert, nec ideo videt.* Obscuritatem orationis animadvertentes, Salmasius et Heinsius correxerunt *nec adeo.* Fortasse tamen *ideo* defendi poterit exemplis Taciti allatis. Sed apud Tacit. Ann. 15, 4. haud improbum videtur *non adeo*, quod in cod. guelferbyt. legitur.

Male huc retulerunt Plin. Hist. n. 2, 8, 6. *summum esse quod vocant Saturni sidus ideoque minimum videri et maximo ambire circulo — certum est.* Summum intellige in altissimo coelo.

Cels. 2, 14. *potest enim morbus minus gravis esse quam fuerit, neque ideo tamen solvi.* 3, 9. Quintil. 2, 6, 3. *neque ideo tamen minus vitia aperte coarguenda sunt.* 8, prooem. 18. *non ideo tamen sola est agenda cura verborum.* 4, 2, 87.

*) Commutantur saepe *adeo* et *ideo.* vid. Tom. 1. p. 155. Et *eo.* vid. Cort. ad Plin. Epist. 1, 5. Burmann. ad Sueton. Tiber. 29. Librarii utuntur compendio io̅: quod interdum pro *id* acceptum est. cf. Goerenz. ad Cic. de Fin. 5, 29, 87. Notandum est etiam dici *id eo.* Plaut. Curc. 1, 1, 61.

IGITVR.

De origine vocabuli IGITVR quid veteribus grammaticis visum sit, ipsi non tradiderunt. Vossius in Etymologico primus exstitit huius rei investigator et, „videtur, inquit, dici quasi *id agitur* eiecto D, ut *aperio* ex *ad* et *pario.*“ At *aperio* ex *a-pario* ortum esse constat, neque alia exempla verborum *videlicet*, *ilicet*, *pedetentim* istius compositionis rationem comprobant, neque etiam usus congruit, in quo istius etymologiae vestigia identidem evanescunt. Quamquam ne nunc quidem desunt, qui illam opinionem certam et veram existiment. Vid. Boetticheri Lexic. Tacit. p. 206. Neque ignoro etiam Hermannum in Dissert. de Particula ἂν p. 4. ut demonstraret, integras enuntiationes in particulas abiisse, vocabulum *zwar*, quod esset ex *es ist wahr* contractum, attulisse. Sed in hac obscura via caveamus, ne ad miras et incredibiles derivationes aberremus. Absurdum enim est commentum Scheidii, qui graeca verba εἴγε τὸ ἄρ inesse putabat. Ramshornius in Synonym. Tom. 2. p. 115. voculas *id ge tur* compositas putat, quarum altera graecum γὲ sit, altera *tur* significet *penitus*, *durchaus.* Quae omnia difficilius est credere quam negare. Lindemannus denique ad Plaut. Amph. 1, 1, 60. *igitur* dicit esse tertiam personam prisci verbi *igor* vel *icior*, quod significet *sequor.* Cuius derivationis rationem et ipsum illud verbum priscum equidem non satis perspicio, sed *igitur* referendum esse video ad pronominalem stirpem vocabulorum *i is:* quae est etiam Boppii sententia, a Lindemanno in notis ad Festum p. 455. sine caussa reprehensa. *Itur* enim cognatione est coniunctum cum

ita, sive commutatis litteris *r* et *s*, ut idem sit quod *itus*, sive quod *r* finale adiectum est, quemadmodum in aliis adverbiis, ut *luculente* fit *luculenter*. Praefixum autem *ig* mutata est forma syllabae *ic*, quemadmodum *vigesimus* pro *vicesimo*, *negligo* pro *neclego* scribebatur, idque *ic* ex antiquo dicendi et scribendi usu est *hic*. Vid. Schneideri Gramm. 1. p. 184.

1. Primitiva notio huius particulae est *ita*, ad indicandam consequentiam in collatis duobus iudiciis. Relativam sive demonstrativam vocamus hanc vim, qualis apparet in *is* et *ita*, eamque adhibemus ad componendam rationem cum eo, quod consequens est. Nam praemissa conditione sive caussa, apodosin, quae consequentiam exprimit, format. Conf. Canteri Nov. Lect. 4, 26. Acidalii Divin. in Plauti Amphit. c. 6. Germani reddunt *so*. Et sunt aliae dictiones, in quibus *igitur*, cum futuro compositum, censequentiam significat. Festus id explicat adeo verbis *inde*, *postea*, *tum*, quod nimium videtur. Eum tamen sequutus est Nonius 2, 456. in exponendo Plauti loco.

Lex XII Tabul. *sei in ius vocat, nec it antistator, igitur im capito.* Plaut. Amph. 1, 1, 55. (59.) *sin aliter sient animati, neque dent quae petat, sese igitur summa vi virisque eorum oppidum expugnassere.* Lactant. 6, 10, 25. *quod fieri si non potest, retinendum est igitur omni modo vinculum societatis humanae.* 6, 6, 28. *si ergo et philosophis ipsorum confessione adempta sapientia est, et iis qui iusti habiti sunt adempta iustitia est, omnes igitur illae virtutis descriptiones falsae sint necesse est.* 6, 10, 22.

Plaut. Cas. 2, 2, 39. *mox magis quum otium mihi et tibi erit, igitur tecum loquar.* Mil. 3, 1, 177. *quando habebo, igitur rationem mearum fabricarum dabo.* Conf. Taubmann. ad Most. 2, 1, 33.

Plaut. Bacch. 3, 4, 17. *numquam edepol viva me irridebit; nam mihi decretum est renumerare iam omne aurum patri. Igitur mihi inani atque inopi subblandibitur.* Amph. 1, 1, 145. (150.) *igitur magis modum in maiorem in sese concipiet metum.* in quibus ne *magis* sive *magi* quidem mutandum est.

2. Quemadmodum *igitur* in apodosi usurpatur praemissa sententia conditionali, ita contrahitur oratio, et participio praecedente ponitur particula ad ipsum illud participium referenda.

Lucret. 2, 676. *cetera consimili mentis ratione peragrans, invenies igitur multarum semina rerum corpore celare et varias cohibere figuras.*

3. Quomodo *igitur demum* dictum sit a Plauto, expositum est a me Tom. 2. p. 252. Lindemannus ad Plauti Amph. 1, 1, 150. comparat *οὐκοῦν τότε δή*, *οὐκοῦν δή*, *dann nun erst.* Conf. Gulielmi Quaest. in Plauti Rud. c. 3.

4. In designandis et demonstrandis rebus pronomen *hic*, quod pro *hic talis* ponitur, assumere solet *igitur.*

Cic. p. Arch. 5, 9. *his igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinii videtis.* Vehementer errabat Stürenburgius, quum scripturam codicis erfurtensis *talibus* reciperet: nam *his* significat id, quod glossator substituto nomine explicari voluit.

5. Ad comparandas res, quando ex altera ad alteram referimus aequalem conditionem, vel ex propositis concludimus consequens esse alterum, interdum adhibetur *igitur.* Id convenit cum particulae natura correlativa.

Cic. de Fin. 4, 14, 37. *in omni enim animante est summum aliquid atque optimum, ut in equis, in canibus: quibus tamen et dolore vacare opus est et valere: sic igitur in homine perfectio ista in eo potissimum, quod est optimum, id est in virtute laudatur.*

6. Abundare videtur in formulis *igitur tum*, *igitur deinde*, sed eodem modo Germani loquuntur *sodann.*

Plaut. Most. 1, 2, 51. *unum ubi emeritum est stipendium, igitur tum specimen cernitur, quo eveniat aedificatio.* **Stich. 1, 2, 29.** *Post id agam igitur deinde.*

7. Ex hac, quam exposui, ratione intelligitur, quid sit, unde *igitur* accipiat vim monstrativam. Ea vero ita valet, ut exprimat germanicum *nemlich* et pro *enim* ponatur: quemadmodum Graeci *οὖν* pro *γὰρ* dicunt. vid. Demosth. Olynth. 3. p. 28.

Plaut. Most. 5, 1, 53. *surge dum huc: est consulere igitur quiddam quod tecum volo.* Sulpiciae Sat. 32. *stabat in his: neque enim poterat constare sine ipsis: aut frustra uxori mendaxque Diespiter olim: imperium sine fine dedi: dixisse probatur. Nunc igitur, qui res romanas imperat inter, — omnia abire foras —*

iussit. i. e. nunc enim: intelligitur dubitari posse de effato Iovis.

8. Eiusdem originis est formula *igitur ut*, apud Plautum obvia. Significat ea *also dafs*, *nemlich dafs*, *ita quidem ut*, vel etiam *ea caussa ut.* Similiter *igitur quo*, h. e. *so dafs.*

Plaut. Asin. 2, 1, 3. *iam diu est factum, quom discesti ab hero atque abiisti ad forum: igitur inveniundo argento ut fingeres fallaciam.* Epid. 3, 3, 1. *non oris caussa modo homines aequom fuit sibi habere speculum, ubi os contemplarent suum, sed qui perspicere possent cor sapientiae: igitur perspicere ut possent cordis copiam.* h. e. sed quo internam sapientiam perspicere possent, et ita quidem, ut totam animi indolem omnemque eius conditionem perspicere possent.

Huc refero locum Plaut. Amph. 1, 1, 183. (188.) *verum certumst confidenter hominem contra colloqui, igitur qui possim videri huic fortis, a me ut abstineat manum.* Quae quum nec metro nec verborum usui convenire vidissent, critici aut *a me ut* aut *igitur* abiecerunt. At negare non debebat Lindemannus *igitur* consecutivum enuntiatum incipere. *Igitur quo* dicitur pro *igitur ut.* Sed abiiciendum est nomen *manus*, quod addidit aliquis glossator. Susiam enim Mercurius subito interpellat.

9. Sed magis conspicua est haec vis in conclusione, in qua duo iudicia ratione coniunguntur. Dicimus *igitur*, quando ex ante dictis sive cogitatis colligimus ea, quae in illis tamquam in ratione sua continentur, aut ex rerum comparatione prodeunt. Rationalis est particula, et eam quidem conclusionem exprimit, quae sola ratiocinatione conficitur. Distinguimus enim in consequutione caussam et rationem. Illam proprie *itaque*, hanc *igitur* significat: illud ex rebus collatis concludit, hoc ex cognitione. Philosophi suis nominibus appellant nexum logicum et realem. Sed et *ergo* diversum est. Nam *igitur* monstrat rem comprehensam, *ergo* autem simul affirmat, ideoque in graviori argumentatione locum habet. Varietatis caussa inter se interdum commutantur. Ceterum Laurentius Valla Elegant. 2, 42. ait, *igitur* et *ergo* brevioribus adhiberi conclusionibus, *quare*, *quamobrem* maioribus. At brevitas nihil confert, sed gravitas in confirmando iudicio et rerum cohaerentium demonstratio.

Victorin. Exposit. in Rhet. Cic. p. 111. *ubicumque enim ergo et igitur est, conclusio sit necesse est.*

Plenum ratiocinationis genus hoc est: Cic. de Nat. d. 2, 6, 16. *si enim est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certe id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res coelestes omnesque eae, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius.* Acad. 2, 30, 96. *si mentiris, mentiris. Mentiris autem: mentiris igitur.*

Plaut. Aul. 2, 6, 8. ST. *Ligna hic apud nos nulla sunt.* CO. *Sunt asseres.* ST. *Sunt pol.* DO. *Sunt igitur ligna.* Cic. Tusc. 4, 17, 40. *sed tamen transisse videtur modum: quippe qui ob eam caussam a via recesserit. Moderatius igitur ferre debuit.* Quintil. 5, 14, 9. *quodsi melius geruntur, quae consilio quam quae sine consilio administrantur, nihil autem omnium rerum melius quam omnis mundus administratur: consilio igitur mundus administratur.*

Gernhardus, Vallam sequutus, in Cic. Lael. 14, 51. defendit *igitur*, quod aptius sit ad brevioris argumentationis conclusionem. Non brevitas ita suadet, sed ipsa sententia et quod sequitur *ergo*. Eodem modo Cic. Tusc. 5, 18, 53. *sequitur, ut nihil poeniteat, nihil desit, nihil obstet: ergo omnia profluenter, absolute, prospere: igitur beate.*

Quomodo comici verba *ergo igitur* coniungere consueverint, vide Tom. 2. p. 465.

10. Conclusio potest eo modo confici, ut ratio primaria non verbis exprimatur. Quare saepe in colloquiis brevitatis caussa ea omittitur: quo facto, *igitur* affirmationi inservire videtur.

Plaut. Aul. 5, 8. *quin ego illi me invenisse dico hanc praedam atque eloquor? Igitur orabo, ut manu me mittat.* Cic. de Rep. 1, 39. *adducor igitur et propemodum assentior.* ubi Maius coniecit *adducor, inquit,* et Heinrichius *adducor, inquit, ut p. assentiar.* Satis erat restituere: *adducor igitur, ut p. assentiar.*

Festus: *igitur nunc quidem pro completionis significatione valet, quae est ergo.*

11. Nonnulli scriptores, praesertim historici, ex vulgari, ut videtur, consuetudine in demonstranda ipsarum rerum consequutione *igitur* ponunt pro *itaque*, atque in initio sententiae collocant. Atque id saepe

etiam optimo iure fieri potest, quum in una eademque re vel caussam vel rationem intelligi liceat.

Sallust. Cat. 46, 2. *porro autem anxius erat dubitans — quid facto opus esset: poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae reipublicae fore credebat. Igitur confirmato animo vocari ad se iubet Lentulum.* Male explicat Forcellinus *tandem.* 15, 4. *ita conscientia mentem excitam vastabat. Igitur colos exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus.* Liv. 26, 5, 1. *quum in hoc statu ad Capuam res essent, Hannibalem diversum — trahebant curae: vicit tamen respectus Capuae —. Igitur, magna parte impedimentorum relicta in Bruttiis — in Campaniam contendit.* Tacit. Agr. 13. *ipsi Britanni delectum ac tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt, si iniuriae absint: has aegre tolerant, iam domiti ut pareant, nondum ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, — potest videri ostendisse posteris, non tradidisse.* Ann. 1, 62. *igitur Romanus qui aderat exercitus — trium legionum ossa — condebant.*

12. *Igitur* proprie dicitur, ubi ex aliqua re simul colligitur ratio, quapropter alios cohortemur, aut aliquid fieri iubeamus.

Cic. de Fin. 2, 7, 20. *animadverte igitur, rectene hanc sententiam interpreter.* i. e. quum haec tibi nota sint. Nec parenthesin, nec anacoluthon agnosco in his. Tacit. de Orat. 24. *igitur exprome nobis non laudationem antiquorum, — sed caussas* etc. p. Ligar. 12, 37. *fac igitur, quod de homine nobilissimo et clarissimo, M. Marcello fecisti nuper in curia, nunc idem in foro* etc. Quintil. 8. Prooem. 32. *sit igitur cura eloquutionis quam maxima, dum sciamus* etc.

Goerenzius ad Cic. Acad. 2, 30, 96. notavit, *vide* fere ubique adiunctum habere *igitur*, non *ergo*.

13. Transimus per hanc particulam ex ratione vel verbis expressa, vel cogitata tantum ad rem inde pendentem. Quare proprie usurpamus eam in conditionali sententia, quae ex superioribus excipit consequentiam. *Si igitur* est si in hac rerum conditione vel ex hac ratione, *wenn also.*

Plant. Most. 5, 1, 42. *quod si igitur ego arcessam homines?* Cic. Acad. 2, 33, 106. *si igitur memoria perceptarum comprehensarumque rerum est, omnia, quae quisque meminit, habet ea comprehensa atque percepta.*

14. Proposita aliqua sententia adduntur per hanc particulam exempla, quibus illa illustretur, vel argumenta, quibus comprobetur. Barbari dicunt *exempli caussa.*

Tacit. Ann. 1, 74. *manebant etiam tum vestigia morientis libertatis. Igitur Gnaeus Piso, quo, inquit, loco censebis, Caesar?* etc. Propert. 3, 14, (13,) 21. *lex igitur spartana vetat secedere amantes.* Caussam enim poeta exponit, cur spartanae palaestrae iura et bona gymnasii miretur v. 1.

In Cic. de Leg. 1, 16, 45. codex vindobon. insertum habet vocabulum *velut.* Conf. Goerenz. ad h. l. et ad Acad. 2, 30, 96. qui tamen locus non huc pertinet.

15. Notandum videtur, quomodo *igitur* uni nomini adhaereat cum conclusione breviter expressa: velut Cic. Tusc. 1, 29, 71. *nec discerpi, nec distrahi potest, nec interire igitur.*

19. Nunc de usu interrogationis, quae quum de re ignota vel nondum cognita quaerat, ubi conclusione constat, in cogitatione et in rebus cogitatis versatur, ideoque assumit *igitur.* Praesumitur res vel facta vel dicta, eique accommodatur conclusio. Vbi oratio recta in interrogationem exit, aut ubi interrogatio vicem negationis praestat, conclusio fit ex regula. Germani utuntur verbis *also* et *nun.* Nam quod Cicero Phil. 2, 12, 29. dicit: *ecquis est igitur te excepto —, qui illud aut fieri noluerit aut factum improbarit?* reddimus *ist nun wol einer?* atque idem exprimitur recta oratione: *nemo igitur est.* Sed accedit modus ex animi affectu. Haec enim interrogatio propria est admirationi, in qua Graeci usurpant γάρ, et dubitationi incredulae.

Quintil. 8, 4, 21. *non putant indignum Troiani principes, Graios Troianosque propter Helenae speciem tot mala tanto temporis spatio sustinere: quaenam igitur illa forma credenda est?*

Cic. Tusc. 1, 29, 70. *in quo igitur loco est? credo equidem in capite.* de Nat. d. 3, 31, 76. *eam dedisses hominibus rationem, quae vitia culpamque excluderet. Vbi igitur locus fuit errori deorum?*

Terent. Eun. 1, 1, 1. Phaedria secum loquitur: *quid igitur faciam?* cogitans vitae suae conditionem: *was mache ich nun?*

Plaut. Curc. 2, 3, 37. *quid igitur vis?* Cic. Phil. 12, 12, 27. *possumusne igitur in Antonii latrocinio aeque esse tuti?* ad Att.

10, 8. *nam medios esse iam non licebit. Classibus adversabimur igitur?* 8, 14. *totiesne igitur sententiam mutas?*

Cic. Acad. 2, 8, 23. *quaero etiam, ille vir bonus, qui statuit omnem cruciatum perferre, intolerabili dolore lacerari potius quam aut officium prodat aut fidem, cur has igitur sibi tam graves leges imposuerit —?* Vbi rationem Goerenzius non satis perspexit. Horat. Sat. 2, 2, 63. *quali igitur victu sapiens utetur et horum utrum imitabitur? hac urget lupus, hac canis, aiunt.*

17. Vtuntur hac interrogatione in ironia et in sarcasmo, et in vehementiore indignatione. Conf. ERGO.

Plaut. Merc. 2, 3, 20. *igitur hocine est amare? arare mavelim quam sic amare.* Cic. p. Coel. 17, 39. *dicet aliquis, haec igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes?*

Cic. ad Fam. 9, 10, 4. *puto nunc dicere, oblitusne es igitur fungorum illorum, quos apud Niciam?* Curtius 6, 11, 23. *id indigne ferens ille, hunc igitur regem agnoscimus, inquit, qui Philippum dedignatur patrem?*

Curtius 5, 7, 4. *quin igitur ulciscimur Graeciam et urbi faces subdimus?* 10, 6, 23. *quin igitur ad diripiendos thesauros discurritis?*

18. Ita loquitur, qui posita vel concessa re accedit propius ad cognoscendam eam, vel progreditur ad interiorem caussam. Nos Germani: *was aber nun.*

Cic. ad Att. 4, 2. ubi narratur res acta: *dices, quid igitur caussae fuit?*

19. Potest interrogatio antecedere, cuius affirmatio praesumitur, et inde conficitur conclusio alia quaestione.

Quintil. 12, 1, 7. *age non ad perferendos studiorum labores necessaria frugalitas? Quid igitur ex libidine ac luxuria spei?*

20. Haec particula interrogationi illius generis tam apta et quasi cum ea nata erat, ut optimi scriptores non dubitarent eam proximis in enuntiationibus bis ponere.

Cic. de Fin. 2, 28, 92. *dolor igitur, id est summum malum, metuetur semper, etiam si non aderit: iam enim adesse poterit: qui potest igitur habitare in beata vita summi mali metus?* Topic. 4, 25. *his igitur locis, qui sunt expositi ad omne argumentum reperiendum, tamquam elementis quibusdam, significatio et demonstratio datur. Vtrum igitur hactenus satis est?*

21. Brevitatis exemplum in iis videmus, quae interrogationem de ratione quaestionis adiungunt interposita particula *igitur*, quasi dicatur *quaero igitur*.

Cic. Acad. 2, 42, 129. *quid habemus in rebus bonis et malis explorati? Nempe fines constituendi sunt, ad quos et bonorum et malorum summa referatur. Qua de re est igitur inter summos viros maior dissensio?* Dicit enim Cicero: quid habemus exploratum in rebus bonis et malis? Scilicet hoc quaerendum est, quum fines sint constituendi. Quaero igitur, qua de re inter summos viros maior sit dissensio. Critici mirifice hunc locum turbarunt.

22. Restat rhetoricus usus. In eo primum notabo collectivam vim, qua *igitur* singulas res antea expositas in uno nomine comprehendit. Qui ita loquitur, singulas res dictas demonstratione uno in loco colligit et sententiam inchoatam absolvit. In hac dictione necessarium esse existimabat Goerenzius pronomen *hic*, nec dici *eae igitur res*, sed *hae i. r.* Vide eum ad Cic. de Fin. 3, 5, 17. Idque verum est praeceptum, si referimus ad locos, in quibus singulae res ante dictae sunt, nunc rursus comprehendendae. Vbi autem post alias enuntiationes redit oratio ad rem superius dictam, bene se habet *is*.

Cic. in Catil. 4, 11, 23. *quae quum ita sint, pro imperio, pro exercitu, pro provincia, quam neglexi, pro triumpho ceterisque laudis insignibus —: pro his igitur omnibus rebus, pro meis in vos singularibus studiis nihil aliud a vobis nisi huius temporis — memoriam postulo.* Tusc. 1, 27, 69. nominatis multis naturae rebus pergit: *haec igitur* et *alia innumerabilia quum cernimus, possumusne dubitare, quin his praesit aliquis — effector?*

Cic. ad Fam. 13, 1, 5. *cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt, nisi quod in philosophia vehementer ab eo dissentio.* Iam alia multa de Patrone narrantur. Tum recurrit oratio. *Is igitur Patro, quum ad me Romam litteras misissset* etc. Cic. de Orat. 2, 25, 105. *nam et de pecuniis repetundis — negandа fere sunt omnia: et de ambitu raro illud datur, ut possis liberalitatem ac benignitatem ab ambitu et largitione seiungere. De sicariis, de veneficiis, de peculatu infitiari necesse est. Id est igitur genus primum caussarum in iudiciis ex controversia facti.*

23. Interrupta oratione scriptores per hanc particulam redeunt in viam, unde digressi erant. Idque

efficitur monstrativa vi, quae dissoluta orationis membra comprehendit et nectit. Distinguimus vero parenthesin eam, post quam idem, quod ante dictum erat, nomen iterum ponitur, et eam, qua interiecta oratio pergit non eodem verbo repetito, et digressionem, ubi recurrit oratio ad id, quod scriptori praecipue est tractandum. Conf. Gronov. ad Liv. 1, 12, 2. ad Senec. de Ira 1, 3. Davis. ad Cic. de Fin. 1, 6, 19. Cortius ad Cic. Epist. 15, 10, 1. Drakenb. ad Sil. Ital. 14, 441. Heusinger ad Cic. de Off. 1, 1, 3. Matthiae Miscellan. 2. p. 92. nos Tom. 1. p. 569. Graeci habent vocabulum οὖν. vid. Heindorf. ad Plat. Lys. 52. Gorg. 10. Nolim tamen hunc usum coercere regula, quam Matthiae ad Cic. p. Mil. 29, 79. tradidit: hoc modo redordiri orationem, quando ea, quae dicenda sint, ex iis, quae interiecta sint, sequi quodammodo videantur. Ipsa exempla, quae multa sunt, contrarium docent. Ex quo vero huius loquutionis forma magis cognita est, critici eam ad alienissima verba transferre solent: sicuti factum est in Cic. Acad. 2, 7, 21. 2, 8, 23. de Fin. 2, 7, 20.

Cic. de Fin. 3, 14, 45. *recta effectio (κατόρθωσιν enim ita appello, quoniam rectum factum κατόρθωμα) recta igitur effectio — crescendi accessionem nullam habet.* Tusc. 4, 15, 31. *quando ut aliis locis de virtute et diximus et saepe dicendum erit (pleraeque enim quaestiones, quae ad vitam moresque pertinent, a virtutis fonte ducuntur) quando igitur virtus est affectio animi constans* etc. Ita enim scribendum erat. de Fin. 2, 22, 74. *quid enim mereri velis, iam quum magistratum inieris et in concionem adscenderis (est enim tibi edicendum* etc.) *quid merearis igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia voluptatis caussa facturum esse?* ad Fam. 1, 9, 67. *scripsi etiam (nam ab orationibus disiungo me fere, referoque ad mansuetiores musas, quae me maxime — delectant) scripsi igitur aristoteleo more — tres libros in disputatione ac dialogo de oratore.* ad Att. 16, 3. *tu enim sapienter (nunc demum enim rescribo iis litteris, quas mihi misisti, convento Antonio Tiburi) sapienter igitur, quod manus dedisti, quodque etiam ultro gratias egisti.* p. Mil. 29, 79. de Fin. 5, 32. 96. 2, 33, 107. 4, 14, 38.

In locum repetundi vocabuli succedit pronomen vel nomen eamdem rem significans: Cic. de Fin. 3, 5, 18. *rerum autem cognitiones (quas vel comprehensiones, vel perceptiones — appellemus licet) has igitur ipsas propter se adsciscendas arbitramur.* de Nat. d. 1, 17, 44. de Fin. 4, 20, 56. *postea tuus ille Poenulus*

(scis enim Citieos, clientes tuos, e Phoenica profectos) homo igitur acutus. Sil. Ital. 12, 437. *hic miranda movens classem, quae condita portu adstabat, (namque — — pontum) inclusas igitur quibus haud enare dabatur, arce superposita, claustris maris extulit astu.* Cic. ad Attic. 10, 3. ubi scribendum mihi videtur: *quum quod scriberem plane nihil haberem, haec autem reliqua essent, quae scire cuperem, profectusne esset, quo in statu urbem reliquisset —: quum igitur haec nescirem, dedita opera has ad te litteras misi.* Vulgo *scire.* Orellius approbavit correctionem *ut — scirem*, quae a librario profecta est: codices praebent *scirem.*

Mutari potest forma orationis. Cic. p. Balbo 5, 11. *audivi hoc de parente meo puer, quum Q. Metellus L. F. caussam de pecuniis repetundis diceret, ille vir, cui patriae salus dulcior quum conspectus fuit, qui de civitate decedere quam de sententia maluit: hoc igitur caussam dicente, quum* etc.

Digressionis exempla haec sunt: Cic. Tusc. 1, 13, 30. *ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio: multi de diis prava sentiunt: (id enim vitioso more effici solet) omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur: nec vero id colloquutio aut consensus effecit —: omni autem in re consensio omnium gentium, lex naturae putanda est: quis est igitur, qui suorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitae commodis arbitretur?* de Off. 1, 2, 6. Brut. 48, 177.

24. Idem fit, ubi, aliis verbis explicandi vel amplificandi caussa illatis, restituenda est constructio verborum, vel denuo incipiendum a notione ante proposita, ut, ea firmiter comprensa, absolvi possit oratio.

Cic. Tusc. 1, 36, 88. *hoc premendum etiam atque etiam est argumentum, confirmato illo, de quo, si mortales animi sunt, dubitare non possumus, quin tantus interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur: hoc igitur probe stabilito et fixo illud excutiendum est, ut sciatur, quid sit carere.*

25. Quando vocabulum aliquod ob maiorem vim orationis bis ponitur, in hac repetitione, quam ἐπίζευξιν appellant, additur particula *igitur*, sicuti *inquam.* Neque aliter in repetenda eadem sententia.

Cic. p. Mil. 31, 84. *ea vis, ea igitur ipsa, quae saepe incredibiles huic urbi felicitates atque opes attulit, illam perniciem exstinxit.*

Cic. ad Fam. 13, 28, 3. *id igitur (puto enim etiam atquo etiam mihi dicendum esse) velim existimes mihi te fecisse gratissimum.*

26. In narrationibus scriptores quum, ad alias res digressi, etiam post longum intervallum redeunt ad id, de quo erant narraturi, *igitur* ponunt, quasi dicant: ut redeam ad illud. Etiam in expositionibus hoc modo restituitur ordo.

Cic. ad Fam. 13, 1, 5. p. 192. Cornel. Pelop. 2, 5. Thrasyb. 4, 5. ubi Bremius. Iustin. 32, 4, 1. ubi oratio recurrit ad ea, quae narrantur c. 3, 6.

Cic. de Off. 3, 5, 21. *sed redeo ad formulam. Detrahere igitur alteri* etc. Quae male explicuit Beierus.

27. In ordienda narratione et in incipienda expositione Latini collocant *igitur* respicientes ad cogitationem ante actam. Quod quidem facilius fit, si id, de quo exponendum est, ante iam commemorarunt. Itaque particula ingressum sermonis ex antecedentibus factum indicat. Germani eodem modo loquuntur *also*.

Tacit. Ann. 15, 72. *de quo, quia nunc primum oblatus est, pauca repetam: nam et ipse pars romanarum cladium erit. Igitur matre libertina ortus* etc.

Cic. de Leg. 1, 6, 18. *nunc iuris principia videamus. Igitur doctissimis viris proficisci placuit a lege.* Quintil. 8, 3, 63. *sed, quoniam pluribus modis accipi solet, non equidem in omnes eam particulas secabo, — sed maxime necessarias attingam. Est igitur unum genus, quo tota rerum imago quodammodo verbis depingitur.* Cic. de Fin. 1, 20, 66. *de hominibus dici non necesse est. Tribus igitur modis video* etc. Brut. 32, 122. *nobis vero, inquit Atticus, (placet) et vehementer quidem, ut pro Bruto etiam respondeam. Curio fuit igitur eiusdem aetatis fere* etc. de Orat. 3, 5, 17. p. Ligar. 1, 2. Varro de Re r. 2, 6, 2. Sallust. Cat. 54, 1. ubi vid. Cortius. Quintil. 1, 1, 1. 7, 1, 1. 8, 4, 1. 8, 6, 4. Tacit. de Orat. 24.

Tacit. Ann. 1, 31. *inferioris exercitus miles in rabiem prolapsus est orto ab unetvicesimanis quintanisque initio. — Igitur audito fine Augusti vernacula multitudo — impellere ceterorum rudes animos.* Reddunt *daher kam es:* male: nam *igitur* non spectat caussam, sed incipit narrationem seditionis.

Quintilianus et Pomponius Mela incipiunt suos libros ab hac particula, praemisso prooemio.

28. Historici solent, demonstrato rerum statu ac conditione, pergere in narratione ita, ut orationem hac particula suscipiant adiuncto participio. Videtur in his saepe oratio ad continuandam rerum seriem per ipsam particulam necti.

Sallust. Cat. 46, 3. *igitur confirmato animo vocari ad sese iubet Lentulum.* Tacit. Ann. 1, 31. vide paullo ante. Curtius 3, 2, 2. *igitur castris ad Babylona positis, — universas vires in conspectum dedit.* 5, 7, 7. *omissa igitur, quam portaverant, aqua aridam materiem in incendium iacere coeperunt.*

Curtius 7, 9, 17. *Sacae misere legatos, qui pollicerentur gentem imperata facturam. Moverat eos regis non virtus magis quam clementia in devictos Scythas. — Benigne igitur exceptis Sacarum legatis, comitem Excipinon dedit.*

29. Qui rem aliquam demonstrant, transitum ad aliam partem expositionis sibi parant iniecta hac particula, quasi dicant: his expositis. Saepe usurpant verba *quum igitur.*

Varro de Re r. 1, 20, 1. *igitur de omnibus quadrupedibus prima est probatio* etc. Cic. Tusc. 4, 18, 41. *qui modum igitur vitio quaerit, similiter facit* etc.

Cic. de Off. 3, 8, 35. *quum igitur aliqua species utilitatis obiecta est, commoveri necesse est.*

30. I. A. Wolfius in annotat. ad Horat. Sat. 1, 1, 101. scripsit, *igitur* interdum esse signum vehementioris indignationis, et comparavit Ciceronis verba Tusc. 1, 6, 12. *quid dicis igitur?* cum Horatianis: *quid mi igitur suades?* reddens *was? nun rathst du mir gar?* In interrogationibus hanc vim nos iam supra notavimus: in reliquis autem formis *igitur* numquam exprimit indignationem. Ceterum utroque in illo loco is, qui quaerit, ex ante dictis colligit sententiam. Redde *was rathst du mir also?* Rectius Heindorfius comparat graecum τοίνυν, germanicum *nun aber.* Propert. 1, 8, 1. *tune igitur demens?* Intellige: quum ita agas. Haec ergo pertinent ad n. 19.

31. Observatio est a grammaticis iamdudum facta, non dici a veteribus Romanis *et igitur* vel *igiturque*, quamquam recte dicatur *et ideo, et idcirco.* Vid. Weissius de stilo rom. p. 231. Nemo tamen caussam exploravit, quam equidem conspicio in indole particulae re-

lativa. Haec enim tantum valet, quantum in adverbiali *quare*. Nos Germani facilius vernaculae linguae usu decipimur. Sed vitiosum non est, quando aliud nomen praecedit et res alia additur per copulam, non ipsa conclusio coniungitur cum superioribus. Vid. Tom. 2. p. 465.

Cic. Tusc. 5, 16, 47. *affectus autem animi in bono viro laudabilis, et vita igitur laudabilis boni viri, et honesta ergo, quoniam laudabilis.* **Tusc. 1, 29, 71.** *quod quum ita sit, certe nec secerni, vel dividi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec interire igitur.*

In Cic. Phil. 2, 37, 94. nemo defendet *sed igitur:* **quod editiones veteres habent.**

32. In iis particulis, quae non in initio sermonis collocantur, sed aliquam partem enunciationis amplectentes quasi attrahunt ad antecedentia verba, ideoque post unum aliquod vocabulum, vel post plura interponuntur, etiam *igitur* a grammaticis numeratur. Sed Quintilianus 1, 5, 39. ubi soloecismos affert turbati ordinis: *ex quo genere an sit igitur in initio sermonis positum, dubitari potest, quia maximos auctores in diversa fuisse opinione video, quum apud alios sit etiam frequens, apud alios numquam reperiatur.* Priscianus p. 1210. *apud nos autem et igitur et ergo tam praeponuntur quam supponuntur.* Donatus p. 1763. *aut praepositivae sunt coniunctiones, ut at, ast, aut subiunctivae, ut que, autem, aut communes, ut ergo, igitur.* Adde Servium p. 1797. et Augustinum p. 2014. Pompeium 28. p. 387. Comici poetae frequenter ab initio ponunt, persaepe etiam Varro, Sallustius, de cuius usu disputavit Gerlachius ad Catil. 2. p. 38. Livius, de quo Drakenb. ad 2, 48, 1. Curtius, Tacitus, quem narrat Boetticherus praeter sex locos (sunt ii Ann. 1, 47. Hist. 4, 15. Germ. 45. de Orat. 8. 10. et 20.) semper in initio sententiarum posuisse, Plinius, alii. Si vero ex numero, qui semper incertus est, iudicium conformamus, rariora inveniuntur exempla apud Ciceronem, sed plura quam Quintiliano aliisque visum est (triginta locos affert Boetticherus in Lex. Tacit. p. 237.) et apud ipsum Quintilianum 1, 1, 1. 3, 8, 24. 2, 14, 5. Nec sunt ea omnia ratiocinationis sive conclusionis: quamquam facile intelligitur, quomodo fiat, ut particula in transitu, qui ex alia in aliam sententiam per conclusionem

perducit, primum locum occupet, secundum autem, ubi una quaedam notio praestat aut consequutionem in se trahit. Atque ipsa sententia interdum postulat hunc ordinem. Nam non eadem est ratio, utrum dicam *si igitur*, an primariam partem sententiae spectans *igitur*, *si* —. Non sine caussa Goerenzius dubitavit, num in interrogatione primus locus concederetur. In Cic. de Fin. 5, 30, 92. critici substituere *ergo:* at meliores et plurimi codices praebent *igitur:* quod quum comparo cum Phil. 2, 37, 94. ubi codices exhibent *igitur*, *a quo vivo nec praesens nec absens quidquam aequi boni impetravit*, *apud mortuum factus est gratus.* interrogationis forma restituta atque in eius principio particula collocata, omnia bene se habent. Sic Plaut. Merc. 2, 3, 20. *igitur hocine est amare?* Interrogatio autem brevis ita potest esse comparata, ut particula ultimam sedem capiat, velut Plaut. Epid. 3, 4, 63, *quid tibi negotii est meae domi igitur?* Cic. de Nat. d. 3, 17, 43. *hi autem non sunt: ne Nymphae quidem deae igitur?* Nam quod de tertia et quarta et quinta sede doctores praecipiunt, redit ad universam regulam, de qua nos plus semel loquuti sumus. Neque enim tantum praemisso verbo *est* particula tertium locum obtinet, de qua re dixit Beierus ad Cic. de Off. Tom. 1. p. 21. sed post ea vocabula, quibus una quaedam notio vel constructio constat. Quare Cicero non modo scripsit Orat. 9, 33. *referamus nos igitur ad eum, quem volumus, inchoandum.* sed etiam Verr. 1, 32, 81. *huic homini parcetis igitur.* de Fin. 2, 23, 76. *eamne rationem igitur sequare:* quae reddas *solche Grundsätze also.* Nimirum praecedunt vocabula, quae coniuncta primariam notionem efficiunt. Ita factum est, ut in verbis *ne in animo quidem igitur sensus remanet.* Cic. Tusc. 1, 34, 82. *ille mihi videtur igitur vere augurari.* de Div. 1, 15, 27. *in hominem dicendum est igitur.* p. Flacco 10, 23. secundam sedem particula habeat: nec numerantur coniunctiones et praepositiones adhaerentes, velut in Tusc. 1, 6, 12, *quid dicis igitur?* de Div. 2, 64, 132. *quid me igitur mones?* nec quod cum nomine coit, verbum substantivum, velut de Fin. 4, 27, 75. *paria sunt igitur.* Tusc. 1, 14, 32, *quae est melior igitur in hominum genere natura?* de Off. 1, 14, 43. *videndum est igitur.*

Alia multa eiusdem generis exempla collegerunt Noltenius in Lex. antibarb. p. 1531. Goerenzius ad Cic. de Fin. 1, 18, 61. et ad 5, 25, 72. Giesius ad Cic. de Div. 1, 15, 27. Ille vero caussam frustra quaerit in significatione particulae, tamquam asseveratioucm exprimentis. Melius Otto ad libr. de Fin. 5, 30, 91. Conf. Spalding. ad Quintil. 1, 5, 39. et Schellius ad Cic. p. Ligar. 12.

*) In libris scriptis commutari solent *igitur* et *ergo:* vid. Spalding. ad Quintil. 5, 10, 54. Beier. ad Cic. de Off. 1, 37, 134. critici ad Cic. de Fin. 5, 30, 92. 1, 20, 66. Otto ad Caton. 6, 15. et *itaque* Quintil. 8, 4, 12. et *ideo* Tacit. Ann. 11, 19. ut fit in vocabulis idem significantibus.

IL.

Plautus Trin. 4, 2, 61. *quid est ei nomen?* SY. *Quod edepol homini probo.* CH. *Lubet audire.* SY. *Illi edepol, illi, illi, illi. vae misero mihi.* De his Palmerius Spicil. p. 758. „Lego *il, il, edepol il, il.* Neque enim haec ulla cum significatione sunt, sed voces effutitiae, comminiscentis nomen, quod exciderit facilius ante, quam nunc in mentem redeat. Equidem *il, il, il.* Stribligo est et conatus reddendae vocis.“ Haec incertae coniecturae commenta patronum invenerunt neminem.

ILICET.

Ilicet cuius originis sit, ipsa vox sonat. Grammatici vero plurimi, et in iis Donatus et Servius, docent infinitivum inesse et dici pro *ire licet*, in quo quum littera *r* exprimenda esset, quibusdam visum est scribendum *illicet*, quemadmodum scriberetur *intelligo.* Vossius in Etymolog. p. 304. his repugnans demonstrat, in *ilicet* non esse mutationem, sed totius syllabae syncopen. Sed novam viam indagavit Schneiderus, qui in Grammat. Tom. 1. p. 483. coniecit, compositum esse imperativum cum verbo, *i licet*, ut *sci licet*, *vide licet.* Atque idem sensisse videtur Celsus, quum, ut tradit Charisius p. 180., interpretaretur *eas licet.* Fortasse tamen satis esset intellexisse fundamentum verborum, quod est *i*, *vide*, *sci*, nisi antiqui auctores ipsi narras-

sent, totum vocabulum ex solemni quadam formula prodiisse in usum vulgarem. In eo vero iam veteres vocabulum ita tractarunt, quasi ex *ire* et *licet* compositum esset. Vid. n. 2.

1. Primam ac propriam significationem verborum *i licet* in formulis conspicimus antiquissimis. Donatus enim ad Terent. Phorm. 1, 4, 31. *semper ilicet finem rei significat, ut actum est. Sic iudices de concilio dimittebantur, suprema dicta quum praeco pronuntiasset ilicet, quod significat ire licet.* Eadem fere ad Heaut. 5, 2, 20. et Servius ad Virgil. Aen. 2, 424. Neque alius erat mos in sacrificiis et funeribus peractis: quod narrat idem Servius ad Virgil. Aen. 6, 216. et ad 6, 231. *Novissima verba* haec vocantur a Virgilio. Conf. Schegkii Praemess. Epist. 9.

2. Sed extra solemnes ritus hoc modo loquebantur ii, qui discedendum esse et rem actam significabant. Quare refertur et ad personam eius, qui loquitur, et ad alteram personam, ut sit *ire ei licet.*

Plaut. Truc. 2, 7, 35. *ilicet.* i. e. eamus nunc. Terent. Phorm. 1, 4, 30. *ilicet. Quid hic conterimus operam frustra?* Heaut. 5, 2, 20.

Plaut. Capt. 3, 1, 9. *ilicet parasiticae arti maximam in malam crucem.*

3. Transfertur ad rem perditam vel desperatam, ubi quis se ad extremum pervenisse pronuntiat. Ita loquuntur maximo dolore affecti et desperantes. Germani dicunt *es ist 'aus.* Sed Grammatici veteres caussam non satis perspexerunt. Quare Martius Salutaris in Virgil. Aen. 2, 224. uti narrat Charisius p. 181. interiectionem esse graviter ingemiscentis opinabatur, sicuti apud Terentium Eun. 1, 1, 9. pro *hem* acceperat, ut *ilicet, peristi* videretur esse *hem peristi.* Haec nos docent, antiquum illum usum obsoletum fuisse et grammaticis incognitum.

Plaut. Amph. 1, 1, 182. *ilicet: mandata heri perierunt.* Cist. 4, 2, 17. *actum est: ilicet: me infelicem et scelestam.* Non cohaeret accusativus cum *ilicet.* Curc. 1, 3, 30. Terent. Eun. 1, 1, 9. *actum est: ilicet: peristi.* 2, 3, 56. *ilicet: desine: iam conclamatum est.* Conf. Taubmann. ad Plaut. Epid. 5, 2, 19.

4. *Ilicet* dicit, qui in aliqua re confecta acquiescit, eamque ad finem perductam profitetur.

Plaut. Epid. 5, 2, 19. *ilicet: vadimonium ultro mihi facit.*

5. Haec omnia ad usum comicorum pertinent. Oratores numquam ita loquuti sunt, etiamsi Palmerius quibusdam criticis persuasit apud Sallustium Iug. 41. restituendum esse *ilicet* pro *scilicet*. Sed poetae augustani aevi, oblitterata, ut videtur, antiqua significatione, usurpabant hoc vocabulum in re illico agenda vel acceleranda. Servius ad Virg. Aen. 2, 224. explicat verbis non satis aptis *confestim, mox* et ad 2, 758. comparat *illico*. Et Charisius in conferendo antiquo usu dicit apud Terentium *ilicet* non esse *in loco aut statim et continuo:* et p. 180. haec: *Maro undecimo* (v. 468.) *ilicet in muros discurritur urbe: ubi Celsus nunc pro illico, id est, statim: antiqui pro eas licet. Ilicet pro nunc.* Addit vero: *Afranius in Materteris: quum is balbum supra modum disserere conantem laudaret: an tu eloquens ilicet: id est subito aut extemplo.* Fuitne igitur haec significatio iam antiquo tempore stabilita? Equidem non affirmaverim de bonis scriptoribus. Sed videntur iam olim vocabula *ilicet* et *illico* vulgari sermone commutata, et illud ob similitudinem formae ad stirpem vocabuli *ilico* sive *illico* relatum esse. Denique evanuerunt originis vestigia, et poetae dicebant pro *illico*.

Virgil. Aen. 8, 223. *fugit ilicet ocior Euro speluncamque petit.* 2, 758. *ilicet ignis edax summa ad fastigia vento volvitur.* 2, 224. *ilicet obruimur numero.* 7, 583. Tibull. 2, 6, 15. *acer Amor, fractas utinam, tua tela, sagittas ilicet exstinctas adspiciamque faces.* Stat. Theb. 1, 92. *ilicet igne Iovis lapsisque citatior astris tristibus exiluit ripis.*

6. Festus non appositis exemplis *ilicet* esse tradit *sine dubio*. Dacerius suspicatur eum respicere ad Terent. Eun. 1, 1, 9. *actum est: ilicet: peristi.* At Gothofredus affert glossam hanc: *ilicet, scilicet, sine dubio.* Quamobrem errorem ex vitiosa scriptura ortum putabimus. Attamen Palmerius Spicileg. p. 849. hoc quidem significatu *ilicet* restitui iussit in Terent. Ad. 5, 4, 20. ubi recte legitur *scilicet*.

*) Commutata sunt a librariis verba *scilicet*. vid, Bentlei. ad Terent. Andr. 5, 3, 5. et *illico*. vid. Virgil, Aen. 2, 424. 8, 223.

ILLA. ILLAC.

Illac ablativi forma, adiuncto demonstrativo *ce*, eo modo dicitur, quem illustravimus in hac p. 2., de motu in aliquo loco vel per aliquem locum facto. Locus vero intelligitur ab eo, qui loquitur, remotus. Vid. istic. Pompeius Grammat. 27, 6. p. 341. *venio istuc bene dicimus, sed non venio istac: per locum est.*

Plaut. Asin. 3, 3, 152. *angiporto illac per hortum circuit clam.* Ovid. Met. 8, 186. *at coelum certe patet: ibimus illac.*

2. Quomodo componantur verba *hac illac, hac atque illac* et similia, expositum est supra p. 2. Adde Plaut. Rud. 1, 3, 30,

3. De agendi modo dixit Cicero ad Att. 7, 3. *verumtamen hoc video, — omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione ignominiaque dignos illac facere.* Hoc est: in hunc modum facere, in hac parte. Iunius in codicibus se invenisse narrat *illuc*, quod ipsum non ineptum est.

4. Antiquiore tempore et rursus augustorum aevo *illa* dicebatur, pro *illac*, uti *illo* pro *illoc* sive *illuc*. Ita Plautus quidem et Tacitus: ille de via, hic pro *ab hac parte.*

Plaut. Most. 3, 3, 27. *nunc ego me illa per posticum ad congerrones conferam.* Mil. 2, 3, 17. *atque ego illa adspicio osculantem Philocomasium cum altero nescio quo adolescente.* Sed scripti libri exhibent *illic* et *illis*, quod Lindemannus cum Bothio mutarunt in *illi.*

Tacit. Hist. 3, 8. *ac ne pervium illa germanicis exercitibus foret, obsepserat.* 5, 18. *solidum illa.* Ann. 2, 17. *incubueratque sagittariis illa rupturus.* Germ. 34. *ipsum quin etiam Oceanum illa tentavimus.* Hist. 5, 10.

ILLATENVS.

Illatenvs factum est recentiori tempore, quum *ille* pro *is* usurpari coeperat, in modum verbi *eatenus.* Vnum exstat exemplum apud Gellium 16, 19. *nautas precum eius harum commiseritum esse illatenus, ut ei necem afferre per vim suis manibus temperarent.*

ILLI. ILLIC.

Dativum *illi* Romani Graecos imitantes ad locum designandum adhibuerunt, et adiecta littera demonstrativa *c* fecerunt *illic* adverbium. Quidam hodie appellant casum locativum. In *c* littera monstrativum *ce* iam veteres cognoverant. Vid. Pompeius in Comment. p. 341. Sed scriptores non ubique *illi* pro *illic* usurparunt, consuetudini magis quam regulae obtemperantes. Nam grammaticorum doctrina in his formis explicandis manca fuisse videtur et falsa. Quod Priscianus p. 948. affert de vocabulo *illicce*, desumptum erat vulgari sermoni, in quo ultima syllaba tantopere solebat acui, ut nova syllaba *ce* exsisteret. Ab eo vero grammaticus ille derivat *illic*, quod *quasi apocopa facta in fine servet accentum.* Pronuntiationem enim vulgarem sequitur, qua *hisce* pro nominativo *hice* dicebant, et *illicce* pro *illice*, accentu gravato. Melius hanc rem tractat Pompeius Comment. artis Don. 27, 6. p. 341. *sed illud (istuc) per apocopen dicimus. Maiores enim nostri plenas habebant eloquutiones. Sic et istuc quasi istuce, sic et fac, quasi face.* Cf. de litterae *c* pronuntiatione Consentium de Barbaris. 13. p. 21. Alii autem docuerunt, alteram formam *illi*, quam ipsam adverbium nominant, recte usurpari. Donatus ad Terent. Ad. 1, 2, 36. *ego illi maximam partem feram*] *errant qui putent illi esse pronomen, quum sit adverbium loci, ut* (Virgil. Aen. 2, 548.) *illi mea tristia facta degeneremque Neoptolemum narrare memento. Illi ergo ibi, ubi ille peccat. Quare quidam etiam li syllabam discretionis caussa, ut locum significet, corripiunt.* Idem ad Hec. 1, 2, 19. *legitur et illi, ut sit circumflexus accentus et significet illic, ut illi mea tristia facta. Et absolutum est.* Qualis haec sit doctrina, monstrat locus Virgilii, in quo nemo dubitabit *illi* pronominis dativum putare. Nec potest certum argumentum, quo *illi* pro *illic* dictum comprobetur, ex metricis rationibus peti, quoniam *illic* a comicis etiam duabus syllabis brevibus pronuntiatur. Vid. Ritter. ad Terent. Andr. 4, 4, 3. Et contraria, sed veriora de accentu prodit Pompeius 27, 6. p. 341. Quibus rebus perpensis, ita videtur de hoc verbo iudicandum: antiquos Romanos *illi*, qui est dativus sive locativus pronominis, pro adverbio posuisse,

sed ipsum adverbium sonare *illic*. Quare ne a comicis quidem *illi* dicebatur in opponendis locis, ut responderet alteri *hic*, sed *illic*. Erant qui breviorem formam etiam Ciceroni vindicare vellent: auctoritas tamen codicum non sufficit. Sed librarii saepe videntur, ut exquisitiorem redderent orationem, hanc formam antiquatam revocasse, quemadmodum factum est in codicibus Quintiliani. Ad ipsos vero scriptores id non pertinet, etiamsi recentiores ad antiquas formas reverti solebant.

Bentleius restitui iussit in Terent. Hec. 2, 1, 20. *multo melius, hic quae fiunt, quam illi, ubi sum assidue, scio.* **Repugnant codices, neque urget metri necessitas. Sunt enim in** *illic* **syllabae breves. Phorm. 1, 2, 41.** *interea dum sedemus illic, intervenit adolescens quidam lacrumans.* **ubi Donatus** *illi* **iterum notat pro** *illic*, **restituitque Bentleius. Hec. 1, 2, 19.** *nam illic haud licebat, nisi praefinito loqui, quae illi placerent.* **Donatus quum narrasset, etiam** *illi* **legi, id receperunt Faernus et Bentleius: quod concedi poterit. Tamen etiam per** *illic* **constat metrum.**

Cic. ad Fam. 8, 15. *Bellienus — Domitium quemdam, nobilem illic Caesaris hospitem — comprehendit.* **Codex mediceus** *illi*, **de quo iam Lambinus recte iudicavit. Librarius enim videtur litteram c semel, non bis expressisse in duobus verbis. Apud Lucretium 1, 1064. est pronomen, non adverbium. De Quintiliani 1, 3, 4. vide n. 5. In Ovidii Met. 14, 428. temere reponi iussit Bothius, prudenter dubitavit Burmannus in Lucan. 5, 104.**

1. *Illic* est in illo loco, qui est a loquente remotus, ἐκεῖ, quod, si non opponitur *hic*, etiam nativa pronominis forma *illi* exprimitur. De ratione, quae inter *illic* et *hic* intercedit, sicut inter alia pronominalia, diximus p. 76.

Plaut. Bacch. 5, 2, 35. *quid illaec illic in consilio duae secreto consultant?* **Men. 2, 2, 34.** *dii illos homines, qui illic habitant, perduint.* **5, 5, 53.** *iam ego illic faxo erit.*

Plaut. Capt. 2, 2, 71. *ne patri — decere videatur magis, me saturum servire apud te sumptu et vestitu tuo potius quam illi, ubi minime honestum est, medicantem vivere.* **2, 2, 90.** *quem mittam ad patrem, ut is homo redimatur illi.* **Mil. 4, 6, 63.** *dic domum ire: iam ego illi ero.*

Poetae verbo *illic* **campos inferos insignire solebant. Tibull.**

1, 3, 65. Propert. 1, 19, 13. ubi Burmann. Et defendendum in versu 7. *illic Phylacides iucundae coniugis heros non potuit caecis immemor esse locis.*

Plaut. Trin. 4, 4, 17. *illic sum atque hic sum.* Most. 3, 1, 76. *foenus illic, foenus hic.* Terent. And. 4, 3, 5. *facile hic plus mali est quam illic boni.* Lucret. 2, 576. *nunc hic, nunc illic superant vitalia rerum.*

Terent. Ad. 4, 1, 8. *quod si abesset longius, prius nox oppressisset illic, quam huc reverti posset iterum. Nunc ubi me illic non videbit, iam huc recurret, sat scio.*

Quintil. 11, 1, 68. *sed in his quidem — minor est labor: illic plus difficultatis, ubi ipsos, contra quos dicimus, verentur offendere.*

Plaut. Men. 5, 2, 42. *sive illic, sive alibi libebit.*

Cavendum est, ne adverbio illato elegantiam dictionis temere depravemus. Terent. Heau. 5, 1, 57. *nam si illius pergo suppeditare sumptibus, Menedeme, mihi illaec vere ad rastros res redit.* Bentleius *illaec* mendosum censens correxit *illic*. At *illaec res redit* idem est quod *illic res redit*, sed elegantioris formae. Apud Quintil. 10, 1, 106. nunc recte legitur *illi nihil detrahi potest, huic nihil adiici.* nec verum restituit Frotscherus e codd. flor. et turic. in quibus scribae substituerunt *illic — hic*, quum verba *detrahi* et *adiici* magis apta essent visa nominibus rerum.

2. Additur nomen loci vel regionis, ut distinctior sit designatio.

Plaut. Merc. Prol. 96. *dum in portu illi ambulo.*

3. Ponitur *illic* pro *ibi*, sicuti *ille* pro *is*. Idque fit, quando nomen loci iam ante propositum est, aut accedit altera pars sententiae relativa. Quare utrumque vocabulum alternat: sed *illic* ipsum definit loci situm, *ibi* tantum indicat locum.

Quintil. 9, 2, 67. *quod in foro non expedit, illic nec licebat.*

Plaut. Amph. 1, 1, 97. *haec illic est pugnata pugna.* Caes. B. civ. 3, 102. *ibi cognoscit, consensu omnium Antiochensium civiumque romanorum, qui illic negotiarentur, arcem captam esse.* Liv. 9. 13, 3. *nihil illic imperatoriae artis ordinibus aut subsidiis locandis fuit.*

Quintil. 11, 1, 84. *illic maior aestus, ubi quis pudenda queritur.* 9, 4, 51.

Terent. Ad. 4, 2, 37. *ibi angiportum propter est: illic ubi etiam caprificus magna est.*

Terent. Andr. 4, 1, 13. *illic ubi nil opust, ibi verentur.* Germani *dort wo — da.*

4. Ad tempus refertur, sicuti omnia locorum vocabula reliqua.

Tacit. Hist. 2, 47. *civile bellum a Vitellio coepit, et ut de principatu certaremus armis, initium illic fuit.* Quod e Caes. B. gall. 5, 44. affertur exemplum, verba *illic vero* habet a librariis corruptelam sanantibus.

5. Sed etiam ipsa res potest ita designari, ut *illic* sit *in ea re.* Atque hac significatione etiam *illi* veteres dicunt.

Terent. Ad. 1, 2, 35. *si quid peccat, Demea, mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.* i. e. in ea re.

Liv. 2, 48, 9. *respublica et milite illic et pecunia vacet.* i. e. in illo bello contra Veientes.

Quintil. 1, 3, 4. *hi sunt, qui parva facile faciunt, et audacia provecti quidquid illic possunt, statim ostendunt.* non explicaverim *in parvis*, sed *in audaciore progressu.* Codices non pauci *illi*, quod Quintiliani dictioni non videtur aptum, quamquam codices eamdem formam exhibent 6, 2, 36. Plaut. Epid. 3, 4, 39. *ego illic me autem sic assimulabam quasi stolidum.* Reddo *dabei*, in hac re.

6. Recentissimae et depravatae latinitatis sunt ii loci, in quibus *illic* pro *in eo* ponitur et oratio per *quod* continuatur. Sed conf. ILLINC.

Consentius de Barbar. 14. *inter barbarismum et soloecismum quaedam illic distantia a scriptoribus posita est, quod barbarismus una orationis parte, soloecismus pluribus constat.*

7. Anaphorae exempla in hoc vocabulo notamus haec Plaut. Truc. 1, 1, 7. Quintil. 10, 3, 3.

8. Interrogationis forma est *illicine.* Alii scribunt *illiccine*, quo exprimatur acuta syllaba.

Plaut. Pseud. 4, 1, 44. *illicine est?* PS. *Illic est.*

*) Commutantur a librariis saepe *illic* et *illuc.* Plaut. Pseud. 1, 5, 29. vid. Tom. 2. p. 357. Ovid. Am. 3, 5, 29.

ILLICO.

Plurimi grammatici nostri, Tursellinum sequuti, docuerunt *illico* esse *in loco*. Nam quod in quarta editione Schwarzii legitur *id loco*, errore typographi factum puto. In quinta autem nescio an Ernestius scripserit *illico* esse *illo loco:* nec sine caussa. Vis enim demonstrativa saepe in hoc nomine tantum valet, ut Grimmius in Grammat. german. T. 3. p. 197. adeo ab *illic* deduci maluerit: quod quomodo fieri posset, ipse non demonstravit. Neque vero omnes difficultates removerunt ii, qui ἔμπας, ex ἐν πᾶσι natum, comparabant, aut alterum *eloco* sive *e loco* adstruebant. Nonius interpretatur per *illo*. Sed Plautus dixit *illic adstato illico*. In quacumque enim lingua interdum opiniones de indole vocabulorum recte aut temere conceptae usum formant ac mutant, nec omnia reguntur ratione. Sequamur igitur Festum, qui dicit: *sodes si audes, uti sis pro si vis, et illico pro in loco:* atque statuamus, *illico* quamquam factum sit ex *in loco*, tamen ita ad usum accommodari, quasi dicatur *illo in loco*. Quidam scriptores quum *illico* ad tempus referre soliti essent, de loco dicebant *in loco*. Ita Tacitus, qui Ann. 1, 63. *castra metari in loco placuit*. itemque 4, 47. 13, 41. sed *illico* de tempore praesente 2, 8. 13, 52. et fortasse alibi. Sicubi in libris veteribus scriptum legitur *ilico*, aut compendium est scribendi, aut licentia in geminatis liquidis concessa. Praeter scenicos nemo poetarum hac particula usus est. Caussam quaere in metro: nam media syllaba corripitur.

Erant, qui ubique *eloco* pro *illico* scribendum arbitrarentur. vid. Tom. 2. p. 364. Palmerius in veteribus libris Plauti invenit *elico*, ipse vero *illico* accepit pro *illo loco*. vid. eius Spicileg. 13. p. 850. Gruter. Thes. Tom. 4.

1. Primum igitur *illico* significat in eo ipso loco, qui occupatus non mutatur, aut in illo loco, quem designo. Hoc alterum accedit ad significationem verbi *illic*. Germani utrumque exprimunt uno verbo *daselbst*.

Donatus putat esse proprie verbum *τοπικὸν*, Pareus autem *χρονικόν*. Illud verum est.

Naevius apud Nonium 4, 242. Belli punici libro sexto: *septimum decimum annum illico sedent*. Cassius Hemina: *his*

persuadet, ut illico manerent. Caecilius Notonicassione: *manete illico.* Plaut. Most. 4, 2, 2. *mane tu atque adsiste illico.* i. e. ne cede loco.

Plaut. Bacch. 5, 2, 21. *revortamur intro soror.* NI. *Illico ambae manete.*

Apulei. Met. 9. p. 237, 11. *nec defuit vicinus perfidus, qui nos illico occultari nuntiaret.* ubi Colvius et Wowerius scripserunt *illic.*

2. Ita formulae factae sunt *illico sta*, *adesse illico*, quae significant aut non cedere, aut in eodem loco adesse, aut in eo loco, quem quis designat alicui.

Plaut. Rud. 3, 5, 56. *illic adstato illico.* Trin. 4, 3, 52. *heus tu, adsta illico.* Merc. 5, 2, 25. *illico sta, Charine.* v. 31. *sta illico.* Trin. 3, 2, 1. Terent. Phorm. 1, 4, 18.

Plaut. Mil. 4, 2, 39. PY. *Iam tandem ades illico.* PA. *Adsum.* Amph. 2, 2, 5. *ita dis placitum, voluptatem ut moeror comes consequatur: quin incommodi plus malique illico adsit, boni si obtigit quid.*

3. *Ibi illico* componuntur a Plauto Merc. 2, 3, 27. de curioso homine: *nec sacrum nec tam profanum quidquam est, quin ibi illico adsit.* ubi ne *illico* de tempore accipias, respice ea, quae modo attuli. Similiter Merc. 5, 2, 71. *istic sta illico.* Sic enim est scribendum, non *istinc.* Most. 5, 1, 16. *illico intra limen adstate illic.* Cic. ad Att. 2, 12. *ibidem illico puer abs te cum epistolis.*

4. De motu in aliquem locum notat Nonius l. l. *Turpilius Leucadia: Sed quam longe est, quum isti illico. id est, in eum locum.* Alia exempla nusquam obvia sunt in antiquis libris. Quare in oratione non absoluta res est incerta. Quod enim in libro de Revel. capit. Ioan. Baptist. cuius auctorem Cyprianum nominant, legitur c. 3. *pergens illico ubi iussus fuerat.* id negligentiae saeculi quarti debetur.

5. Ad tempus refertur, et dicitur *in eo ipso loco temporis, ubi res apparuit*, id est, hoc ipso temporis momento, statim. Componuntur adeo verba discedendi, e loco abeundi, et dicitur *hinc illico.* Plaut. Rud. Prol. 62. Sed de tempore Latini non dixerunt *in loco.* Tamen *illico* transiit in Hispanorum linguam, quibus *luego* significat *statim, cito.* Hinc Scioppius in opinionem in-

cidit, Latinos etiam *loco* pro *illico* usurpasse et Plautum Aul. 4, 8, 9. scripsisse: *inde exeo, loco video recipere se senem.* Vid. Pascasii Grosippi Paradoxa literaria p. 4.

Pacuvius apud Nonium l. l. *repudio auspicium, regrediundum est illico.* Terent. Andr. 3, 2, 33. *nunc, postquam videt nuptias domi apparari, missa est ancilla illico obstetricem arcessitum ad eam.* ubi Donatus: *quod Graeci dicunt αὐτόθεν ἐπέμφθη. Nam loci significatio est, etiam brevitatem temporis notans.* Cic. p. Mur. 10, 22. vide infra. p. Cluent. 13, 37. *Avilius illico convalescit.* Terent. Eun. 5, 7, 11. *Quid? ilicone credere ea, quae dixi, oportuit te?*

Terent. Hec. 2, 1, 113. *nostra illico it visere ad eam.* v. 107. *fugere e conspectu illico.* Plaut. Stich. 1, 2, 33. *illico agite abscedite.* Poen. 2, 7. *abii illinc illico iratus.*

Donatus ad Terent. Ad. 2, 1, 2. ubi legitur: *otiose nunc iam illico hic consiste.* addit *modo locum, non tempus significat.* Dubiumne igitur visum erat?

6. Et de rebus, quae continuo fiunt, non intercedente intervallo, nulla mora. Quare de iis hominibus, qui non cunctantur, nec cessant in agendis rebus. Etiam cum futuro componitur de rebus statim eventuris.

Plaut. Amph. 2, 2, 82. *ecastor equidem te certo heri advenientem illico et salutavi et valuissesne usque exquisivi simul.* Cist. 1, 3, 33. Cic. p. Quint. 15, 48. *illicone ad praetorem ire convenit? continuone postulare?* De verbis Plauti Most. 3, 2, 6. vide Tom. 2. p. 734.

Paneg. Constantin. 22. *illico obvius adfuisti et praesentia tua, ne auderent transitum, terruisti.*

Caecilius apud Nonium l. l. *illico ante ostium hic erimus.* Plaut. Merc. 3, 4, 79. *post ad praetorem illico ibo.* Poen. 1, 2, 51. *leno ad se accipiet auri cupidus illico.* Terent. Heaut. 3, 1, 78. *ibit ad illud illico.* 4, 3, 19.

7. Hac significatione formantur enuntiationes, quarum in altera parte coniunctiones *postquam*, *quum*, *ubi*, *quam extemplo*, *simul atque*, *si* ponuntur. Ita fit, ut *quum — illico* significet *simul atque*, *sobald als.* Itemque reliqua.

Plaut. Mil. 5, 39. *nam postquam exierunt porta, nihil cessarunt illico osculari atque amplexari inter se.* Terent. Hec. 3, 3, 7. Heaut. 4, 1. 43. Plaut. Most. 1, 2, 55. *posteaquam im-*

migravi in ingenium meum, perdidi operam fabrorum illico oppido.

Plaut. Most. 3, 2, 5. *non mihi forte visum illico fuit, melius quom prandium quam solitum dedit.*

Plaut. Pseud. 1, 3, 77. *illico vixit amator, ubi lenoni placet.* Stich. 4, 1, 51. Cas. 4, 4, 6. Terent. Ad. 4, 4, 10. (8.) *ubi eam vidi, illico accedo.* Eun. 1, 2, 53. Plaut. Amph. 1, 1, 61. *haec ubi legati pertulere, Amphitruo castris illico producit omnem exercitum.* Most. 1, 3, 118. *quae vitia corporis fuco occulunt, ubi sese sudor cum unguentis consociavit, illico itidem olent.* Pseud. 1, 5, 75. *cur haec ubi tu rescivisti illico, caelata me sunt.* Bothius scripsit *eloco.* Comma pone ante *illico*, et ex cod. palat. restitue *tu ubi.*

Celsus 7, 5, 3. *quum in cavo mucro est, illico duo digiti — simul ferramentum id extrahunt et telum.* i. e. simul atque mucro in cavum incidit, digiti telum extrahunt.

Plaut. Mil. 4, 4, 40. *quam extemplo hoc erit factum, ubi intro haec abierit, ibi tu illico facito ut venias huc.* Lindemannus sententia, ut ait, postulante correxit *quum extemplo.* At Trin. 2, 1, 16. *quam extemplo savi sagittis percussust, illico res foras labitur.* Tamen Bacch. 2, 3, 69. *quid illi?* CH. *Tristes illico, quom* (edit. pr. *cum*) *extemplo a portu ire nos cum auro vident.*

Cic. p. Mur. 10, 22. *simul atque increpuit suspicio tumultus, artes nostrae illico conticescunt.*

Plaut. Pseud. 4, 7, 4. *nam qui liberos esse illico se arbitrantur, ex conspectu heri si sui se abdiderunt, luxantur.* Amph. 2, 2, 5. *ita dis placitum, voluptatem ut moeror comes consequatur, quia incommodi plus malique illico adsit, boni si obtigit quid.* Terent. Eun. 4, 6, 2. *si illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur.*

8. Similiter de eo, quod nullam admittit exceptionem, *illico* ponitur, praecedentibus verbis *ut quisque, quoties.*

Plaut. Poen. 3, 1, 39. *ut quisque accideret, eum necabam illico.* Epid. 2, 1, 7. *quoius quoties sepulcrum vides, sacrificas illico Orco hostiis.*

9. Rarior videtur formula *in principio illico*, quam Germani dicunt *zu Anfang gleich*, et quae sunt huius generis. Iurisconsulti opponunt *illico*, quod est in ipso actu, et *postea.*

Plaut. Epid. 3, 1, 4. *scivi equidem in principio illico nullam*

tibi esse in illo copiam. Terent. Heaut. 2, 1, 2. *qui aequom esse censent, nos iam a pueris illico nasci senes.* ubi Donatus: *statim ut pueri sumus, aut quum primum pueri invadimus.* Panegyr. Maxim. 4. *quo enim magis continentiam patris aequare potuisti, quam quod te ab ipso fine pueritiae illico matrimonii legibus tradidisti.*

Vlpian. in Dig. 17, 1, 10, 6. *si mater pro filia dotem dederit eamque mandante filia vel illico stipulata sit vel etiam postea, mandati eam teneri.* 45, 1, 1, 3.

10. Recentioris latinitatis est dictio *illico atque* pro *simul atque:* in qua *illico* nihilominus ad principalem sententiae partem refertur.

Eumen. Pan. Constantin. 8, 2. *illico enim atque ille terris fuerat exemptus, universus in te consentit exercitus.*

11. Notandus est pleonasmus in verbis Plauti Epid. 4, 1, 36. *postquam audivi illico ex meo servo illam esse captivam, continuo argentum dedi ut emeretur.*

12. Quum id, quod illico fit, illud esse possit, quod continuo sequitur et certo evenit, particula haec etiam usurpatur de certa rerum consequentia atque de eventu haud dubio.

Plaut. Aul. 1, 2, 31. *id si relinquo ac non peto, omnes illico me suspicentur, credo, habere aurum domi.* Cic. de Fato 12, 28. *nec si omne enuntiatum aut verum aut falsum est, sequitur illico esse caussas immutabiles.* Liv. 39, 15, 8. *si dixero multa millia hominum esse, illico necesse est exterreamini, nisi adiunxero, qui qualesque sint.*

*) *Ei loco* et *illico* commutabantur. vid. Faernus ad Terent. Ad. 1, 2, 38. A librariis hoc vocabulum temere adiici solebat. vid. Hirtii Bell. Afric. 57.

ILLIM. ILLINC.

Primum dicam de forma. *Illinc* est *illim-ce.* Nam *c* littera finalis, quae litterae *n* addita cum *m* littera alternat, vim suam monstrativam in verbis *nunc, tunc* et quae sunt huius generis, numquam exuit, nec dubitabimus falsas formas *cunc* pro *cum* et *nuncquam*, quae apud Gruterum in inscriptionibus exstant, perversae pronuntiationi tribuere. *Illim* vero, anti-

quam formam, non modo vetustissimis temporibus usitatam esse, sed etiam postea ab optimis scriptoribus et a Cicerone adhibitam esse vero videtur simile. Illud demonstrant scenicorum poetarum quidam loci metrica sua ratione, hoc autem comprobant codices, in quibus antiquioris scripturae vestigia non omnia oblitterata sunt. Observarunt etiam Camerarius in Plauti libris palatinis, Victorius et Lambinus in Ciceronis codicibus. Quare iam Gifanius in Collectan. Lucret. usum huius formae vindicare conabatur universae latinitati, adeoque Victorium reprehendebat, qui non saepius ausus esset eam Ciceroni restituere. Muretus vero Var. Lect. 12, 11. „quod nunc, inquit, perpetuo *istinc* et *illinc* scribimus, veteres nonnumquam *istim* et *illim* scribere solitos constat. Recteque factum a Petro Victorio est, quod in libris epistolarum Ciceronis antiquam scripturam hac quoque in parte cum fide repraesentandam putavit, ut in epistola ad Valerium (1, 10.): *qui istim nunc veniunt*, et aliis locis.“ Lambinus de hac re loquutus est ad Cic. Phil. 2, 31, 77. ad Epist. fam. 6, 21. (20.) et in Omissis p. 565. ad Epist. ad Att. 4, 13. Cum his viris consentiebant Scioppius (in Susp. Lect. 1, 21.), Pareus (in Lexic. crit. p. 568. et Mantiss. p. 91.), Vossius (de Anal. 4, 19.), Garatonius (ad Cic. Phil. 2, 31.). Vniversa tamen haec quaestio, quam veteres grammatici omnino praetermiserunt, nititur una in auctoritate veterum librorum, qui nisi accuratius inspiciantur, non poterit recte iudicari. Criticorum negligentia et inconstantia admodum magna est. Nostro officio hoc unum convenit, ut integritatem huius formae defendamus, quae utrum antiquior altera sit, non liquet.

In Pomponii verbis apud Nonium 1, 66. quamquam cod. guelferb. praebet *illũ* et lugdunenses *illum*, scribendum tamen videtur: *sarculum hinc illo profectus illim redisti rutrum.* In Plauti Poen. 5, 2, 27. unus cod. palat. *illim*, alii *illum* praebent, Merc. 3, 1, 13. uterque palat. *illim*. In Cic. de Off. 1, 42, 150. Fabricii optimus liber habet *illim*, alii *illa*. In Epist. ad Att. 11, 17. et 9, 14. mediceus *illi*, Malaspinae et Victorii *illim*. Hoc Orellius in 7, 13. recepit non assentientibus libris suis, in aliis locis neglexit. Idem Victorius in Epist. fam. 6, 20. *cura — te istim ne temere commoveas.* In Phil. 2, 31, 77. nunc omnes editores servant *illim*: de quo loco infra dicemus: sed orat. 4, 5, 12. codici vaticano non obtemperavere. Verba Ciceronis, quae apud Quintilianum 5, 10, 9. exstant, Muretus

eleganter emendavit ita: *veritus fortasse, ne nos in Catonem nostrum transferremus illim aliquid, etsi argumentum simile non erat.*

Lindemannus de Adverbio 2. p. 21. nativam formam putat esse *illin*, cum *dein* et *in* comparandam. At haec generis sunt prorsus diversi. Palmerius in Spicileg. 8. p. 746. ita: „*illim, istim, illum, istum* leviter et exiliter dicuntur, sed quia in iis aures nimium quam requiescunt, e nonnumquam ad finem sufficitur, et in adverbiis quidem plerumque eo magis, quod *m* littera supra quam alia ulla liquescit.“ Tamen ipsa littera non caret significatione, nec uno in hoc vocabulo *ne* transeunt in *m*.

1. Significatio una est. Notat enim *de illo loco*, ἐκεῖθεν. Commutatur cum *inde:* sed magis praestat vicem substantivi. Saepissime componitur cum aliis pronominibus demonstrativis. Et addi potest nomen loci vel designatio distinctior.

Plaut. Merc. 4, 1, 66. *iam inde aufugies? deinde item illinc, si item evenerit.*

Plaut. Bacch. 3, 3, 43. *itur illinc iure dicto.* Most. 2, 2, 36. *iube illos illinc, amabo, abscedere.* Men. 2, 3, 61. *num isthaec mulier illinc venit?* Terent. Eun. 4, 1, 14. *ubi primum poterit, se illinc subducet, scio.* Cic. ad Att. 9, 14. *illinc equidem Cnaeum profectum puto.* 7, 13. *qu'd illim afferatur?* de Harusp. resp. 20, 42. *per nefandum scelus, fugit illinc.*

2. Opponitur *hinc*. Qua in structura saepe regionem indicat, ex qua effectus aliquis proficiscitur, ideoque etiam cum verbis coniungitur, quae statum indicant. Et componitur utraque particula ad significanda plura aut multa loca. Vide p. 87. Donatus ad Terent. Ad. 4, 5, 39. narrat, dici ita proverbialiter de quocumque loco, pro *alicunde*.

Plaut. Men. 5, 2, 48. *hinc stas, illinc caussam dicis.* Virgil. Ge. 1, 509. *hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.* Erythraeus notavit, Virgilium non *illinc* dixisse, nisi praecedente *hinc*. Curt. 5, 4, 9. *temperat coelum hinc perpetuum iugum opacum — : illinc mare adiunctum.*

3. Componitur cum *huc*. Et notanda etiam videtur formula *usque illinc*.

Plaut. Merc. 5, 2, 70. *illinc pallium mihi huc ferte.* Terent. Ad. 4, 5, 38. *an sedere oportuit domi virginem tam grandem,*

dum cognatus huc illinc veniret exspectantem? Non male se habet haec sententia. Donatus autem et cum eo Bentleius *hinc illinc.*

Plaut. Truc. 4, 3, 79. *ne ista stimulum longum habet, quae usque illinc cor pungit meum.*

4. Cogitandum relinquam aliis, qui in his rebus magis sapiunt, num Latinis quoque licuerit attractionis potestate commutare adverbia loci, quod Graecis concessum fuisse constat. Non miramur adhuc Soph. Oed. Col. 1227. *βῆναι κεῖθεν ὅθεν περ ἥκει.* et Aelian. Var. Hist. 14, 33. *ἐπανῆλθον ἐκεῖθεν ὅθεν ἐπράθην.* In Plauti Merc. 3, 1, 13. ubi codices exhibent *quia illim unde advecta huc sum, malis bene esse solitumst.* Bothius facili negotio scripsit *illi unde.* Sed dixit simili modo Plautus Curc. 3, 49. *sed istum quem quaeris, ego sum.*

5. Quod in aliis loci vocabulis observandum erat, ea de rebus et personis metaphorico usu dici, id etiam in *illinc* habet sua exempla. Dicitur igitur pro *ab illa parte, ab illa persona*, et de caussa et origine.

Plaut. Rud. 4, 3, 33. *habeo pro meis, nec manu asseruntur: neque illinc partem quisquam postulat.* i. e. nullam partem ex iis. Cic. ad Att. 9, 7. *sed quum eadem metuam ab hac parte, si illinc beneficium non sit, rectius putem quidvis domi perpeti.*

Cic. p. Rab. Posth. 12, 35. *illinc omnes praestigiae: illinc, inquam, omnes fallaciae: omnia denique ab his mimorum argumenta nata sunt.* Varro de Ling. lat. 4, 4. (5, 4, 21.) *hinc Graeci quoque τέρμονα: pote vel illinc.* i. e. latinum vocabulum e graeco factum esse.

Cic. Phil. 2, 31, 77. *sibi cum illa mima posthac nihil futurum, omnem se amorem abiecisse illim, atque in hanc transfudisse.* Critici operam magnam in eo consumpserunt, ut defenderent formam *illim:* nemo tamen demonstravit, quomodo dici potuerit, *amorem illinc abiicere:* nec perspicio sermonis familiaris sive comici imitationem, quam Orellius memorat. In codicibus exstare *illim*, nemo affirmavit, nec Lambinus aliud ante oculos habuisse videtur, quam corruptam scripturam *illi non.*

ILLO. ILLOC.

De formatione verbi ILLO diximus in HOC p. 95. et in EO. Tom. 2. p. 417. ubi etiam expositum est, qua ratione dativo *illo* idem significetur, quod accusativi

forma *illuc*. Est enim ad illum locum, in illum locum, ἐκεῖσε. Formam *illoc* non est quod vindicemus. De ea vide Servium, cuius verba supra p. 95. attuli. Vtraque antiquis poetis usitata erat, neque probari potest, quod Bentleius in Terent. Andr. 2, 2, 25. repugnantibus libris omnibus *illoc* mutavit in *illo*, neque etiam intelligitur, qua de caussa Ritterus nuper illud restituens appellaverit terentianum; nam uno tantum in loco comoediarum Eun. 3, 5, 24. codices quidam, ut videtur, non omnes exhibent *illoc*. Plautus scripsit *illo* et *illoc*. Quare imprudenter critici mutarunt Plauti Truc. 3, 1, 3. Grammatici quum antiquam formam suo tempore renovari vidissent, de usu decreverunt. Mar. Victorin. p. 1457. *et illuc potius quam illo. Illoc* legitur in oratione Claudii apud Gruterum Inscript. p. 502. l. ult. De accentu Pompeius in Comment. Artis Donati 27, 6. *sed vide ne producas ultimam syllabam et dicas illô, quia Latini in ultima syllaba accentum non habent.*

1. Significat igitur *illuc*, et componitur cum verbis eundi, veniendi, adveniendi, et cum verbis, quae motum indicant qualemcumque vel directionem, etiam in metaphora.

Plaut. Truc. 3, 1, 3. *post illoc veni, quam advenit.* Amph. 1, 1, 48. (53.) *principio ut illo advenimus.* 1, 1, 42. 2, 1, 56. Terent. Andr. 2, 2, 25. *quum illoc advenio.* Caes. Bell. gall. 4, 20. *neque enim temere praeter mercatores illo adit quisquam.* ubi alii codd. *ad illos.* vid. Oudendorp. Tacit. 15, 69. *illo propinqua vespera tribunus venit.* Hoc uno loco Tacitus ita loquitur.

Terent. Eun. 3, 5, 24. *pro illo iubeam me illoc deducier.* Cic. Verr. 1, 56, 147. *nam illo non saxum, non materies advecta est.* Plin. Hist. nat. 6, 28, 32. *multis gentibus eorum deductis illo a Tigrane magno.* 36, 12, 17. *flumen illo admissum arbitrantur.*

Plin. Hist. n. 18, 33, 76. *illo tibi, putator, arborum plagae ne spectent.* 2, 6, 9. *quoniam haustum omnem lucis adversa illo regerat.* 6, 23, 26. *Achaemenidas illo usque tenuisse.* i. e. usque ad flumen Carmaniae. Traianus in Plin. Epist. 10, 29. *simile tibi iter ab Epheso ei navigationi fuisset, quam expertus usque illo eras.* Senec. Nat. quaest. 4, 2, 28. *aqua illo incumbit, quo vis caloris et terrae aestuantis arcessit.* 7, 21, 2.

2. Opponitur *huc*. Conf. p. 105. ubi notatur Senecae usus.

Plaut. Pers. 4, 4, 26. TO. *Vin' huc vocem?* LO. *Ego illo accessero.*

Senec. Nat. quaest. 2, 11, 1. *positiones huc aut illo versae.*

3. De rebus, loci notione translata, pro *ad illud*.

Caes. Bell. gall. 4. 11. *haec omnia Caesar eodem illo pertinere arbitrabatur.* Vlpian. in Dig. 47, 10, 7, 2. *praeterea illo spectat, dici certum de iniuria, quam passus quis sit, ut ex qualitate iniuriae sciamus, an in patronum liberto reddendum sit iniuriarum iudicium.* Claudius Imp. in Orat. apud Gruterum p. 502. *sed illoc potius revertar.*

Heumannus coniecit duobus in locis Ciceronem ita scripsisse: p. Deiot. 3. 10. *neque enim illo odio tui progressus, sed errore communi lapsus est.* p. Mil. 7, 18. *servus P. Clodii, quem illo ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat.* At in illo loco *progressus* dicitur pro *facere progressus:* hic non inane est verbum *ille*.

4. Novum usum iurisconsulti adhibebant, *illo* pro *ibi*, *in illo loco* ponentes. Vlpian. in Dig. 48, 5, 23, 3. *sed si pater alibi habitet, habeat autem et aliam domum, in qua non habitet, deprehensam illo filiam, ubi non habitat, occidere non poterit.*

ILLORSVM.

Festus in voc. *aliorsum* memorat Catonem dixisse *illorsum*, cuius verbi natura est satis perspicua. Exempla desunt.

ILLVC.

Ne quis ea, quae p. 103. de vocabulo *huc* exposui, adhibito argumento particulae *illuc* reprehendat, aut ad accusativum respiciat, iterum nunc moneo *hoic*, *huic*, *hic*, *hoc*, *huc*, et *illi*, *illo*, *illu-c* unius esse formationis, et dativo, quem vel pro locativo accipiamus, vel directionem exprimere putemus, non modo quietem, sed etiam motum significari. I et O litterae enim in dativo alternant, O autem transit in V. Ita fit, ut *illo* et *illuc*, *isto* et *istuc* nihil differant nisi distinctiore demonstratione, quasi quis nostrum dicat *dortda*. Neque

vero Latini vulgari consuetudine has formas subtiliter discriminabant, sed *illo* et *illoc* et *illuc* uno significatu usurpabant. In quibus omnibus nunc video mecum sentire Max. Schmidtium, qui in Comment. de Pronomine p. 95. de hac re disseruit.

Nos vero hic particulam *illuc* seorsum tractabimus propterea, quod Latinis ipsis, qui caussas verborum accuratius perspexerant, vocabulum diversum ab *illo* visum est. Vide Pompei. Comm. p. 341.

1. Significat igitur *illuc* directionem et motum in illum locum vel ad illum locum, qui ex reliqua oratione intelligitur vel aliis verbis definitur. Nam saepe additur nomen cum praepositione vel dativus. In colloquiis manuum gestus saepe sensum adiuvat.

Plaut. Aul. 4, 6, 12. *iam ego illuc praecurram.* Capt. 5, 2, 1. *age tu illuc procede.* Terent. Phorm. 2, 1, 79. *eo: recta via quidem illuc.*

Plaut. Amph. 1, 2, 4. *nam ille illuc ad herum quom Amphitruonem advenerit* etc. Trin. 2, 4, 94. *mirum ni tu illuc tecum divitias feras.*

Plaut. Aul. 1, 1, 7. *illuc regredere ab ostio.* Capt. 2, 3, 17. *patri meo ordine omnem rem illuc perferat.*

2. Excipiunt orationem verba, *ubi*, *quo*, *unde:* quod ob structuram est animadvertendum.

Plaut. As. 1, 1, 16. *num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?* Terent. Eun. 3, 3, 31. Plaut. Merc. 4, 1, 64. *quid quum illuc, quo nunc ire paritas, veneris?* Catull. 3, 11. *qui nunc it per iter tenebricosum illuc, unde negant redire quemquam.* Plin. Epist. 6, 16, 10. *properat illuc, unde alii fugiunt.*

3. Et collocatur *hinc* in notione planius explicata.

Plaut. Capt. 2, 2, 91. *immo alium potius misero hinc, ubi erunt induciae, illuc tuum qui conveniat patrem.* Cist. 4, 2, 32. *hinc illuc exiit.* Terent. Ad. 2, 2, 17.

4. De rebus et personis pro *ad eam rem*, *in eum.* Vsitatissima est formula *illuc redire* de oratione revertenda.

Plaut. Men. 4, 2, 53. *illuc redi.* Terent. Ad. 2, 1, 36. *illuc quaeso redi, quo coepisti.* Cic. p. Sext. 52, 112. *illuc revertor.* ubi vid. Matthiae. p. Cluent. 41, 112. Cornel. Ages. 4, 3. *sed illuc redeamus.* Horat. Sat. 1, 2, 23. *si quis nunc quaerat, quo*

res haec pertinet: illuc. Tacit. Ann. 4, 40. *ideo se non illuc decurrere, quod promptum rescriptu.*

Tacit. Ann. 1, 3. *Druso pridem exstincto Nero solus e privignis erat: illuc omnia vergere.* 3, 38. Hist. 2, 24. *ne omne belli decus illuc concederet.*

5. Loquutio, ut videtur, est rara, ne dicam suspecta, qua Cicero utitur de Fin. 1, 5, 14. *nam illuc quidem adduci vix possum, ut ea, quae senserit ille, tibi non vera videantur.* Nusquam alibi Cicero ita loquutus est, sed verba *adduci non possum* non addito nomine usurpavit. Singulari modo Cicero etiam scripsit ad Att. 2, 24. *hic ille omnia, quae voluit, de re publica dixit, et qui illuc factus institutusque venisset, primum Caepionem de oratione sua sustulit. Illuc factus* est ad hoc instructus a Caesare et compositus: neque in reliquis verbis correctionem admittamus. Sententia enim est: hic in superiore loco illi Vettio concessum erat omnia, quae voluit, edicere, et dixit, utpote qui ad hoc factus venisset.

6. Quomodo coniungatur cum *huc*, diximus p. 105. Virgilius nusquam *illuc* posuit nisi praecedente *huc*.

Memorabilia videntur haec exempla. Plaut. Aul. 4, 1, 20. *nunc sine omni suspicione in ara hic assidam sacra. Hinc ego et huc et illuc potero quid agant arbitrarier.* hoc est quod Ovidius dicit, *unde sedens partes speculatur in omnes.* Capt. 2, 3, 10. *vel ego huc vel illuc vortar, quo imperabitis.*

7. Cum genitivo coniungitur adverbium instar substantivi apud Plautum. Mil. 3, 1, 65. *at quidem, illuc aetatis qui sit, non invenies alterum lepidiorem ad omnis res.* Quae alia exempla afferuntur, pronominis sunt.

IMMO.

Nulla esse videtur latinae linguae particula, in qua explicanda aut usurpanda homines nostri magis opinione fallantur, quam *immo*. Nam quum multi originem frustra quaesiverunt, tum significationem constituerunt ab usu antiquo alienam. Perottus in Cornu Copiae p. 905. „imum, inquit, proprie infimum dicitur: quoniam vero in multis, ut in pectore, quae infima sunt, etiam intima sunt, imum plerumque pro intimo accipi-

tur: ab eo fit imo coniunctio, quae apud veteres significabat prorsus quasi ex intimo, nunc vero significat quin potius." Vt praeteream commenta Caesaris Scaligeri, qui ab ἰμάω deducit, et Schwenckii, qui ὄμω, hoc est ὄμνυμι, affirmo, in *imo* mutatum putat, uti ὄμβρος in *imber*, reliqui fere omnes in eo acquieverunt, ut demonstrarent *imo* esse ab *imus*, et hoc dici pro *infimo*. At non satis considerarunt, quo modo ex *infimo*, hoc est ex *inferimo* sive *inferrimo*, fieri potuerit *imus*. Syncopen appellabant, quae esset vocabuli destructio. Nam in *i-mus*, *i-mo* omnino exstirpatam videmus naturam vocabuli *infer* sive *inferrimus*. Sed procedunt ab hoc principio in hanc viam: *imo* significare fundo, in fundo, et quum Germani dicant *im Grunde*, propriam latinae particulae significationem esse *im Grunde*, *vom Grunde*, quod sit *prorsus*. In quibus omnibus ratio conspicitur nulla: certe non potest ea ex Germanorum usu peti.

Boppius in Commentat. de Demonstrativis p. 21. ex comparatione linguae indicae collegit originis argumenta: *immo* esse pro *ismo* dictum, idque ex *i* pronominali et syllaba *smo* constare; quae in indicis pronominibus tertiae personae apponitur. Idque persuasisse videtur Lindemanno, quem vide ad Festum p. 562. Equidem vero nullam censeo originis esse explicationem, in qua alienissimae res similitudine soni componuntur, nec ulla significationis ratio habetur.

Imus non est pro *infimo* dictum, sed singulari ex stirpe enatum. In locis enim designandis duas notiones distinguimus has: ab eo, quod supra vel in superiore regione est, descendimus ad id, quod inferius est, et ad infimum: quo altitudo quidem definitur. Sed opponitur etiam ei, quod est in superiore parte, id, quod in contraria parte infra est. Germani dicunt *an der untern Fläche*. Illud significatur voce *inf*, hoc autem voce *imm*. Ex hoc fit *imum*, quod est contrarium supero vel summo, *das Untere: infimum* autem est *das Unterste*. Neque tamen in hac notionum similitudine fieri non potuit, ut *imum* pro *infimo* diceretur, et Rhetor ad Herenn. 3, 18, 30. scriberet: *nihil nostra intersit, utrum a summo, an ab imo, an ab medio nomina eorum dicere incipiamus:* nemo tamen loquutus est *ab infimo pectore*, nemo *imum* de ignobili loco usur-

pavit, quod animadvertere debebant interpretes Horatii in Art. poet. 32.

In scriptis codicibus antiquissimis Virgilii aliorumque scriptorum legitur *immo*, duplicata *m*. Id testantur Aldus et Cellarius. Qui vero una littera *m* scribi maluerunt *imo*, ad *imus* respexerunt, quod ipsum tamen videtur etiam scriptum esse *immus*, quemadmodum *sumus* et *summus* in usu erat. Ne igitur cum Heumanno vitiosam pronuntiationem reprehendamus, admonent nos vocabula *littera*, *nummus*, alia.

Hac via ad explicandam particulam pervenimus. Nam *immo*, quod ex ablativo adiectivi *immus* sumptum est, proprie significat contrarium parti superiori. Id vero adhibetur ad designandum contrarium, quod non est conspicuum in superficie, sed in adversa parte. Quare explicemus verbo *umgekehrt*, hoc est conversa altera parte, quae non est in aperto. Hoc transfertur in varium usum unius rationis, qua in locum sententiae ab altero propositae aliam sententiam, quae rem accuratius definiat, aut gravius opponat, aut contrarium affirmet, reiectis prioribus substituimus. Ita fit, ut particula modo significet *e contrario*, *im Gegentheil*, modo *quin potius*, *vielmehr*.

Ex his, quae dixi, facile intelligitur, quo errore grammatici tantum non omnes praeceperint, *immo* habere affirmandi vel confirmandi potestatem et significare *ja*. Schützius p. 210. docuit *immo* non simpliciter affirmare, uti *ja*, sed severius pro *profecto*, *ja wahrhaftig*. Alii autem explicuerunt verbo *nein*: prudentiores, in quibus Zumptius est, addiderunt conditionem, maius quid hac negatione substitui. Verum aliquo modo sensisse videtur Doelekius in Grammat. p. 155.

1. Videamus nunc singulas rationis vices. Ac primum respondet per hanc particulam is, qui interroganti alteri prorsus contrarium affirmando opponit, praesertim ubi is, qui interrogat, dubitavit de re, quam alter ex adversa parte confirmat. Tum reddimus *im Gegentheil*, *an contraire*. Eadem est ratio, ubi quis opinionem coniectando anticipat, etiam extra interrogationem.

Plaut. Epid. 5, 2, 1. *satin' ille hic homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos habet?* AE. *Immo edepol tu quidem miserum*

me habes miseris modis. Terent. Andr. 5, 3, 16. *cur meam senectutem huius sollicito amentia? an ut pro huius peccatis ego supplicium sufferam? Immo habeat, valeat, vivat cum illa.* Plaut. Most. 3, 1, 19. *etiam fatetur de hospite?* TH. *Immo pernegat.* Pers. 4, 3, 27. *haec quid ad me?* TO. *Immo ad te attinent.* Terent. Eun. 3, 5, 60. *ubi? domin'?* CH. *Immo apud libertum Discum.* i. e. non est domi, sed est apud libertum. Phorm. 5, 8, (9,) 54. D. *Faciet, ut voles.* N. *Immo — eius iudicio permitto omnia. Quod is iubebit, faciam.* Heaut. 4, 3, 27. *et scilicet iam me voles patrem exorare, ut celet senem vostrum.* SY. *Immo ut recta via rem narret ordine omnem.*

Ellipsin, quam verbis *mea sententia* explendam putat Goerenzius ad Cic. Acad. 1, 3, 10. nec verba in se habent, nec cogitatio. Quomodo *immo* excipiat orationem, in qua *fortasse* dictum sit, vide Tom. 2. p. 725. Adde Plin. Pan. 36, 3. *at fortasse non eadem severitate fiscum qua aerarium cohibes. Immo tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis.*

2. Plerumque accedit amplificatio. Qui respondet, affirmat rem non modo non parvam, sed magnam vel maximam esse. Quare vulgo accipiunt pro *potius* vel *quin potius.*

Terent. Andr. 1, 2, 30. SI. *Quid? hoc intellextin? an nondum etiam ne hoc quidem?* D. *Immo callide.* Cic. de Off. 3, 19, 76. *non igitur faciat, dixerit quis, quod utile sit, quod expediat? Immo intelligat nihil nec expedire nec utile esse, quod sit iniustum.* Plaut. Cas. 2, 8, 19. *ecquid amas nunc me?* ST. *Immo edepol me quam te minus.*

Terent. Andr. 3, 5, 11. PA. *Expedies?* D. *Certe, Pamphile.* PA. *Nempe ut modo.* D. *Immo melius spero.* Hec. 3, 4, 22. *quid cessas?* PA. *Quid vis dicam? an conveniam modo?* PA. *Immo, quod constitui me hodie conventurum eum, non posse, ne me frustra illi exspectet, vola.* 2, 1, 31. Plaut. Pseud. 1, 5, 80. *numquid peccatum est, Simo?* SI. *Immo maxume.* Cic. ad Att. 9, 7. *caussa igitur non bona est? Immo optima.* p. Rosc. Com. 16, 49. *quem hominem? levem? Immo gravissimum.* ad Att. 10, 12. *sine dubio errasse nos confitendum est. At semel? at una in re? Immo omnia quo diligentius cogitata, eo facta sunt imprudentius.*

3. Revertit haec particula quaestionem in eum, qui quaesivit. Quae est elliptica forma.

Plaut. Amph. 1, 1, 194. *quid apud hasce aedis negotiumst tibi?* SO. *Immo quid tibi est?*

4. Sic fit ea formula, in qua quis miratur, alterum aut quaerere de re, quae certa sit, aut opinione falli vero contraria.

Plaut. Bacch. 2, 2, 28. *quidnam meminit Mnesilochi?* PI. *Rogas? Immo unice unum plurimi pendit.* CH. *Papae.* PI. *Immo, ut eam credis? misere amans desiderat.*

Plaut. Curc. 1, 1, 59. *immo, ut illam censes? ut quaeque illi occasio est, surripere se ad me, ubi suavium oppegit, fugit.*

5. Hoc modo igitur in colloquiis reiicitur quaecumque sententia, non tantum interrogatione proposita, dum ab altera parte aliud vel contrarium effertur, aut affirmatur. Indicat particula saepe eum, qui loquitur, non acquiescere in iis, quae alter dixit.

Plaut. Merc. 1, 2, 60. AC. *Tandem indignus videor.* CH. *Immo dignus.* Terent. Phorm. 2, 2, 23. *non pote satis pro merito ab illo tibi referri gratia.* PH. *Immo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.* i. e. *nein umgekehrt, dem reichen Manne vergilt keiner nach Verdienst.*

Plaut. Amph. 5, 1, 31. AM. *Haec sola sanam sartam gestat mentem familiarium.* BR. *Immo omnes sani sunt profecto.* Curc. 2, 3, 56. PH. *Perdis me tuis dictis.* CV. *Immo servo et servatum volo.* Pseud. 1, 1, 29. *lege, vel tabellas redde.* PS. *Immo enim pellegam.* Quintil. 9, 3, 65. *quum Proculeius quaereretur de filio, quod is mortem suam exspectaret, et ille dixisset, se vero non exspectare: Immo inquit rogo exspectes.*

Plaut. Epid. 3, 4, 46. MI. *Haec non est ea.* PE. *Quid? non est?* MI. *Non est.* PE. *Unde haec igitur gentium est? Equidem hercle argentum pro hac dedi.* MI. *Stulte datum reor atque peccatum largiter.* PE. *Immo haec ea'st.*

Graeci ἀλλά γε. Alexis apud Athen. 4. p. 170. *Α. Καὶ μὴ προφάσεις ἐνταῦθά μοι, μηδ' οὐκ ἔχω. Β. Ἀλλά γε λέγ' οὗ δεῖ· λήψομαι γὰρ πάντ' ἐγώ.* ubi non erat scribendum ἀλλ' ἄγε.

6. Sed corrigitur etiam hac particula alterius opinio et ad verum reducitur, quod quasi in adversa parte conspicitur. Sic negatur et reprimitur id, quod alter dixit. Sententia est: *non ita, sed potius.*

Plaut. Cist. 2, 3, 22. PH. *An, amabo, meretrix illa est, quae illam sustulit?* LA. *Immo meretrix fuit: sed ut sit, de ea re*

eloquar. Most. 3, 2, 41. *vino et victu, piscatu probo, electili vitam colitis.* TH. *Immo vita antehac erat.* Mil. 2, 5, 32. PA. *Mala es.* PH. *Immo ecastor stulta multum, quae vobiscum fabuler.* Cist. 2, 1, 39. AL. *Itaque me Ops opulenta illius avia.* ME. *Immo mater quidem.* Terent. Andr. 1, 1, 2. SI. *Paucis te volo.* SO. *Dictum puta: nempe ut curentur recte haec.* SI. *Immo aliud.* Truc. 5, 65. ST. *Quid dedi? Ut destrinxi hominem!* STR. *Immo ego vero, qui dedi.* Stich. 4, 2, 13. *immo unum hoc potest.* i. e. nihil aliud. Cic. de Off. 3, 4, 19. *vicit ergo utilitas honestatem? Immo vero honestatem utilitas sequuta est.*

Qui loquitur se ipsum corrigit: Plaut. Cas. 2, 6, 17. *huic, immo hercle mihi.* Poen. 5, 4, 61. *sed illud quidem volui dicere, immo dixi hercle, quod volebam.* Cist. 2, 1, 44. *ita quid dicam, nescio. Iam scio. Immo, mulier, audi.* Est fere idem quod *quin tu audi.* Bacch. 2, 3, 42.

Quod legitur in Digest. 28, 5, 47. *Titius, immo Seius heres esto.* et 40, 4, 21. *Stichus, immo Pamphilus liber esto.* indicat correctionem a testatore factam esse. Bynkershoekius in Observat. iur. rom. 3, 6. Iulium Paullum in iis, quae ad libros *Πειθανῶν* Antistii Labeonis annotavit, saepe uti particula *immo*, non ut corrigeret Paullum, aut in contrarium iret, sed ut exceptiones adderet. At significatio particulae non deflectitur. In locis non paucis adiectum *contra* aperte declarat contrariam sententiam, in aliis exceptio ipsa mutat ideoque corrigit generales iuris regulas. Vide Dig. 48, 15, 28. et 29. et 30.

Plaut. Pers. 2, 1, 55. *tun illam vendas?* TO. *Immo alium allegavero, qui vendat.* Terent. Ad. 4, 3, 12. *sed si aliter putas, egomet narrabo quae mihi dixti.* M. *Immo ego quoque ibo.* Plaut. Amph. 1, 1, 232. *obsecro per pacem liceat te alloqui, ut ne vapulem.* ME. *Immo induciae parumper fiant, si quid vis loqui.* Virgil. Ecl. 5, 13.

7. Removetur hoc modo etiam quaecumque dubitatio. Affirmatio enim evadit ex reiecta sententia aliena. Id praesertim post interrogationem negativam fieri potest.

Plaut. Most. 3, 3, 4. *ecquid placeant me rogas? immo hercle vero perplacent.* Cic. p. Rosc. Am. 18, 54. *numquid est aliud? Immo vero, inquit, est: nam istum exhereditare in animo habebat.* Qui ita interrogat, sentit nihil aliud esse.

Plaut. Bacch. 4, 8, 49. *iamdudum hercle equidem sentio, suspicio quae te sollicitet, cum esse cum illa muliere.* CL. *Immo*

est quoque. Terent. Andr. 3, 3, 18. Simo dubitat, quid faciendum sit, et amico relinquit rem administrandam: tum Chremes: *immo ita volo, itaque postulo ut fiat.* i. e. nullus est dubitationi locus. Ad. 5, 8, 5. M. *Haud aliter censeo.* D. *Immo hercle ita nobis decet.* h. e. non ad opinionem redit res, sed officii est.

8. Vbi quis ironice est loquutus, aut narravit aliquid esse simulatum, alter per hanc particulam affirmat rem non in dubium venire, aut non tantum specie constare.

Terent. Eun. 3, 1, 18. *hui regem elegantem narras.* TH. *Immo sic homo est.* Sallust. Cat. 52, 28. *scilicet res aspera est: sed vos non timetis eam. Immo vero maxume.*

Plaut. Epid. 3, 3, 39. *ego illic me autem sic assimulabam quasi stolidum, quum bardum me faciebam.* PE. *Immo ita decet.*

9. Poetae liberiori usu *immo* pro *at* ponunt. Tum res opponitur diversa aut contraria simpliciter.

Virgil. Ecl. 7, 41. *immo ego sardois videar tibi amarior herbis* etc. Corydon antea usus erat verbis admodum iucundis: haec invertit Thyrsis et ex sua altera parte loquitur eamdem sententiam asperis verbis.

Virgil. Aen. 9, 97. *cui tanta deo permissa potestas? Immo — mortalem eripiam formam, magnique iubebo aequoris esse deas.*

10. Haec omnia aut in colloquiis sunt obvia aut ab oratoribus se ipsos corrigentibus adhibita. Sed quaeritur, antiquine scriptores in continua oratione ad commutandas notiones usurpaverint *immo* pro *vel potius* et *adeo*, sicuti novissimi temporis scriptores dicere solent. Raro, puto, aut numquam. Haec enim consuetudo post primos imperatores increbruit. Cicero quidem non ita loquutus est, nisi aut interrogatio praecessit aut dubitatio, quae instar esset interrogationis, aut reiiciendo negatur antecedens sententia. Vbi autem dicitur *immo etiam, immo vero etiam*, aliter se habet verborum ratio. Varronis verba Perottus affert haec: *non humanitas, immo saevitia est laedere innocentem.* eademque repetunt reliqui lexicorum auctores: nemo tamen indicavit, ubi ea invenerit. Quare dubitari licet de auctoritate: certe non in libris de Re rust. cuius libr. 1. c. 12. Schützius nominat, illa verba leguntur.

Ac meliores scriptores etiam posterioris temporis *immo* dicebant, ut reiicientes ea, quae modo pronuntiarunt, maiora vel graviora substituerent: alii tamen quidam pro *adeo* et *vel potius* usurpabant.

Afferri posset documentum Plaut. Epid. 3, 3, 36. At illi versus non leguntur in antiquis codicibus. Quare criticorum desideramus operam. Cic. p. Caec. 7, 18. *itaque homo timidus imperitusque — non putavit esse tanti hereditatem, ut de civitate in dubium veniret: concessit, credo, Aebutio, quantum vellet de Caecenniae bonis ut haberet. Immo, ut viro forti ac sapienti dignum fuit, ita calumniam stultitiamque obtrivit ac contudit.* Schützius rationem bene perspexerat, quum interrogationis signum poneret post *haberet*.

Sed suo more Cic. p. Cluent. 29, 80. *at tum si dicerem, non audirer, non quod alia res esset. Immo eadem, sed tempus aliud.* int. *erat.* ad Att. 2, 4. *interea quidem cum Musis nos delectabimus animo aequo. Immo vero etiam gaudenti ac libenti.* i. e. quid dicam, animo aequo? Immo vero etc. Cicero non dixisset: nos animo aequo, immo gaudenti delectabimus.

Liv. 38, 43, 6. *simulacra deum, deos immo ipsos, convulsos ex sedibus suis, ablatos esse.* 41, 23, 13. *ea spe depulsus, non tamen belli consilia amisit: immo, si vera volumus dicere, iam inchoavit bellum.* In his etiam correctio est, quidquid dicit Borrichius in Append. ad Cellarii Curas p. 80.

Quintil. 6, 2, 10. *in caussis vero etiam pluribus versantur, immo secundum quemdam intellectum in omnibus.* 2, 2, 8. *ipse aliquid, immo multa quotidie dicat.* Plin. Pan. 85, 5. *qui superior factus, descendis in omnia familiaritatis officia, et in amicum ex imperatore submitteris: immo tunc maxime imperator, quum amicum ex imperatore agis.* Curtius 4, 1, 22. *cave obliviscaris huius status, in quo accipis regnum, immo hercule propter quem.* Plin. Hist. nat. 34, 1, 1. *proxima dicantur aeris metalla, cui et in usu proximum est pretium, immo vero ante argentum ac pene etiam ante aurum, corinthio.* Quintil. 11, 2, 59. *nihil caussae est, cur non illam vocis modulationem fidibus ac tibiis, immo hercle, quod est huic deformitati propius, cymbalis adiuvemus.* Ita nemo antiquiorum loquutus est. Plin. Pan. 65, 3. *qui pauculis diebus gestum consulatum, immo non gestum abiiciebant per edictum.*

Adscensum in se habent haec: Plin. Pan. 23, 2. *quod occursantium populus te quoque, te immo maxime adstaret.* 44, 2. *nam privato iudicio principem geris: meliorem immo te praestas, quam tibi alium precabare.* 56, 2. Senec. Epist. 58, 1. *quanta*

verborum nobis paupertas, immo egestas sit, numquam magis quam hodierno die intellexi. Asconius in Cic. Verr. 2, 1, 6. *et valet ad suspicionem magnopere, immo opinionem vel potius fidem redempti Hortensii.* Curtius 7, 1, 30. *si hoc crimen est, paucos innocentes habes, immo hercule neminem.* Sueton. Aug. 65. *Agrippinam nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiorem in insulam transportavit.* 98.

Quam vero rationem Cicero sequutus fuerit, ex iis facile intelligitur, quibus eamdem sententiam exprimere consuevit. Plinius enim scripsisset: *quid isti mali non fecissent, immo quid non fecerunt?* At Cicero ad Att. 6, 1. *quid tandem isti mali in tam tenera insula non fecissent? Non fecissent autem? Immo quid ante adventum meum non fecerunt?* Vbi simul observa proprietatem particulae *autem:* de qua Tom. 1. p. 575.

Cic. ad Att. 5, 13. *et si intelligis, quam meum sit scire et curare, quid in re publica fiat: fiat autem? Immo vero etiam quid futurum sit, perscribe ad me omnia.*

Cic. p. Sext. 25, 55. *nam latae quidem sunt consulibus illis, tacentibus dicam? immo vero etiam approbantibus.*

11. Manet antiqua vocabuli significatio, quae est *contra*, sed invertitur orationis structura in iis, quae particulam in mediam orationem recipiunt.

Liv. 35, 49, 13. *nam quod optimum esse dicant, non interponi vos bello, nihil immo tam alienum rebus vestris est.* Ita plurimi codd. pauci vero *nihil tam vanum, immo tam alienum rebus vestris est.* Quintil. 11, 1, 50. *commoveaturne quisquam eius fortuna, quem tumidum ac sui iactantem et ambitiosum institorem eloquentiae in ancipiti sorte videat? Non immo oderit reum verba aucupantem et anxium de fama ingenii?*

12. Quare nunc dicendum est de loco, quem obtineat particula, quam antiquiores scriptores semper ab initio enuntiationis collocaverant. Sed qui post Augustum vixerunt, etiam praemissis uno pluribusve vocabulis eam interponebant. Idque primus ostendit Livius, etiam in his novo saeculo adscribendus. Poetae in omni huius particulae usu liberiores se gesserunt.

In Plauti comoediis Gronovius duo exempla elegantioris usus, ut ait, se invenisse narrat ad Capt. 2, 2, 104. At alterum ab Acidalio factum erat: nam in Aul. 4, 10, 34. veteres libri habent: EX. *Negas?* LY. *Pernego: immo neque ego au-*

rum, neque istaec aulà quae siet scio, nec novi. Alterum est Capt. 2, 2, 103. HE. *Num quae caussa est, quin, si ille huc non redeat, viginti minas mihi des pro illo?* TY. *Optuma immo.* Quod Aul. 2, 2, 84. in eadem interrogatione legitur: *immo edepol optuma.* non efficere potest, ut statuamus, Plautum, qui plus trecenties adhibuit hanc particulam, uno in loco a consuetudine recessisse. Quare assentior Camerario, qui comma interposuit. Sed similem puto esse structuram verborum in Most. 2, 1, 22. Tyndarus dicturus est alia graviora, sed eum Hegio interpellat, acquiescens in aperta professione. Hinc corrigenda sunt ea, quae Bothius ad Plaut. Aul. 258. et 719. disputavit.

Apud Liv. 35, 49, 13. discrepant libri scripti. 26, 30, 12. abest *immo* a codicibus. 39, 40, 7. *nec is tantum, cuius lingua vivo eo viguerit, monumentum eloquentiae nullum exstet: vivit immo vigetque eloquentia eius, sacrata scriptis omnis generis.* 33, 43, 6. vide supra. Tacit. Ann. 12, 6. *audivisse a parentibus, vidisse ipsos arripi coniuges ad libita Caesarum: procul id a praesenti modestia: statueretur immo documentum, quo uxorem imperator acciperet.* Plin. Pan. 44. et saepe. Martial. 12, 48, 5. *sed cras nil erit, immo hodie, protinus immo nihil.*

Martial. 6, 94, 4. *non habet ergo aliud? Non habet immo suum.* 1, 86, 4. *nihil debet: foenerat immo magis.*

13. Comicis usitata est dictio *immo si scias*, *immo si audias*, qua colloquentium alter alteri maius opinione vel peius quid nondum cognitum indicat eique contrariam sententiam suadet. Interdum non absolvitur sermo et sententia intelligitur: immo si scias, mutabis sententiam tuam, sive, si scias, non amplius quaeres.

Plaut. Curc. 2, 3, 42. *immo si scias, reliquiae quae sint.* Cas. 3, 5, 35. *immo si scias dicta, quae dixit hodie.* Terent. Eun. 2, 3, 64. *immo enim si scias, quod donum dono huic contra comparet, magis id dicas.*

Plaut. Pseud. 2, 4, 59. *probus homo est, ut praedicare te audio.* CH. *Immo si scias. Ubi te adspexerit, narrabit ultro, quid sese velis.* Merc. 2, 2, 27. *bene hercle factum, et gaudeo.* DE. *Immo si scias. Oculis quoque etiam plus iam video quam prius.* Terent. Heaut. 3, 3, 38. SY. *Pessuma haec est meretrix.* CH. *Ita videtur.* SY. *Immo si scias. Vah vide quod inceptet facinus.*

Plaut. Epid. 3, 4, 15. *immo si audias meas pugnas, fugias manibus demissis domum.*

14. Notandum videtur, quomodo huic particulae succedat *etiamsi* in confirmanda sententia, remotis iis, quae obstare videntur.

Plaut. Epid. 3, 4, 81. *eumne ego sinam impune? Immo etiamsi alterum tantum perdundum est, perdam potius, quam sinam me impune irrisum esse habitum.*

15. Nec praeteream formam orationis, quae post *immo* invertitur, et per *sed* id, quod maiorem in partem concessum est, restringit. Atque in his cavendum erit, ne affirmationem rectam existimemus expressam esse, neu cum Schützio huic particulae vim concedendi et cohortandi tribuamus, quasi significet *sane, immerhin.*

Cic. ad Att. 9, 7. *caussa igitur non bona est? Immo optima: sed agetur, memento, foedissime.* **p. Cluent. 29. 80. vide p. 225. Partit. orat. 3, 8. vide n. 16. de Offic. 3, 23, 90. vid. n. 18.**

Senec. de Benef. 6, 14. *quid ergo, inquit, si in sortem nomina vestra coniici iussissem et tuum nomen inter redimendos exisset, nihil deberes mihi? Immo deberem, sed exiguum.* **i. e.** *im Gegentheil ich wäre dir schuldig, aber nur wenig.* **ne quis dicat esse** *allerdings ich wäre* **etc. Tacit. Ann. 11, 30.** *nec domum servitia et ceteros fortunae paratus reposcere: frueretur immo iis, sed redderet uxorem.*

16. Quae hucusque explicui, reiiciunt aliena dicta et affirmant contraria. At sunt loci, in quibus *immo* eam ipsam sententiam, quam colloquentium alter proposuit, confirmare videatur. Vnde quidam existimarunt adversativam hanc particulam esse affirmativam atque reddendam per vocabulum *ja, ja gewiſs.* Et Gierigius ad Ovid. Met. 7, 510. haec: „*immo ita sit,* vim habet confirmandi, quod ab altero dictum est.“ Et Matthiae in Gramm. graeca p. 1207. graecum γε comparavit, cui nulla est vis reprobandi. Scilicet possunt ea, quae aliquis dixit, ab altero accuratius definiri, aut accumulari ita, ut prior sententia non perstet, sed reformetur. Neque alio modo is, qui ironice loquitur. Burmannus quum ad Ovid. Met. 7, 510. docet *immo ita* esse formulam voventis, non perspexit rationem adversativam, quae inest. Bene autem de hac formula iam Goclenius Analect. p. 407. monuit esse correctionis par-

ticulam, et Cellarius in Cur. poster. p. 338. Quae Borrichius in Observat. p. 80. exposuit, nihil nisi depravatum usum comprobant. De formula *immo — sed* vide n. 15.

Plaut. Aul. 4, 10, 51. EV. *Nunc quid vis? id volo noscere.* LY. *Ex te filiam tu habes.* EV. *Immo eccillam domi.* Critici aeque ac interpretes errarunt: illi enim verba *ex te* cum *noscere* coniunxerunt, hi reddunt *immo* per *ja*. Dicit vero Euclio: non modo ex me habeo filiam, sed domi. Quod ridemus in homine fallaciam non sentiente. Bacch. 2, 3, 41. *deceptus sum. Autolyco hospiti aurum credidi.* CH. *Quin tu audi.* NI. *Immo ingenium avidi haud pernoram hospitis.* h. e. non audiam: ne loquere: hoc autem constat, me deceptum esse. Terent. Andr. 3, 3, 16. *id oro te in commune ut consulas, quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.* SI. *Immo ita volo, itaque postulo ut fiat.* Male reddes *ja allerdings so*, quod esse debet *nein*. Est enim: ne ora: nam ipse ego ita volo. Eun. 4, 7, 42. TH. *Credisne?* GN. *Immo certe.* h. e. ne dubita: credo et certe quidem. Plaut. 5, 7, 18. *obsecro te, quisquis es, operam ut des mihi, neu sinas in me insignite fieri tantam iniuriam.* MES. *Immo et operam dabo et defendam et subvenibo sedulo.* Hoc est: ne dubita: non modo operam dabo, sed defendam et subvenibo sedulo. Reddas: *vielmehr*. Nec differt haec ratio ab illis Mil. 2, 5, 52. SC. *Visane est ea esse?* PA. *Immo edepol plane ea est.* Aul. 3, 6, 7. *neque pol, Megadore, mihi nec cuiquam pauperi opinione melius res structa est domi.* ME. *Immo est et dii faciant ut siet.* Ambigue loquitur: immo est bene structa. Cic. de L. Agr. 2, 35, 97. *singularis homo privatus nisi magna sapientia praeditus vix facile sese regionibus officii, magnis in fortunis et copiis continet, nedum illi — coloni Capuae in domicilio superbiae — collocati, non statim conquisituri sint aliquid sceleris et flagitii. Immo vero etiam hoc magis quam illi veteres — Campani, quod in vetere fortuna illos natos et educatos, nimiae — copiae depravabant.* de Leg. 2, 10, 23. *an censes — non necesse esse optimae reipublicae leges dare consentaneas?* A. *Immo prorsus ita censeo.*

Cic. Partit. orat. 3, 8. C. F. *Omnibus igitur ex his locis argumenta sumemus.* C. P. *Immo vero. Scrutabimur et quaeremus ex omnibus, sed adhibebimus iudicium.* Interpunctio a me emendata rationem verborum declarat. De loco Senecae de Benef. 1, 14. vide n. 15.

Terent. Ad. 5, 3, 54. *ceterum rus cras cum filio cum primo lucu.* MI. *Immo de nocte censeo: hodie modo hilarum te fac.*

Verti potest: *meinetwegen um Mitternacht*: sed intelligitur *quin potius*. Cic. Somn. Scip. 3. *quaesivi tamen, viveretne ipse et Paullus pater et alii, quos nos exstinctos arbitraremur. Immo vero, inquit, ii vivunt, qui ex corporum vinculis tamquam e carcere evolarunt.* Bene monet Ernestius *immo vero* non referri ad *viveretne pater*, sed ad *quos nos exstinctos arbitraremur*. Si reddideris, *ja allerdings*, unam tantum partem significationis expresseris.

Ovid. Trist. 1, 2, 98. *a culpa facinus scitis abesse mea. Immo ita: vos scitis: si me meus abstulit error, stultaque mens nobis, non scelerata fuit: quamlibet e minimis, domui si favimus illi, — ita parcite, Divi.* Nemo negabit in contrarium verti orationem. Excusando poeta deprecatur poenas. Met. 7, 511. *Gratia dis. Felix et inexcusabile tempus. Immo ita sit: Cephalus, crescat tua civibus opto res, ait.* Krebsius reddit: *Ja so sey es.* Male. Cephalus dolore affectus loquitur ex contraria sententia. Vovendum est, ut ita potius sit: nam ego in pulcra iuventute mihi obvia multos, qui obiisse videntur, requiro.

Potest inversa negatione redire oratio ad affirmationem: tamen non mutat naturam suam particula. Plaut. Cas. 2, 6, 50. ST. *Quod bonum atque fortunatum mihi sit.* OL. *Ita vero, et mihi.* ST. *Non.* OL. *Immo hercle.* CH. *Immo mihi hercle.*

17. In indignatione mirantur Germani rem incredibilem adhibita negatione *nein*. Ita etiam Latini. Plaut. Bacch. 5, 2, 13. *hoc, hoc est quod peracescit: hoc est denum, quod percrucior, me hoc aetatis ludificari: immo edepol sic ludos factum cano capite atque alba barba.* Hoc reddamus: *nein wahrhaftig, so im grauen Alter verspottet zu werden.* Quae eadem ratio est, quando quis obstupefactus suam opinionem antea captam quasi reprobat.

Terent. Andr. 4, 2, 25. C. *Verum vis dicam?* D. *Immo etiam narrationis incipit mi initium.* Nos diceremus: *nein, das muſs ich sagen, nun fängt er mir eine Erzählung an.* 4, 1, 5. *idne est verum? Immo id est genus hominum pessimum.*

Plaut. Mil. 2, 2, 86. quum Palaestrio fraudulentas artes suas aperuisset, Periplectomenes *euge euge, inquit, lepide laudo commentum tuum:* addit autem ille alia commenta: tum Periplectomenes: *immo ut optume.* quod vertas: *nein wie vortrefflich.*

18. Iam quaeram, possitne unum vocabulum *immo* negationem vel oppositionem praestare. Equidem non

puto id fieri posse, nisi adiectum sit aliud vocabulum affirmandi: *immo vero*, *immo hercle:* quae dicuntur pro *certe*, *profecto*. Si qui apud comicos hoc modo loquuntur, sermo interpellatur, aut aliena cogitatione abrumpitur. Potest autem praecedere aliud verbum interiectum.

Cic. de Off. 3, 23, 90. *non igitur patria praestat omnibus officiis? Immo vero, sed ipsi patriae conducit pios habere cives in parentes.* Plaut. Cas. 2, 6, 50. vide n. 16.

Plaut. Most. 1, 4, 21. CA. *In mentem venit modo: nempe domum eo comissatum.* DE. *Immo.* CA. *Istuc quidem iam memini.* Delphium dictura erat: immo ad Philolachetem eras comissatum iturus.

Plaut. Most. 3, 3, 11. *mane: immo equidem memini.* Mil. 4, 8, 57. *scis? immo hodie verum factum faxo post dices magis.*

19. Duae quum potestates in hoc vocabulo conspirent, earum utraque poterat aliis vocabulis adiectis augeri. Adduntur igitur particulae affirmationis gravissimae *edepol*, *hercle* et quod simul adversativam aliquam vim in se habet *vero*, unde *immo vero* exsistit, quo oratio aut repugnare oppositis aut ad maiora adscendere solet. Falluntur igitur, qui pro *certe*, *ja allerdings*, dici putant, quum sit *nein im Gegentheil.*

Plaut. Epid. 5, 2, 1. *satin' ille hic homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos habet?* AP. *Immo edepol tu quidem miserum me habes miseris modis.* Capt. 2, 1, 16. 2, 2, 37. Bacch. 2, 2, 33. *immo hercle abiero potius.* Terent. Ad. 5, 8, 5. M. *Haud aliter censeo.* D. *Immo hercle ita nobis decet.* Plaut. As. 3, 3, 26. Men. 4, 2, 93. Rud. 5, 3, 13.

Plaut. Most. 3, 2, 79. *immo edepol vero, quum usque quaque umbra est, tamen sol semper hic est.* Terent. Hec. 4, 4, 104. *immo vero abi.* Andr. 5, 2, 11. *immo vero indignum, Chreme, iam facinus faxo ex me audies.* Davus enim reiicit Chremetis opinionem ironice expressam. Hec. 5, 4, 35. *nescis, Parmeno, quantum hodie profueris mihi.* — PA. *Immo vero scio.* Cic. de Off. 3, 23, 90. *non igitur patria praestat omnibus officiis? Immo vero: sed ipsi patriae conducit, pios habere cives in parentes. Quid? si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater, silebitne filius? Immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat.* 3, 12, 52. *sed non quidquid tibi audire utile est, id mihi dicere necesse est. Immo vero, inquiet ille, necesse est, si quidem meministi, esse inter homines natura coniunctam societatem.*

ubi codices quidam omittunt verba *inquiet ille*, quibus non opus est. in Catil. 1, 1, 2. *vivit? Immo vero etiam in senatum venit.* ad Att. 12, 42. *ferendus tibi in hoc error. Ferendus? Immo vero etiam adiuvandus.* 16, 15. ad Quint. fr. 1, 3. *ego te videre noluerim? Immo vero me a te videri nolui.* Alia vide supra.

Formula est *immo vero eo magis.* vid. Cic. Agrar. 2, 35, 97.

20. Vt magis appareat alterius rei dignitas, additur *potius*, cuius significatio in eumdem sensum convenit. Vbi *magis* legitur, pertinet hoc ad aliud verbum.

Plaut. As. 5, 2, 89. DE. *Iuben' hanc hinc abscedere?* PH. *Immo intus potius.* Rud. 4, 8, 2. *mi patrone, immo potius mi pater.* Petron. 16, 4. *nec accusat errorem vestrum, nec punit: immo potius miratur, quis deus iuvenes tam urbanos in suam regionem detulerit.*

Terent. Eun. 3, 1, 45. *nil minus: immo auge magis suspicionem.* Lactant. 6, 13, 4. *immo vero tum magis iustitiam debet operari, quum factus est iustus.*

21. Quoniam in demonstrando contrario argumentum potest sententiae vel veritatis documentum comprehendi, coniungitur *enim*. *Immo enim* est contrarium potius valet: nam —, *im Gegentheil nemlich.* Gravior affirmatio accedit per *enimvero.*

Terent. Andr. 5, 1, 2. *orandi iam finem face. Dum studeo obsequi tibi, pene illusi vitam filiae.* SI. *Immo enim nunc quam maxime abs te postulo atque oro.* i. e. ne loquere ita: nunc enim quam maxime postulo. Phorm. 2, 2, 23. *non pote satis pro merito ab illo tibi referri gratia.* PH. *Immo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.* Eun. 2, 3, 64. Apud Plautum hanc dictionem nusquam inveni. Quare non dubito, quin Bothius male coniecerit scribendum esse Plaut. Bacch. 2, 3, 106. *immo enim tantisper numquam te morabitur* etc. pro *immo hem tantisper.* Vide de hac dictione p. 48.

Plaut. Capt. 3, 4, 76. *immo enimvero, Hegio istic, qui volt vinciatur.* Terent. Eun. 2, 3, 38. PA. *Incommode hercle.* CH. *Immo enimvero infeliciter.* Phorm. 3, 2, 43. *Sicine hunc decipis?* D. *Immo enimvero hic, Antipho, me decipit.*

22. Affirmatio adiicitur distinctior subiuncta particula *etiam:* nisi ea ad aliud nomen pertinet. Vide Tom. 2. p. 562. Plautus composuit verba *immo — quoque.*

Plaut. Bacch. 2, 3, 80. *sed vos nihilne attulistis inde auri domum?* CH. *Immo etiam.* Terent. Andr. 4, 1, 46. *hac non successit, alia adgrediemur via: nisi si id putas, quia prima processit parum, non iam ad salutem posse converti hoc malum.* PA. *Immo etiam.* i. e. immo etiam puto. Phorm. 5, 6, 37. *atque hercle ego quoque illam inaudivi fabulam.* G. *Immo etiam dabo, quo magis credas.* Andr. 4, 1, 31. 4, 2, 25. Hec. 5, 4, 29.

Plaut. Mil. 4, 2, 21. M. *Quem ego hic audio?* PA. *Socium tuorum consiliarium et participem consiliarium.* M. *Tum pol ego quod celo, haud celo.* PA. *Immo etiam. Sed non celas.* Ita edit. princ. et cod. Sur. Male olim legebatur *etiam si celas.* Dicit Milphidippa: quum tu sis consiliarius meus, id quod celo, frustra celo. (conf. Aul. 1, 2, 35.) Palaestrio respondet: immo vero non frustra celas: sed non celas.

Plaut. Rud. 4, 4, 79. *dudum dimidiam petebas partem.* TR. *Immo etiam nunc peto.* Cohaerent verba *etiam nunc.* Plaut. Bacch. 4, 8, 49. *iamdudum hercle equidem sentio suspicio quae te solicitet, eum esse cum illa muliere.* CL. *Immo est quoque.*

In verbis *immo vero etiam* ultimum hoc vocabulum coniungendum est cum verbo: ut Cic. ad Att. 13, 43. *immo vero etiam adiuvandus.* Cic. in Cat. 1, 1, 2. *Vivit? immo vero etiam in senatum venit.* i. e. adeo.

23. *Quin immo,* quorum verborum utrumque eamdem significationem habet, coniungebant Latini eo tempore, quo luxuries coacervatis verbis similibus delectari coeperat. Nam *quin* dicendam rem ampliorem designat, *immo* dictam rem deprimit, ut alia magis efferatur. Cicero numquam ita loquitur, sed Plinius et Quintilianus saepius.

Cic. ad Att. 1, 13. *quin immo leviter inter se dissident.* Ita vulgares editiones et quidam codices. Sed meliores *quin nunc.*

Plin. Epist. 1, 8, 3. *erit enim et post emendationem liberum nobis vel publicare vel continuare. Quin immo fortasse hanc ipsam cunctationem nostram in alterutram sententiam emendationis ratio deducet.* Quintil. 1, 1, 31. *quin immo ne primae quidem memoriae temere credendum.* 12, 11, 27. 7, 10, 8. *sed quid una faciet, aut altera? quin immo centum ac mille in re infinita?*

24. *Immo contra* nemo veterum dixisse videtur praeter Livium et iurisconsultos quosdam. Ille enim

41, 24, 8. *opportuni propinquitate ipsa Macedoniae sumus: an infirmissimi omnium tamquam, quos nuper subiecit, Dolopes? Immo contra ea vel viribus nostris deum benignitate, vel regionis intervallo tuti.* cf. Tom. 2. p. 124. Suetonius dixit *immo e diverso* Domit. 9.

Labeo in Digest. 33, 7, 5. *Si cui fundum et instrumentum eius legare vis, nihil interest quomodo leges fundum cum instrumento, an fundum et instrumentum, an fundum instructum. Paullus: immo contra: nam inter ea legata hoc interest* etc. Idem 38, 2, 51. 41, 3, 49.

25. *Immo adeo* inveni uno in loco Plauti Truc. 1, 2, 100. *Tum pol isti puero quis est pater?* AS. *Babyloniensis miles, cuius nunc ista adventum expetit: immo adeo ut nuntiatumst, iam hic affuturum aiunt eum.* Suspecta haec verba criticis sunt visa. Bentleius ad Terent. Eun. 4, 6, 5. scripsit: *immo ab eo ut nuntiatumst.* nescio an de consilio. Nam editiones vet. praebent *abeo.* Scribendum est: *cuius nunc ista adventum expetit. Immo ab eo ut nuntiatumst, iam hic affuturum aiunt. Eum nondum advenisse miror.*

Immo vel semel legitur apud Plautum Truc. 2, 4, 22. PHR. *Dan' suavium?* DIN. *Immo vel decem.* et apud Suetonium de Rhetor. 5. *nec eo minus, immo vel magis ob hoc Antonio gratus.*

26. *Immo age* poetae dicunt, ubi aliquis alia agenda requirit aut in contrariam partem vocat. Graeci ἀλλ' ἄγε loquuntur.

Virgil. Aen. 1, 748. *nec non et vario noctem sermone trahebat infelix Dido — multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. — Immo age et a prima dic, hospes, origine nobis insidias, inquit, Danaum casusque tuorum.*

*) Commutantur in libris scriptis vocabula *immo* et *uno.* vid. Schwartz. ad Plin. Pan. p. 59. 180. 598. et *modo.* vid. idem p. 254. Librarii adiecerunt *immo* in Quintil. 12, 11, 24. in Sueton. Caes. 63.

IMPRAESENTIARVM.

In ea vocabula, quorum origo ac ratio nos ideo fugit, quod vulgi sermone formae verborum corrumpi solent, referri debet *impraesentiarum.* Grammatici

veteres nusquam mentionem eius faciunt aut propterea, quia verbum vulgari usu depravatum non poterat grammaticis praeceptis submitti, aut quia recentior eius origo extra campum doctrinae erat posita. Perottus adverbium appellat. Sed iam Pontanus de integritate vocabuli dubitare coepit: inde permagna dissensio inter grammaticos facta est: quorum plurimi in eo acquieverunt, ut demonstrarent verbum hoc non ab optimis scriptoribus, sed maxime a recentissimis esse usurpatum, ideoque eleganter scribentibus abstinendum esse ab hoc usu. Scripsit de hoc vocabulo dissertationem Godof. Hechtius, Vitemb. 1709. editam, in qua enarrantur grammaticorum variae sententiae, singulare iudicium non interponitur. Latinitatem igitur in suspicionem quum vocavissent Pontanus Progymnas. 1. p. 83. et alii, Scioppius autem Symbol. in Apulei. p. 117. et in Grammat. p. 25. librariorum barbarismo omnia exempla imputasset, defenderunt eam Perizonius, Lambinus, Elmenhorstius, Bangius: at Schurzfleischius ubique scribendum *in praesentia* censuit, Gerh. Vossius *in praesentia rerum.* Atqui omnis haec quaestio inanis esse videtur, siquidem Scioppius in Iud. de stilo histor. p. 118. et Graevius ad Rhetor. ad Herenn. 2, 11. recte iudicaverint, loquutionem hanc, toti antiquitati incognitam, ab interprete latino sacrorum librorum esse fictam et ab indoctis librariis ex vitiosa sui saeculi consuetudine in veterum libros temere receptam, idque plane confirmari silentio grammaticorum. Alii monstrum appellant: omnes concedunt fuisse plebeiam vocem. Cf. Heumanni Poecile Vol. 3. p. 319. Scriptores enim, quorum in libris consentiunt codices, ex antiquis sunt Cato et Fannius et auctor librorum ad Herennium, ex recentioribus is qui composuit Cornelii nomine vitas, Tacitus, Apuleius quater et decies, Vlpianus, Symmachus, Sidonius, Minucius Felix, Hieronymus. At Catonis libros de re rustica non sinceros habemus, sed a multis, ut videtur, interpolatos, et in hoc, quem modo afferemus, loco ne sententia quidem satis perspici potest: Fannii verba leguntur apud scriptorem saeculi quarti: in Rhetoricorum loco Pithoei codex et editio mediolanensis exhibent *in praesenti.* Taciti Annales uni debentur codici, atque uno in loco legitur hoc vocabulum. Quare ad tempora depravatae latinitatis eiusque auctores Apuleium et posteriores revocabimur, quos

hoc vocabulo frequenter usos esse nemo in tanto codicum consensu negabit.

Cato de Re r. 144, 4. *ne quis concedat quo olea legunda et faciunda carius locetur: extra quam si quem socium impraesentiarum dixerit.* Priscian. 13. p. 960. *C. Fannius in I Annalium: quum in vita agenda didicimus multa, quae impraesentiarum bona videntur post inventa, et multo amplius alius modi atque ante visa essent.* Quod in codicibus legitur *et multa amplius*, recte mutarunt critici iam ante Putschium in *multo amplius*, h. e. multo plura. Rhetor. ad Herenn. 2, 11, 16. *impraesentiarum hoc interdicere non alienum fuit.*

Cornel. Hann. 6, 2. *cum hoc — cupivit impraesentiarum bellum componere.* Tacit. Ann. 4, 59. *qui insectarentur Neronem — quamquam modesta iuventa plerumque tamen, quid impraesentiarum conduceret, oblitum.* Apulei. de Deo Socr. p. 48, 6. *atque adeo hic sit impraesentiarum.* p. 49, 30. *idcirco supersedebo impraesentiarum in his rebus orationem occupare.* p. 52, 22. Apolog. p. 305, 9. *quamquam sedulo impraesentiarum a laudibus tuis tempero.* p. 308, 24. *quid igitur impraesentiarum vis tibi credi?* p. 316, 3. p. 331, 36. Florid. p. 348, 5. p. 355, 30. p. 358, 33. p. 359, 30. In Metamorphoseon libris nusquam legitur. Vlpianus quatuor in locis Digest. 11, 1, 11, 8. 43, 5, 1, 1. 43, 8, 2, 31. 43, 24, 1, 9. 27, 8, 1, 15. Symmach. Epist. 1, 94. 3, 48. Sidon. Apollin. Epist. 2, 3. 4, 3. 3, 6. ubi Savar. 8, 9. Minuc. Fel. 5, 1. Hieronymus ad Algasiam, Cyprianus Epist. 1, 8. Claudian. Mamert. de Statu an. 1, 3 et 25.

De latinitate huius vocabuli quae a viris doctis disputata sunt, tradunt Cellarius Antibarb. 2. p. 118. Bangius in Observ. Phil. p. 1418. Guntherus in Latin. restit. P. 1. p. 294.

Sanctius quum absurdam sententiam proposuisset, Latinos Graecorum more etiam genitivum cum praepositione composuisse, eum refellens Perizonius ellipsin statuit nominis *temporis*. At non potest latine dici *praesentiarum tempus*, sed ne *praesentiae* quidem plurali numero de tempore dicebantur. Gerh. Vossius autem aliquando in eam sententiam incidit, de Vitiis serm. 1, 26. p. 108. (nam mutavit posthac eam 4, 33. p. 806.) ut suspicaretur, natum esse hoc verbum ex litteris *in praesentia rerum* compendio lineolae suprascriptae, et in Etymolog. p. 471. rescribi iubet *in praesentia rerum*. Eamdem vero opinionem de scribarum errore conceptam retulerunt Grunerus et Ramshornius ad ipsam verbi conformationem, atque ille in Actis soc.

lat. ienens. T. 4. p. 212. assentiente Oudendorpio ad Apulei. T. 2. p. 70. hic in Grammat. p. 469. et in Ephemerid. ienens. a. 1829. n. 232. docuit *impraesentiarum* factum esse contractis in unum vocabulis *in praesentia rerum*. Quis vero Latinorum umquam ita loquutus est? Veterum, quod ego sciam, nemo. Nec credamus ab his quidem scriptoribus corruptam vocem vulgaris pronuntiationis in usum suum esse admissam. Praeterea ipsum vocabulum non de rerum praesentia, sed de tempore usurpatur. Hechtius narrat fuisse qui composita existimarent vocabula *in praesentia tum:* Lipsius in Epistol. Syllog. Burmann. T. 1. p. 53. huic, ut videtur, Petri Egmondi opinioni apposuit suam, ex qua scribendum esset *impraesentiadum*, ut *hauddum*. Denique Doederlinus in Etymolog. 1. p. 140. novam viam ingressus est, eumque Bremius in not. ad Cornel. Hann. 6. sequitur: *praesentiarum* esse adiectivum, sicuti *arus* terminatio adiecta sit in *avarus*, *clarus* et *arius* in *vulgarius:* hinc dici *in praesentiarum* pro *in praesens*. Et quum ab aliis monitum esset, non constare, quomodo e *praesentia* substantivo adiectivum istius formae oriri potuisset, Tom. 3. p. 313. comparavit vocabulum *pestilentiarius*, apud Tertullianum obvium, et *silentiarius*, ministerii nomen. Quid iam in hac obscuritate rerum iudicamus? Ego abstineo, id tantum affirmans, incertum nec credibile videri, antiquiores scriptores hoc vocabulo esse usos, sed quosdam africani dicendi generis auctores ex plebeia loquela id recepisse, quod pronuntiatione corruptum fuisse videtur. Quod apud Petronium legitur c. 58. et 74. *depraesentiarum*, factum in modum verborum *derepente*, *desubito*, monstrat *praesentiarum* fuisse nomen singulare et absolutum, cui etiam *in* praeponi poterat, sicuti *incoram*, *inante*, et alia.

Sed ipsa significatio vocabuli non satis explorata videtur. Doederlinus reddit verbis *für jezt*, *für den Augenblik*, *für die nächste Gegenwart*, quae multis locis interpretandis adhiberi non possunt. Aliis enim in locis opponitur *in posterum*, *in futurum* ita, ut praesens tempus simpliciter intelligatur: in aliis gravior accedit vis, ut valeat de tempore tantum, quantum de loco dicitur *illico*, id est *jezt gerade:* saepe etiam praeponitur *nunc*. Alibi abesse videbitur notio temporis, quae tamen non modo adest, sed plenam sententiam

uno verbo exprimit. Vlpianus autem, si vera esset scriptura, *impraesentiarum esse* dixisset pro *praesens esse:* attamen corruptione laborant verba, nec suppetit ratio.

Apulei. Florid. p. 348, 5. *et amor noster impraesentiarum tenet et spes Carthaginis in futurum spondet.* de Deo Socr. p. 52, 22. *ut monitus praecaveret, omitteret coepta impraesentiarum, quae tutius vel postea capesseret vel alia via adoriretur.*

Apulei. Florid. p. 359, 30. *id ego quum alias, tum etiam nunc impraesentiarum usu experior.* p. 355, 11. p. 355, 28.

Apulei. de Deo Socr. p. 48, 6. *atque ideo hic sit impraesentiarum.*

Apulei. Apolog. p. 316, 2. *quin si ipse proconsul interroget, quid sit deus meus, tacebo. De nomine ut impraesentiarum, satis dixi.* Ita Oudendorp. p. 337. atque explicat: prout praesens tempus poscebat. Commatibus non opus est, sed verba sunt struenda: tacebo, uti de nomine impraesentiarum satis dixi.

Sidon. Apoll. Epist. 4, 3, *cui Varrones vel Atacinus vel Terentius Plinii vel avunculus vel Secundus compositi impraesentiarum rusticabuntur.* h. e. *in jetzigen Zeiten.* 3, 6. *si veteris commilitii, si deinceps innovatae per dies gratiae bene impraesentiarum fides vestra reminiscitur, profecto intelligitis, ut vos ad dignitatum, sic nos ad desideriorum culmina adscendere.* i. e. in hoc tempore, in quo recordatio amicorum rara est.

Vlpianus in Dig. 27, 8, 1, 15. *exigere autem cautionem magistratus sic oportet, ut pupilli servus aut ipse pupillus, si fari potest et impraesentiarum est, stipuletur a tutoribus.* Scribendum videtur, ut in edit. venet. exstat, *in praesentia:* sicuti Gaius Institut. 1, 121. *nisi in praesentia sint.*

IMPRIMIS.

Ii, qui hodie antiquam verborum scripturam etymologica ratione restituere gestiunt, mirabuntur me afferre vocabulum IMPRIMIS, quod esse debeat *in primis:* quemadmodum critici in multis libris se emendasse gloriantur. At usu accuratius perpenso ipsi videbunt, verba *in primis* etiam adverbii naturam atque formam induisse, ideoque in uno vocabulo coniuncta uni accentui fuisse subiicienda. Quando id factum sit, non potest accurate definiri: Ciceroni usitatum fuisse, declarant exempla non pauca et in iis forma *imprimisque*

et locus in Verr. 1, 26, 6. *ut erat imprimis inter suos copiosus.* Hoc vero in usu Latini pronuntiabant *imprimis*, non *inprimis*, et quod pronuntiatione constabat, etiam scriptura exprimere solebant: quemadmodum scripserunt *imperpetuum.* Vid. Gruteri Inscript. p. 1088. 4. Quam sententiam meam nunc etiam a Kritzio comprobatam video in notis ad Sallust. Cat. 60, 5.

Caussae, quas Cellarius ad defendendam scripturam *in primis* affert, inanes sunt: ita posse melius distingui, quae non idem significent, verba *praecipue*, *praesertim*, et quod simillimum sit, verbi secundam personam *imprimis.*

1. *In primis* proprio sensu usurpabatur pro *inter primos*, qui esse possunt optimi vel fortissimi vel nobilissimi, vel etiam qui primum ordinem obtinent. Sic *in primis* interdum idem est atque *in primo*, h. e. agmine sive ordine. Vid. Gronov. ad Liv. 10, 14, 17.

Terent. Eun. 3, 1, 39. TH. *Audieras* (hoc dictum)? CH. *Saepe: et fertur in primis.* Male interpretantur: in omnium ore est: recte Westerhovius: celebratur in praestantissimis.

Sallust. Iug. 6, 1. *leonem atque alias feras primus aut in primis ferire.* intelliguntur fortissimi.

Sallust. Cat. 60, 4. *Manlius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt.* In quo loco explicando Kritzius iniuriam fecit Cortio, qui eamdem sententiam, quam ille exposuit, in mente habuit. Neutri tamen adstipulor, sed intelligo primam aciem, quam fortissimi occupare solebant.

2. Dicitur deinde *in primis* ita, ut pro *primo* accipi possit, cui etiam opponitur *deinde*, vel aliud huius generis vocabulum. Schwarzius in Praefat. edit, 2. Tursellini reprehendit Facciolatum, qui idem docuerat. Rationem sententiae suae non reddidit.

Quintil. Prooem. 25. *nam si quantum de quaque re dici potest persequamur, finis operis non reperietur. Illud tamen in primis testandum est nihil praecepta atque artes valere, nisi adiuvante natura.* i. e. in limine operis. Sueton. Aug. 16. *bellum siculum inchoavit in primis, sed diu traxit.*

Sallust. Iug. 26, 2. *Iugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat: deinde omnis puberes Numidas — interfecit.* Quintil. 5, 11, 114. *dicamus in primis —. Tum secundo gradu —.*

Cic. ad Att. 5, 1. *ut veni in Arpinas, quum ad me frater ve-*

nisset, in primis nobis sermo isque multus de te fuit: ex quo veni ad ea, quae etc.

3. Componitur cum verbis, ut intelligatur, aliquem nisi primum, tamen inter primos aliquid facere, et ita agendo non cessare.

Cornel. Paus. 5, 3. *dicitur — matrem Pausaniae — postquam de scelere filii compererit* (ita est scribendum), *in primis ad filium claudendum lapidem ad introitum aedis attulisse.* De loco Cic. ad Fam. 13, 61. vid. n. 6.

4. Id *in primis* adiunctum habet genitivum. Tum transmutata est ratio: nam id, quod praedicato exprimitur, praesumptum constituit genus, in quo primi distinguntur.

Cic. Verr. 2, 35, 86. *oppidum — quod fuerat in primis Siciliae clarum et ornatum.* 36, 88. *multa, ut in primis Siculorum in dicendo copiosus est, commemoravit.* Liv. 22, 3, 3. *regio erat in primis Italiae fertilis.* Cornel. Paus. 1, 2. *Mardonius — in primis omnium Persarum et manu fortis et consilii plenus.* Plin. Hist. n. 3, 10, 16.

Cic. de Fin. 4, 18, 50. *illud vero minime consectarium, sed in primis hebes illorum.* Nescio quo pacto Goerenzius *illorum* cum *gloriatione*, quod sequitur, coniungere potuerit.

5. Adverbium *imprimis* significat praecipue, maxime, admodum, et additur adiectivis et adverbiis, sicuti *admodum*, *maxime*. Potest etiam post suum vocabulum poni et interiici aliud nomen. Peculiari modo cum negatione coniunxit Cornelius Nepos, sed ut tolleret negationem alia adiecta. Grammatici discrimen inter *praecipue* et *imprimis* intercedens hoc sibi visi sunt invenisse: *hunc praecipue diligo* esse, ante omnes alios diligo omnibusque praefero: *hunc imprimis diligo* significare, non praefero quidem omnibus, sed ita tamen diligo, ut diligere soleo amicorum meorum antesignanos. Nolten. Lex. p. 1133. Haec subtilia, non vera sunt: nam *praecipue* etiam significat *prae aliis*. *Praecipue* proprie cum verbis componitur, non cum adiectivis, et indicat modum agendi.

Cic. de Off. 2, 14, 50. *qui iuris civilis imprimis peritus fuit.* Top. 9, 40. *quod genus argumenti imprimis firmum videri solet.* Cornel. Att. 13, 6. *quum imprimis lautus esset eques romanus.* Sallust. Cat. 4, 4. *nam id facinus imprimis ego memorabile existumo sceleris atque periculi novitate.*

Plin. Epist. 6, 15, 1. *splendidus eques romanus et imprimis eruditus.*

Cic. de Nat. d. 1, 43, 120. *vir magnus imprimis.* Brut. 95, 325. *quorum utriusque orationes sunt imprimis in asiatico genere laudabiles.*

Cic. de Sen. 18, 64. *multa in nostro collegio praeclara: sed hoc, de quo agimus, imprimis, quod* etc.

Cornel. Att. 13, 1. *neque tamen non imprimis bene.*

6. Cum verbis, sed raro componitur iis, quorum notio per gradus attollitur. Tum rem significant maioris intentionis.

Cic. ad Fam. 1, 7, 29. *quem nos — imprimis amamus carumque habemus.* Virgil. Ge. 1, 338. *imprimis venerare deos.* Plin. Hist. nat. 25, 3, 7. *auctores quarum inveniuntur, imprimis celebrare par est.* Cic. ad Fam. 13, 61, 1. *eius filio — pecuniam Nicaeenses grandem debent ad* HS. *octogies, et, ut audio, imprimis volunt ei solvere.* Cohaerent enim verba *imprimis volunt:* alioquin *in primis solvere* refer ad n. 3.

Quintil. 2, 4, 8. *quapropter imprimis evitandus, et in pueris praecipue magister aridus.* 12, 4, 1. *imprimis vero abundare debet orator exemplorum copia.*

7. Denique pro *praesertim* ponitur, ut vel unum vocabulum vel singularis pars sententiae efferatur. Est *vorzüglich*, *absonderlich.*

Cic. de Orat. 3, 5, 17. *imprimis hoc a se Cotta animadversum esse dicebat, omne illud tempus meridianum Crassum in acerrima atque attentissima cogitatione posuisse.* Cave ne intelligas primum, ante omnia. de Fato 8, 15. *medicus imprimis, quod erit ei perspectum in arte, non ita proponet.* ad Att. 16, 3. *multa me movent in discessu, imprimis mehercule quod disiungor a te.* p. Font. 14, 31. *usu quoque bellorum gerendorum, imprimis eorum hominum, qui nunc sunt, exercitatus.* de Div. 2, 47, 98. Quintil. 12, 2, 24.

Cic. ad Fam. 4, 3, 15. *Servius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus imprimisque in hac, in qua ego me scripsi acquiescere, ita versatur, ut excellat.* 2, 8, 4. *neque enim fuit, quod tu plus providere posses quam quivis nostrum, imprimisque ego.* 1, 3, 3. *commendo tibi eius omnia negotia, libertos, procuratores, familiam: imprimisque ut, quae T. Ampius de eius re decrevit, ea comprobes.*

Plin. Hist. n. 25, 8, 50. *animalia quoque invenere herbas, imprimisque chelidoniam.*

8. Quaesitum est, num *imprimis* cum superlativo coniungi possit ita, ut huius potestas, quae maxima videtur, augeatur. Atque Kritzius ad Sallust. Iug. 7, 5. nuperrime negavit superlativo absolute posito addi posse augmentum: esse enim ineptum, id, quod per se optimum dicitur, imprimis optimum dicere. Quae argumentatio comprobari non potest. Nam praeterquam quod Latini superlativum usurpant non tantum de rebus omnium maximis, sed etiam de rebus perquam magnis, nulla reperitur lingua, in qua non usus eius generis elationem concedat. Poetae et vulgus hanc sibi semper arrogabant licentiam. Homerus Od. 4, 629. ἀρετῇ δ' ἔσαν ἔξοχ' ἄριστοι. Plutarch. de Ira p. 457. B. χαλεπώτατοι δὲ ἄγαν. Quare unum hoc spectare attinet, an optimi scriptores latini exempla offerant probabilia.

Cic. in Verr. 3, 27, 68. *sunt omnes Siculi non contemnendi* —, *sed homines et satis fortes et satis plane frugi ac sobrii, et imprimis haec civitas, de qua loquor, iudices. Itaque homini imprimis improbissimo respondent Agyrinenses.* Haeserunt critici in verbis *satis plane frugi*, et eiecit Zumptius alterum *satis*, quod cum maxima vi iterum est positum. Verte: *sie sind hinlänglich tapfer und unläugbar (offenbarlich) brav im hinlänglichen Maaſse.* Idem criticus sustulit alterum *imprimis*, quod abest ab uno cod. Lag. 42. Si quis vero rhetoricam vim ad animum revocaverit, mecum sentiet, haud inepte *imprimis* addi, nec obesse repetitionem, qua peculiaris vis contrario, quod sequitur, vocabulo imponitur. Totum locum ita redde. *Die gesammten Siculer sind nicht zu verachten, sondern hinreichend tapfer und gewiſs hinreichend brav, und absonderlich diese Stadt. Daher antworten die Agyrinenser dem absonderlich schlechtesten Menschen.* Sallust. Iug. 7, 5. *ac sane quod difficillimum imprimis est et proelio strenuus erat et bonus consilio.* Nihil profecit Kritzius scribendo *in primis*, quod prorsus est sensu destitutum. Quaenam esse possunt ista prima?

9. Notanda et cum aliis eiusdem generis comparanda est formula *quum* — *tum imprimis*.

Cic. ad Fam. 1, 7, 29. *Lentulum nostrum* — *quum ceteris artibus, quibus studuisti semper ipse, tum imprimis imitatione tui fac erudias.* 12, 22, 6. Brut. 87, 298. *volvendi enim sunt libri quum aliorum, tum imprimis Catonis.*

10. *Imprimisque* quomodo in coniungendis sententiis pro *et praesertim*, *maximeque* usurpetur, vidimus

in n. 7. At pro *imprimis* legitur apud Cic. de Nat. d. 1, 1, 2. *quod vero maxime rem caussamque continet, utrum nihil agant — an contra ab his et a principio omnia facta et constituta sint —, imprimisque magna dissensio est.* Dictum putant grammatici, ut *hodieque* pro *hodie*, de quo suo loco satis expositum. Wyttenbachius, Wolfius aliique exstirpant illud *que*, quod etsi alienum ab usu Ciceronis, tamen unde venerit, nemo demonstravit. Reliquae emendationes omnes nullius frugi esse videntur, praeter eam, quam Ernestius invenit, nunc etiam Creuzeri codice firmatam. Praemissis enim verbis *deque his summa philosophorum dissensione certatur* non satis apte adduntur verba *imprimis magna dissensio est.* Sed Cicero mutavit orationem in hanc sententiam: quod vero maxime rem caussamque continet, (hoc est,) utrum nihil agant dii, an ab his omnia regantur atque moveantur: *imprimisque magna dissensio est ea, quae nisi diiudicetur in summo errore necesse est homines atque in maximarum rerum ignoratione versari.*

IN.

Plurimae linguae congruunt in praepositione IN eiusque forma ac constructione. Vna enim voce et statum in aliquo loco et motum in aliquem locum significant, siquidem Graecorum εἰς eamdem originem duxit ex ἑνς, unde facta sunt ἐν et εἰν. Vid. Matthiae Gramm. gr. 578, 1. et Carol. Gottl. Schmidtii Quaest. de Praeposit. graecis p. 8. Latini *in* pro ἐν, *endo* pro ἔνδον dixerunt, de quo vid. Tom. 2. p. 373. Haec vero etymologiae fundamenta non satisfacient iis viris doctis, qui omnium vocabulorum semina ex Indorum regionibus apportare solent: quamquam ipsi magna desperatione afficiuntur, quum vident, *in* et ἐν non facile posse ex indico fonte derivari. Nam quod Lischius in libello de Praepositionibus invenisse sibi visus erat, *in* esse inversum *ni* indicum, Boppius qualis sit huius eruditionis veritas declarat in Gramm. sanscrit. n. 111. demonstrans, illud *ni* significare *deorsum*, *sub*. Schmidtius autem, indicum *antar* comparans, habet, quo cognationem demonstret verborum diversissimae significationis ἐν, *in*, ἀντί, *ante*. Sed Boppius in Comment. Soc. Berolin. anni 1826. p. 86 et 92. docet *in* et *i* pronominale unius

videri stirpis et primitivam praepositionis vim esse demonstrativam, quemadmodum ἐν ex ἕ factum sit. Quam doctrinam admodum mirabilem hic omnino missam faciamus, quia ne minimum quidem momentum ex ea emergere videmus, quod in explicandum usum praepositionis adhiberi possit. Nos igitur incertis opinionibus non adducti ab hoc initio incipiamus, ut statuamus, *in* esse ἐν, quod Cretes etiam ἰν pronuntiabant. vid. Valkenar. ad Theocrit. Adoniaz. p. 364. B. Haec praepositio, quae nusquam, sicuti fit in aliis, adverbialiter usurpatur, cum ablativo composita locum significat, ubi quid sit, cum accusativo iuncta locum, quem quid intret. Sed usus voculae tam multiplex atque frequens est, ut, qui singulas rationes explicaturus discrimina etiam minutissima velit observare, vix evitarit nimiae subtilitatis reprehensionem.

I. Primum de ablativo: in cuius usu praepositionem *in* ita percenseamus, ut primum ea, quae ad locum vel rem pertinent, deinde ea, quae tempus significant, explicemus, et tertio loco ea comprehendamus, quae ambiguae videntur esse rationis in accommodando casu. In illis vero, quae statum in aliquo loco vel in aliqua re designant, omnia exempla ad duos redigenda sunt ordines. Nam aut cogitamus statum et conditionem hominis vel rei agentis, aut conditionem rerum, in quibus homines vel res agendo versantur. Hoc alterum genus philosophorum more obiectivum, illud alterum subiectivum appellare placet.

1. Primitiva significatio huius praepositionis locum designat, qui rem aliquam includit et intra se habet. Opponitur *extra*. Id vero ampliore notione refertur ad locum, ubi quid sit, denotandum. Ita fit, ut et graecum ἐν et latinum *in* locum significent generaliter. Illud *ubi* quum dativo casu, qui ob hanc caussam locativus vocari et singulari forma designari potest, proprie exprimatur, in latina lingua, quando accedit praepositio, fit ablativus, quem notum est antiquissimo tempore eiusdem fuisse formae. Duae igitur dictiones in usum venerunt, etiam cum quodam significationis discrimine: nam altera locativi in nominibus urbium indicat, ibi esse aliquem, altera in ipsa urbe aliquem esse,: veluti *Romae* est *zu Rom*, *in Roma* est *in Rom*. Locativus in nominibus urbium, praepositio in nominibus terrarum regna-

bat. Tertia autem dicendi forma facta est omissa praepositione: quod ut fieret, consuetudo concedebat in omnibus urbium, interdum etiam in terrarum nominibus et in quibusdam formulis. Poetae nullam regulam adhibebant. Atque fuere nomina quaedam, in quibus non ratio, sed usus valuit. Ceterum ubi terra nomine populi appellabatur, ibi necessariam fuisse praepositionem, per se patet.

Plin. Hist. n. 19, 4, 22. *aliorum fructus in terra est, aliorum et extra.*

Notanda sunt urbium nomina cum praepositione coniuncta. Ea aut regionem urbis indicant, veluti portum, suburbanum, Cic. ad Att. 8, 3. *navis et in Caieta est parata nobis et Brundisii.* Aut sunt adiectiva. Terent. Eun. 3, 4, 1. *heri aliquot adolescentuli coiimus in Piraeo.* Caes. B. civ. 2, 18. *complures* (naves) *praeterea in Hispali faciendas curavit.* Aut inveniuntur apud antiquos scriptores. Plaut. Mil. 3, 1, 182. *omnis se ultro sectari in Epheso memorat mulieres.* Aut exstant apud quosdam recentiores. Porcius in Vita Terentii 1. *mortuus est in Stymphalo, Arcadiae oppido.* Plin. Hist. n. 2, 73, 75. *constat in Berenice, urbe Troglodytarum, — hoc idem ante solstitium quadragenis quinis diebus — fieri.* 13, 1, 2. *crocinum in Solis Ciliciae diu maxime laudatum, mox Rhodi.* 34, 3, 8. *qualis est in templo Apollinis Palatini, quod Alexander Magnus Thebarum expugnatione captum in Cyme dicaverat eidem deo.* In Sueton. Aug. 96. dubia est scriptura: codices *Philippo* praebent. Val. Max. 1, 8. Ext. 7. *coenanti enim apud Scopam in Cranone (quod est in Thessalia oppidum) nuntiatum est.* Quintil. 12, 10, 24. *caesos in Marathone ac Salamine.* 9, 2, 62. Quae ex Livii libris afferuntur exempla non excedunt regulam. Nam 5, 52, 8. *in monte Albano Lavinioque* vix poterit accipi pro *in Lavinio.* Livius assimilavit nomina, ut fecit Sallust. Iug. 33. *aut scripsit Lavinii.* Epit. 102. *fanum eorum in Hierosolyma — cepit.* Incertus est epitomarum auctor, et omittunt praepositionem codices multi. 42, 27, 7. *renuntiarunt Eumenem in ea* (Asia), *Antiochum in Syria, Ptolomaeum in Alexandria sese convenisse.* Eadem est ratio atque apud Ciceronem ad Att. 11, 16. *quum ea plaga in Asia sit accepta, in illyrico, in cassiano negotio, in ipsa Alexandrea, in urbe, in Italia.* Adiectivum est nomen urbis et terrae.

Terrarum nomina a poetis et a quibusdam auctoribus prosae orationis ponuntur non adiecta praepositione. Hi vero scriptores sunt recentioris aevi: illos poetas Heynius putabat

Virgilium esse imitatos hancque suum morem ex imitatione Graecorum conformasse. At omnes hauserunt ex communi fonte. Virgil. Aen. 1, 263. *bellum ingens geret Italia.* 12, 343. *quos Imbrasus ipse nutrierat Lycia.* Multa exempla ex libris Flori, Hygini aliisque huius aetatis collegerunt Arntzen. ad Aurel. Vict. Epit. 37. et Wopkensius in Miscell. Observ. Tom. 8. p. 275. Tacit. Ann. 4, 5. *novem praetoriae cohortes Etruria ferme Vmbriaque delectae.* Hist. 2, 5. *septem legiones statim et cum ingentibus auxiliis Syria Iudaeaque.* In Ann. 13, 8. incerta est lectio: *Cappadocia* vel *apud Cappadociam.*

Populorum nominibus terrae designantur per metonymiam. Cic. de Sen. 14, 46. *quae quidem etiam in Sabinis persequi soleo.* de Div. 1, 41, 90. *et in Persis augurantur et divinant magi.* Liv. 2, 31, 1. *dum haec in Volscis geruntur.* Alia exempla verborum *in Sabinis*, *in Aequis*, *in Volscis* vide apud Drakenb. ad Liv. 5, 28, 5. et ad 4, 41, 11. Nam non in omnibus nominibus usum hunc videmus admissum. Liv. 21, 38, 5. *in Taurinis.* Cf. Iacob. ad Lucian. Toxar. p. 63. Ita *in patribus* pro *in senatu* Cic. de Leg. 3, 18, 40.

2. Nomina appellativa assumunt praepositionem. Quem usum notissimum non est quod exemplis demonstremus. Sed quadruplex in iis suppetit observatio. Quaedam nomina in formulam composita simplici ablativo ponuntur, quae extra formulam requirunt praepositionem, veluti dicitur *terra marique*, sed *in terra.* Tum alia erant quaedam, in quibus utraque forma ab usu per Livium, ut videtur, imprimis confirmato admittebatur: quemadmodum dicebant *loco* et *in loco*, *in via* et *via.* Est vero opinio pervagata, qua critici contendunt ablativo nudo maiorem ambitum, non certis terminis definitum, significari aeque ac praepositione *per.* Vid. Herzog. ad Caes. B. civ. 1, 21. qui quum docet *disponere* ob hanc ipsam caussam componi cum ablativo, ut Caes. B. gall. 8, 43. *murisque disponunt:* non meminit Caesarem B. civ. 1, 17. scripsisse *tormenta in muris disponit*, et ipsum se defendisse scripturam B. civ. 1, 72. *praesidiis in montibus dispositis.* Deinde ubi accedit adiectivum, omitti potest praepositio, quasi auxilium, quod praepositio affert notioni exprimendae, adiectivi forma satis declaretur. Id in prosaica oratione maxime praestat nomen *totus:* cuius caussam Beneckius (ad Iustin. 25, 5, 6.) invenisse sibi visus est in notione totius sive universae rei, a qua abhorreret prae-

positio *in*, non externas fines, sed internum significans: quam subtilitatem et usus et ratio refutat: nam etiam in tota ac universa re potest aliquid inesse. Denique si nomini proprio praemittitur nomen appellativum, ei additur praepositio, quam tamen interdum omittunt poetae, qui in omni hoc usu nullis legibus obtemperant.

Vatin. ad Cic. 5, 9, 6. *ego tamen terra marique ut conquireretur praemandavi.* Sed Cornel. Them. 3, 1. *huius consilium plerisque civitatibus displicebat et in terra dimicari magis placebat.* Liv. 31, 23, 12. *nam ut terra Thermopylarum angustiae Graeciam, ita mari fretum Euripi claudit.* Sueton. Caes. 39. *regione Martii Campi certaverunt.* Aug. 7. *regione thurina.* Alia vide apud Oudend. ad Sueton. Caes. 39. et Gronov. ad Liv. 25, 25, 8.

De usu poetarum in omittenda praepositione vid. Cortius ad Lucan. 2, 79. Aliorum scriptorum exempla collegit Wopkens. ad Tacit. Dialog. 32. in Misc. Observ. T. 7. p. 402. quorum plurima nunc correcta esse notavit Orellius. Vide infra de ellipsi.

Cic. p. Mil. 6, 15. *tulit enim de caede, quae in appia via facta esset.* Liv. 22, 36, 8. *in via fornicata, quae ad Campum erat, aliquot homines de coelo tacti exanimatique fuerant.* Sed 4, 41, 8. *iam consul via lavicana ad fanum Quietis erat.* 2, 11, 7. *P. Valerius inde T. Herminium cum modicis copiis ad secundum lapidem gabina via occultum considere iubet.* Alia exempla vide apud Iac. Gronov. ad 7, 39, 16. et apud Drakenb. ad Epit. 107. Varro de L. L. 5, 7. (6, 53.) *hinc effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum coelestum extra urbem agris sunt effati, ubi esset.* i. e. *auf den Feldern.* Ovid. Met. 7, 547. *silvisque agrisque viisque corpora foeda iacent.* Herzogius ad Caes. B. civ. 1, 43. docet praepositionem omitti non posse in verbis *in locis*, ubi dicatur locum ante esse occupatum. Vnde vero haec doctrina? Nescio: id tamen scio eam falsam esse. Caesar scripsit *acieque in locis idoneis instructa.* Livius autem 9, 11, 5. *iis locis, quae ante pacis mentionem habuimus, geramus bellum.* Caes. B. gall. 7, 69. *castra opportunis locis erant posita.* B. civ. 3, 36. *nullo in loco Macedoniae moratus.* ubi quidam codd. omittunt *in* praepositionem non potestate verbi *morari* defensam. Cic. Philipp. 2, 38, 98. *cur eos habes in loco patrui.* et paullo post: *quem patris loco colere debebas.* Liv. 37, 14, 5. *quod ipse, si in eodem loco esset, facturus fuerit.* 2, 47, 5. *missis ad consules nuntiis, quo loco res esset.* Ablativus quum verbo *recipere* coniungitur, aliam habet rationem: nam instrumentum

quasi intelligitur. Cic. p. Flacc. 25, 61. Caes. B. civ. 1, 35. Duker ad Flor. 1, 7, 7. Dicunt Latini *in domo* et *domo* et *domi*. Hoc enim instar est adverbii *zu Hause, chez moi*. *In domo* dicitur, quum domum opponimus rebus extra gestis, nec significamus, cuius illa sit. vid. Madvigii Epistola ad Orell. p. 137. Quintil. 5, 10, 16. *in domo furtum factum ab eo, qui domi fuit*. Liv. 6, 34, 9. *nupta in domo*. Paullo aliter Cic. de Sen. 11, 37. *vigebat in illa domo mos patrius et disciplina*. Sed Varro de Re r. 1, 8, 2. *haec ubi domo nascuntur*. In aliis locis verba ablativum moderantur: ut apud Sueton. Caes. 20. *domo abditus*. apud Cornel. Epam. 10, 3. *domo se tenuit*. Cf. Scheffer. Advers. 14. in Misc. Observ. T. 8. p. 433. Dicunt *in eo proelio* et *eo proelio*. Caes. B. civ. 3, 99. *in eo proelio non amplius ducentos milites desideravit*. 3, 53. *nostri non amplius viginti omnibus sunt proeliis desiderati*. cf. Drakenb. ad Liv. 22, 49, 18.

Liv. 24, 14, 6. *postero die signis collatis dimicaturum puro et patenti campo*. 1, 33, 8. *carcer ad terrorem increscentis audaciae media urbe imminens foro aedificatur*. Sed Virgil. Aen. 1, 441. *lucus in urbe fuit media*. Cic. Phil. 4, 2, 6. *Albae constiterunt, in urbe opportuna, munita*. Sueton. Aug. 1. *celeberrima parte oppidi*. Plaut. Most. 5, 1, 15. *proxuma vicinia*.

Cic. p. Leg. Man. 3, 7. *qui uno die, tota Asia tot in civitatibus — cives romanos necandos — denotavit*. Phil. 11, 2, 6. *nunc tota Asia vagatur*. Verr. 2, 49, 120. *tota Sicilia per triennium neminem ulla in civitate senatorem factum esse gratis*. Phil. 13, 10, 23. p. Rosc. Am. 9, 23. *ut urbe tota fletus gemitusque fieret*. in Verr. 5, 35, 93. *concursabat urbe tota maxima multitudo*. de Nat. d. 2, 37, 95. *toto coelo*. Terent. Andr. 2, 2, 5. *toto me oppido exanimatum quaerere*. Caes. B. gall. 7, 66. Cornel. Iph. 2, 3. Chabr. 1, 3. Sueton. Caes. 39. De verbis *toto campo* vid. Gronov. ad Liv. 29, 32, 7. Bremius ad Cornel. Praef. 5. demonstrat ablativo simplici exprimi vim praepositionis *per*, sive rem extensam et propagatam. At hoc non casu significatur. Reliqua quae addit Bremius, bene se habent. Kühnerus ad Cic. Tusc. 4, 13, 29. monet, non dici umquam *in tota terra*. Tamen Cic. in Verr. 4, 1, 1. *in Sicilia tota*. 4, 32, 72. *tota in Sicilia*. in Verr. 2, 36, 87. tantum non omnes codices *tota in Graecia*. Ovid. Met. 1, 6. *unus erat toto naturae vultus in orbe*. ubi auctoritas scholiastae, qui ad Senec. Thyest. 832. scripsit *erat primo*, nulla est. Quare cavendum erat Kritzio, ne in falsam argumentationem aberraret, ad Sallust. Iug. 79, 2. nam nec legitima est illa praepositionis omissio, nec pertinet ea ad nomina *cunctus* et *plerusque*, neque

apud Ciceronem p. Leg. Man. 5, 12. *cuncta Asia* pro *in cuncta Asia* dicitur, ut Matthiae demonstravit, et Sallustius si scripsit *pleraque Asia imperitabant*, ut videtur scripsisse, eo modo fecit, quem Arusianus Messus comparat verborum *hac regione.*

Tacit. Ann. 2, 31. *appositum mensa lumen.* ubi coniecerunt *in mensa.* Varro de L. L. 5, 7. (6, 60.) *ab eo nuncupare, quod tunc civitate vota nova suscipiuntur.* Defendit Müllerus, sed non apto exemplo. Eleganter Spengelius *civitati.*

3. Multiplex est usus huius praepositionis in dictionibus, quae notionem localem ad res non sensibus percipiendas transferunt, aut per metaphoram componuntur. Quarum plurimae formantur verbis *esse*, *versari*, *habere*, *tenere.* Aliae linguae aliis utuntur praepositionibus: quo tamen non efficitur, ut *in* eamdem significationem ex aliis recipiat. Nam etiamsi verba *in manibus esse* reddamus *unter Händen seyn*, aut *in oculis situm esse*, *vor Augen liegen*, nemo inde colliget, *in* etiam significare *unter* aut *vor:* cuius rei non fecissem mentionem, nisi iudicia huius generis apud grammaticos veteres exstarent. Tamen comparare licet diversam linguarum rationem.

Lexica suppeditant exempla. Equidem eas tantum dictiones commemorabo, quas a criticis accuratius declaratas video. De verbis *in manu habere*, *esse* vide Cortium ad Lucan. 7, 253. Varia significatio etiam in Lexicis est exposita. Vide Cic. in Verr. Act. 1, 6, 16. ad Att. 4, 13. 13, 45. Tusc. 5, 7, 18. ad Att. 6, 3. 4, 12. de Amic. 25, 96. Liv. 4, 57, 1. 32, 24, 2. Sallust. Iug. 14, 4. Tacit. Ann. 2, 46. *In manu tenere* non modo Suetonius Claud. 15. ubi vid. Burmann. et Oudend. sed *in manibus tenere* Cicero ad Att. 2, 2. et *in manu teneo* Phil. 12, 4, 9. p. Coel. 26, 63. Tusc. 1, 29, 71. dixit, itemque Livius 40, 37, 3. *In animo cogitare* illustrant int. ad Vellei. 2, 46. Cortius ad Lucan. 1, 247. *In animo esse* de iis, quorum meminerimus, Drakenb. ad Liv. 29, 36, 7. Plin. Hist. n. 18, 6, 7, 4. *peritia villicorum in cura habenda est.* Caes. 23. *in magno negotio habuit*, *obligare semper annuos magistratus.* cf. Gronovii Observ. 2, 14. *In foedere teneri.* vid. Drakenb. ad Liv. 1, 52, 2.

4. Sunt igitur quaedam dictiones, in quibus *in* vicem praepositionis *ante* praestare videtur: veluti *in oculis esse*, *in ore.* In aliis id intelligitur, quod sub aliqua forma aut imagine reconditur, vel quod imaginem induit.

Cic. ad Fratr. 1, 1, 2. *istam virtutem — non latere in tenebris, neque esse abditam, sed in luce Asiae in oculis clarissimae provinciae — esse positam.* in Verr. 2, 33, 81. *quae in foro palam Syracusis, in ore atque in oculis provinciae gesta sunt.* Sallust. Cat. 20, 14. *divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt.* ubi Cortius. Liv. 22, 12, 6. Curt. 4, 13, 1. *tum vero universa futuri discriminis facies in oculis erat.* 3, 6, 3. 9, 4, 11. Tacit. Hist. 3, 77. *Iulianus ad Lucium Vitellium perductus — in ore eius iugulatur.* ubi Pichena. Senec. de Benef. 7, 19, 7.

Valer. Flacc. 2, 174. *has inter medias Dryopes in imagine moestae flet Venus.* ubi Burmann. Ovid. Am. 1, 10, 4. *callidus in falsa lusit adulter ave.* Rem. am. 384. *peccat in Andromache Thaida si quis agat.* Cf. Lachmann. ad Propert. 1, 14, 21.

5. Sunt verba quaedam, quae in eadem sententia et ablativum instrumentalem vel caussalem et praepositionem, quae locum significat, admittunt, nec potest, utrum necessario ponendum sit, ubique definiri. Praestat praepositio, quando intelligitur, intra aliquem locum aliquid factum esse.

Caes. B. civ. 1, 66. *iter supprimunt copiasque in castris continent.* ubi Herzogius bene monet, recte poni *in*, quod sit *intra*.

Liv. 37, 53, 7. *in certamine autem amicitiae vestrae minime aequo animo vinci possum.* 25, 5, 4. 10, 6, 11. *adsueti iam tali genere certaminum vinci.* Vide Drakenborch. Caes. B. civ. 2, 35. *plures in eo loco sine vulnere quam in proelio aut fuga intercunt.* alii libri praebent *in fuga.* Herzogius illud praestare dicit: nam *in proelio* indicare campum angustioris spatii et *fuga* ablativo exprimi caussam. Sed ipsum *fuga* potest pro *in fuga* accipi, praepositione alteri nomini adiecta: de qua forma infra.

6. Pro *intra* ponitur *in*, ubi locus designatur iis rebus, quae in eo sitae sunt. Germani dicunt *innerhalb*.

Virgil. Ge. 4, 130. *hic rarum tamen in dumis olus — regum acquabat opes animo.* Vossius bene interpretatur verbo *innerhalb*, sed male intelligit hortum dumis septum. Est in dumeto. Eclog. 8, 37. *saepibus in nostris parvam te roscida mala vidi cum matre legentem.*

7. Sed potest etiam regio significari ita, ut intelligamus locum, in quo quid situm sit. Quare ponitur *in*, ubi *ad* vel *apud* vel *circa* dici potest: quemadmo-

dum ἐν pro ἐπὶ, παρὰ Graeci usurpant. vid. Dorvill. ad Chariton. p. 207. et p. 418. Matthiae Gramm. p. 1139. Boeckh. ad Ol. 1, 24. Wopkensius in Lect. Tull. p. 277. (371.) bene observavit usum, quo probatissimi auctores aliquid in loco factum dicunt, quod prope eum locum accidit.

Tacit. Ann. 1, 50. *castra in limite locat.* quod non recte cepit Gronovius, quasi esset, ita ut limitem castra continerent. Est in ea regione, in qua limes erat: *an dem Gränzwall.* Propert. 1, 1, 11. *nam modo partheniis amens errabat in antris.* i. e. *in der Felsengegend, an den Felsenhöhlen.* ubi conf. Broukhus. et Burmann. 1, 2, 11. *surgat et in solis formosior arbutus antris.* 1, 3, 6. *qualis in herboso concidit Apidano.* i e. in ripa Apidani. Phaedr. 1, 25, 3. *canes currentes bibere in Nilo flumine.* ubi Bentleius *e Nilo* scripsit. Quae Oudendorpius ad Lucan. 8, 862. affert, omnia sunt male accepta: nam quod apud poetam legitur: *augustius aris victoris Libyco pulsatur in aequore saxum.* dicitur de saxo, quod quum pulsatur aequore, etiam in aequore stat. 5, 289. et 4, 634. *in undis* vulgari significatione est dictum. Apud Cornel. Cim. 3, 4. ubi Cimon dicitur *in oppido Citio esse mortuum*, interpretes intelligunt regionem circa Citium, ne discrepet testimonium Thucydidis: quo subsidio non opus est.

8. Quo modo nomina populorum usurpantur ad designandas terras, supra p. 246. diximus. Sed his nominibus *in* praefigitur, ubi *apud* intelligendum est. Etiam de hominum generibus ita dicunt: *in adolescentibus, in viris.*

Caes. B. civ. 1, 61. *Caesaris autem in barbaris erat nomen obscurius.* Liv. 25, 16, 7. *ad Magonem, qui in Brutiis praeerat, — venit.* Celsus Praef. 1. *verumtamen apud Graecos aliquanto magis quam in ceteris nationibus exculta est.*

Quintil. 11, 1, 32. *in iuvenibus etiam uberiora paullo et pene periclitantia feruntur.* 11, 3, 66. *nutus — in mutis pro sermone sunt.*

Cic. de Leg. 2, 8, 19. *easque* (ferias) *in famulis, operibus patratis, habento.*

9. Quae in superficie alicuius rei apparent, aut quae super aliquam rem et in alto posita sunt, aliae linguae aliis praepositionibus designant. Germani dicunt *auf* et *an*, sed Latini *in*. Sunt qui harum dictionum quasdam

ad ellipticam rationem referant et in verbis *in equo* substituant *sedentem:* quo auxilio in brevitate dicendi non opus habemus. vid. Madvigii Epist. ad Orell. p. 34.

Cic. Verr. 5, 11, 27. *ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo.* Celsus 2, 6. *in veste floccos legit.* Quintil. 11, 3, 130. *quum in angusto quodam pulpito stans diceret.*

Celsus 2, 24. *oleae — quae in arbore bene permaturuerunt.*

Ovid. Trist. 4, 2, 34. *hos super in curru, Caesar, victore veheris.* Liv. 5, 40, 10. *se ac suos in vehiculo conspici.* Cic. in Pis. 25, 60. *quid legati in equis et tribuni?*

Valer. Flacc. 4, 267. *semper et in digitis et summi pulvere campi proiectusque redit.* i. e. digitis primoribus insistens: *auf den Zehen.* vid. Gronov. Diatr. in Stat. p. 248. (390.).

Cornel. Milt. 3, 1. *pontem fecit in Histro flumine.* Caes. Bell. gall. 2, 5. *in eo flumine pons erat.* vid. Herzog. ad 1, 13. Liv. 1, 33, 6.

10. Vsurpatur *in* de multitudine et de copia et de numero eiusque aliqua parte: quod alias significat *inter.* Quemadmodum Graeci dicunt *ἐν ἀνθρώποις, ἐν ἡμῖν.* vid. Matthiae Gramm. gr. p. 1139. Vechneri Hellenolex. p. 439. Qui enim ex aliquo numero est, in eo contineri videtur.

Cic. de Leg. 2, 11, 26. *Thales qui sapientissimus in septem fuit.* Virgil. Aen. 2, 426. *iustissimus unus qui fuit in Teucris.* Cic. ad Fam. 13, 78, 5. *peto, ut eum complectare, diligas, in tuis habeas.* 11, 27, 6. 13, 56, 1. *is ita sibi persuadet — id se in perditis et desperatis habiturum.* Terent. Eun. Prol. 3. *in his poeta hic nomen profitetur suum.* ubi vid. Ruhnken. Lactant. 1, 16, 17. *quoniam in diis et feminae sunt.* Sallust. Iug. 25, 4. *legantur tamen in Africam maiores natu —, in quis fuit M. Scaurus.* cf. Duker. ad Liv. 37, 28, 5.

Cic. de Sen. 19, 71. *omnia vero, quae secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis.* de Leg. 1, 11, 31. *dolor in maximis malis ducitur.* Quintil. 9, 1, 3. *quo modo quaedam in his species plane distant.*

Praepositio *ex* eadem ratione usurpatur tum, quum aliquid ex numero sive e multitudine procedit, vel desumptum esse vel ad quoddam genus pertinere dicitur. vid. Tom. 2. p. 624. Caes. B. civ. 1, 46. *nostri in primo congressu circiter LXX ceciderunt: in his Q. Fulginius* etc. Alii codd. *ex quibus*, quod

ferri posset, si aliud verbum sequeretur aptum. Liv. 27, 12, 16. *cecidere in pugna fugaque ad duo millia et septingenti civium sociorumque: in his quatuor romani centuriones.* ubi Gronov. et ad 6, 14, 11.

Sueton. Claud. 25. *quum animadvertissent Parthos et Armenios sedentes in senatu.* i. e. inter senatores, sive in loco, quo senatores sedebant. Conf. Casaubon. Domit. 8. *licentiam theatralem promiscue in equite spectandi inhibuit.* Iustin. 43, 5, 10. *locus spectaculorum in senatu datus.* Ita etiam *senatus* de loco apud Sueton. Ner. 12. *deinde in orchestram senatumque descendit.*

Plaut. Truc. 1, 1, 55. *postremo in magno populo, in multis hominibus, re placida atque otiosa, victis hostibus, amare oportet omnes, qui quod dent, habent.*

11. In his, quae iam exposita sunt, locus est, quem significamus, sive rei naturalis sive notionis translatae. Sed aliae permultae dictiones sunt, in quibus una cum notione loci simul complectimur vel conditionem, vel id quod in loco agitur, sicuti *convivium* non tam locum, quam praesentiam convivarum et negotium convivandi, *consilium* vel *concilium* conventum consiliantium indicat. Tum vero ipsum negotium, in quo versamur, pro loco accipitur, in quo agamus. Denique fieri dicimus in aliqua re id, quod in aliqua re apparet, vel locum habet.

Curt. 4, 14, 22. *coniugem in illo carcere amisi.* i. e. dum ego in carcere inclusus eram.

Quintil. 11, 2, 15. *Scopam nobilem Thessalum periisse in eo convivio constat.* 11, 1, 78. *si apud alios iudices agetur, ut — in centumviralibus iudiciis duplicibus.* Curt. 5, 5, 23. *similia iis, quae in consilio dixerat, respondit.* Quintil. 9, 4, 8. *in certamine armorum atque in omni palaestra quid satis recte cavetur?* De verbis *in praesidio* vid. Oudendorp. ad Caes. B. gall. 6, 33. et 38.

In aliqua re versari. Cic. Verr. 4, 47, 105. et quae sunt huius generis admodum multa. *In consilio esse alicui.* Cic. de Re p. 3, 18.

Quintil. 6, 3, 44. *quum Brutus in accusatione Cn. Planci — ostendisset.* 8, 2, 2. *in actione — dicebat.* 7, 10, 11. *velut in re praesente.*

Quintil. 1, 5, 27. *quod idem accidit in illo.*

12. Verbum *esse* permultis dictionibus formandis adhibetur, quae personam indicant vel rem, in qua aliquid insit. Intelligimus enim vel eius qualitatem vel proprietatem vel qualemcumque rerum conditionem. Neque aliter de vitae modo ac ratione et de negotio, in quo quis versatur.

Esse in aliquo non tantum de interna qualitate dicitur, sed de qualicumque alia etiam. Ita fit, ut ponatur pro *alicuius* sive *alicui esse*. Cic. p. Mur. 28, 58. *erat in eo summa eloquentia, summa fides.* de Fin. 4, 41, 37. *in omni enim animante est summum aliquid atque optimum, ut in equis.* Curt. 3, 5, 13. *si quid artis in medicis est.* In verbis Cic. de Off. 2, 6, 19. *magnam vim esse in fortuna — vel secundas ad res vel adversas quis ignorat?* Lactantius 3, 29, 4. scripsit *fortunae.*

Goerenzius ad Cic. Acad. 1, 9, 33. monet, *esse in aliqua re* dici non posse nisi *esse* pro *locum habere* accipiatur: quod secus sit in verbis *inesse in aliquo.* Haec aut non satis intelligo, aut a viro doctissimo scripta esse miror. Quidni enim recte dicamus *in urbe esse* et *in aere alieno esse?* Nec video, cur Cicero non posset dicere Acad. 1, 9, 33. *quas* (species) *Plato erat amplexatus, ut in his quiddam divinum inesse diceret.* quum dixisset de Orat. 3, 35, 143. *quod in oratore perfecto inest illorum omnis scientia.* et multa alia huius generis. Vbi vero intelligis aliquid in aliqua re contentum, inclusum, receptum, innatum, duplicare debes praepositionem.

Cicero, Caesar, aliique huius aetatis dicere solebant *inesse in aliqua re:* posteriores *inesse alicui rei.* vd. Heindorf. et Moserus ad Cic. de Nat. d. 1, 43, 120. Gernhard. ad Cic. de Sen. 2, 4. Quare recte restituerunt antiquam scripturam in Cic. de Inv. 1, 2, 2. et de Senect. 2, 4. *tanta est stultitiae inconstantia.* Eiusdem generis esse verbum *innatum* critici contendunt. Sed Cicero etiam de Fin. 2, 31, 99. *innatam esse homini probitatem gratuitam.*

Esse in auspiciis pro *adesse* offendit Maium in Cic. de Re p. 2, 9. *qui sibi essent in auspiciis.* Sed Moserus comparavit de Div. 2, 34, 71. *te mihi in auspicio esse volo. Interesse*, quod cum dativo componitur, etiam *in* sequitur. Cic. p. Rosc. Am. 38, 111. *quibus in rebus ipsi interesse non possumus.* de Inv. 1, 36, 63. *interesse in caede non potui.* Sed quod *praeesse* ad eamdem rationem referunt, male se habet. cf. Drakenb. ad Liv. 27, 15, 15. Nam in Sallust. Cat. 42, 3. legitur *ei provinciae*, et apud Liv. 48, 18, 7. *ut iis praeessent*, non *in iis*, et 37, 41, 1. *qui in Brutiis praeerat*, memorandum erat in n. 8.

Errant etiam, qui docent *esse aliqua re* dici pro *esse in aliqua re*. Nam ablativus simplex exprimit qualitatem rei: quod quomodo differat a genitivi usu, exposui in libro de Arte latine scribendi p. 245. Nec poterat Moserus adhibitis verbis Cic. ad Fam. 6, 4. *quanto fuerim dolore, meministi.* defendere verba de Re p. 1. 23. *quibus autem studiis semper fueris, tenemus.* Nam hoc de animo dicitur eiusque assidua intentione. Si scripsisset Cicero *in studiis*, sensus esset: quibus rebus studeas. Omnia ea, quae Cortius ad Cic. Epist. 4, 15, 3 et 6, 4, 11. contulit exempla, non monstrant Ciceronem ad Fam. 4, 15, 3. scripsisse: *tamen hoc tempore breviter commonendum putavi, ne quo periculo te proprio existimares esse.* Vidit Lambinus scribendum esse: *quo in periculo.*

Totum esse in aliqua re. Declarat sententiam Lachmann. ad Propert. 2, 1, 5. p. 94.

Esse in imperio quomodo differat ab *esse cum imperio* monstrant Burmann. ad Sueton. Caes. 25. Kritzius ad Sallust. Iug. 31, 1. Zumptius ad Cic. Verr. 5, 29, 75.

Tacit. Ann. 15, 20. *qualis quisque habeatur, alibi quam in civium iudicio esse.* i. e. pertinere ad iudicium. Cic. ad Fam. 1, 1, 2. *in caussa haec sunt.*

13. Adiectiva per hanc praepositionem coniunguntur cum verbis *esse* et *habere*, ut rei qualitas ex ipsius conditione demonstretur: sicuti *in facili esse* dicitur pro *facile esse*, *in proximo esse* pro *proximum esse*. Similiter alia quoque verba cum adiectivis componuntur, veluti *in incerto relinquere*.

Liv. 3, 8, 9. *quum exitus haud in facili essent.* 3, 8, 11. *adeo moderatio tuendae libertatis — in difficili est.* Celsus 5, 26, 1. Vid. Drakenb. ad Liv. 3, 8, 9. *In ambiguo esse.* Tacit. Hist. 2, 45. *In obscuro esse.* Liv. Praef. 3. *In dubio esse.* Liv. 2, 3, 1. 3, 19, 8. Ovid. Her. 19, 174. Lucret. 3, 850. Sallust. Cat. 52, 6. Graeci ἐν ἀπόρῳ εἶναι. vid. Drakenb. ad Liv. 3, 8, 9. et ad 8, 2, 5. Ruhnken. ad Terent. Andr. 1, 5, 31. et ad 2, 2, 10. Kritz. ad Sallust. Cat. 41, 1. *In integro esse.* Liv. 3, 10, 13. ubi Drakenb. Cic. ad Fam. 5, 20, 22. 15, 16, 6. ad Att. 11, 15. *In incerto esse.* Liv. 5, 28, 5. ubi vid. not. Drakenb. et ad 4, 23, 3. 8, 6, 2. *in obvio esse.* Liv. 37, 23, 1. *In tuto esse.* Liv. 38, 4. 10. ubi interpret. Cf. Catull. 31, 6. *In aequo esse.* Liv. 39, 37, 14. Tacit. Ann. 2, 44. *In expedito esse.* Curt. 4, 2, 22. Senec. Epist. 94. *In proximo esse.* Quintil. 1, 3, 4. vid. Heusing. Emendat. p. 113. *In aperto esse.* Sallust. Cat. 5, 3. ubi Cortius et Kritzius. *In promiscuo esse.* Drakenborch. ad

Liv. 39, 13, 10. Liv. 7, 17, 7. *In angusto esse.* Celsus 5, 27, 2. *quo oppressis in angusto spes est. In confesso esse.* Plin. Hist. nat. 17, 22, 35, 18.

Vlpian. in Digest. 7, 1, 25, 1. *interdum tamen in pendenti est, cui acquirat iste fructuarius servus.* Gaius in Dig. 41, 1, 43, 2. vide Duker. in Opusc. de Latinit. Ictor. p. 390.

Sallust. Iug. 46, 8. *nam in Iugurtha tantus dolus tantaque peritia locorum et militiae erat, ut absens an praesens, pacem an bellum gerens perniciosior esset, in incerto haberetur.* vid. Kritz. ad Sallust. Cat. 41, 1. Tacit. Hist. 2, 21. *in levi habitum.* Annal. 15, 17. *quando in incerto habeantur Parthorum conatus.* Thucyd. 1, 25. ἐν ἀπόρῳ εἴχοντο θέσθαι τὸ παρόν. Casaubonus ad Sueton. Caes. 23. refert, Latinos graeca ἐν μεγάλῳ τίθεσθαι reddidisse verbis *in magno habere. In promptu habere, in promptu gerere.* Plaut. Pseud. 1, 5, 34.

In incerto relinquere dixerunt Livius 5, 28, 5. Tacitus Hist. 2, 83.

14. Conditio et status, quem res occupat aut tenet, sive internus sive externus, notione loci designatur. Quare *in* ponitur, ubi conditio et praesens rerum status est significandus. Atque ita exprimitur et id, quod alibi participio verborum dicitur, et id, quod etiam coniunctionibus *quum, dum, si* enuntiatur. cf. Heusinger. Emendat. p. 87. qui diversa contulit. Verbum *esse* Latini cum hac praepositione coniungere solent, ut declarent, quomodo res se habeat, velut *esse in timore, in exspectatione,* aut quomodo habeatur res quidve ea patiatur, velut *esse in honore.* In multis utraque et activa et passiva ratio inest, nec sine aliqua sententiae ambiguitate. Scriptores recentiores, ut Plinius, hac compositione formulas fecerunt, quibus inopiam verborum sustinerent. Apud antiquiores conditio vel status ipse cogitatur, quem aliquis subiit, aut qui alicui oblatus est.

Liv. 23, 9, 7. *torpescentne dextrae in amentia illa?* ubi Gronovius praepositionem delendam censebat. Vellei. Pat. 2, 118, 1. *in summa feritate versutissimi.* Cic. ad Fam. 2, 16, 19. *hoc adspersi, ut scires, me tamen in stomacho solere ridere.* Terent. Ad. 4, 1, 5. *nam hunc diem nimis misere cupio, ut coepi, perpetuum in laetitia degere.* vid. Vorst. de Latin. falso susp. p. 213. Cic. ad Fam. 15, 15, 7. *nos tamen in consilio pari casu dissimili usi sumus.* in Catil. 2, 9, 20. *sed tamen hi sunt coloni,*

qui se in insperatis repentinisque pecuniis sumptuosius iactarunt. 2, 8, 18. *qui magno in aere alieno maiores etiam possessiones habent.* 4, 1, 2. *multa meo quidem dolore in vestro timore sanavi.* Vid. Ruhnken. ad Vellei. Pat. 1, 16, 2. Tacit. Ann. 14, 43. *quae ne in metu quidem pericula nostra avertit.* alia vide apud Waltherum. Caes. B. civ. 3, 103. *ad eum Pompeius misit, ut pro hospitio atque amicitia patris Alexandria reciperetur atque illius opibus in calamitate tegeretur.* Novo usu Curtius 6, 3, 8. *qui praesentes metuunt, in absentia hostes erunt.* i. e. absentes.

Cic. ad Fam. 14, 3, 4. *quamdiu vos eritis in spe.* 13, 19, 2. in Catil. 1, 8, 19. *qui magno in periculo essem.* de Fin. 1, 10, 32. *qui in ea voluptate velit esse, quam nihil molestiae consequatur.*

Liv. 1, 59, 7. *in quo tum magistratu forte Brutus erat.* 4, 17, 1.

In re esse de divite dicitur. vd. Parei Analect. p. 752. *In voluptate esse.* vid. Goerenz. ad Cic. de Fin. 1, 19, 62.

Cic. Tusc. 1, 2, 5. *in summo apud illos honore geometria fuit.* Brut. 8, 30. De qua loquutione vid. Schwarz. ad Plin. Pan. p. 337. Sed dicunt etiam *magno honore esse.* Herzogius ad Caes. B. civ. 1, 77. discrimen hoc statui iubet: *esse honore* significare *honorari*, *in honore esse* dici de eo, quem alii certa de caussa magni faciunt. Quae quomodo differant, ego non perspicio. At nemo umquam loquutus est *honore esse*, sed *magno honore esse*, adiectivo addito: ubi ratio ad id redit, de quo p. 246. dictum est. Significatione enim parum illa distant. Plin. Hist. n. 11, 42, 97. *trans maria vero Bithynus fere in gloria est.* Cic. ad Att. 2, 9. *non enim poterimus ulla esse in invidia.* Sallust. Iug. 25, 5. *quod res in invidia erat.* Liv. 29, 37, 17. Plin. Hist. n. 18, 6, 8, 2. Cic. Verr. 4, 1, 3. *ab ea civitate, quae tibi una in amore atque in deliciis fuit.* ad Att. 6, 1. *Dionysius mihi quidem in amoribus est.* ubi Victorium et Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 74. De verbis *in luctu esse* Beierus ad Cic. Off. 3, 25. p. 361. *in gloria esse* Drakenb. ad Liv. 2, 22, 6. Caes. B. gall. 2, 14. *Bellovacos omni tempore in fide atque amicitia civitatis Aeduae fuisse.* De verbis *in amicitia*, *in pace esse* Drakenb. ad Liv. 8, 33, 20.

Planc. ad Cic. 10, 4, 10. *sum in exspectatione omnium rerum.* Sed passive Cic. ad Fam. 2, 3, 5. *summa scito in exspectatione te esse.* ubi vid. Cortius. Cic. ad Fam. 12, 14, 13. *cuius rei tanto in timore fui, ut* etc. Sed 2, 10, 7. *ea aestas, quae sequitur, magno est in timore. In spe esse alicui* etiam pro *sperari* dicitur. Liv. 25, 7, 10. *quum Tarentinorum defectio iam diu et in spe Hannibali et in suspicione Romanis esset.*

Plin. Hist. nat. 17, 21, 35, 5. *quondam in observatione erat, ut destringeretur ex imputata buxo.* **i. e. observabatur. 18, 19, 49, 2.** *in usu est et collicias interponere.* **19, 4, 19, 3.** *gari desideria etiam in exprobratione erant.*

Caes. B. civ. 8, 104. *qui propter aetatem eius in procuratione erant regni.*

15. Haec conditio rerum potest actionem ita moderari, ut quum ipsa sit aut fiat, illa fiat. Hoc Germani *bei*, *unter*, Graeci ἐπί τινι dicunt. Errabant vero ii, qui haec ad caussam referebant, et *in* pro *ob* vel *propter* positum censebant. Vid. Wüllner. de Cas. et Mod. p. 83. Nam conditio et rerum status praesens significatur. Saepe id temporis praesentis notionem complectitur, nec repugnabimus, si quis haec ad temporis rationem referre malit: de qua re infra dicemus: saepe convenientia rerum et occasio definitur. Substantivo enim exprimitur actio, in quam aliud quid incidit, aut res, qua occupatus, aliquis aliquid agit. Graeci fere adiiciunt participium.

Exemplorum, quae modo attulimus, quaedam huc pertinent. Cic. in Catil. 2, 8, 18. *qui magno in aere alieno maiores etiam possessiones habent.* **Caes. B. civ. 3, 31.** *summaque in sollicitudine ac timore parthici belli in provinciam quum venisset* **etc. 1, 7.** *factum in perniciosis legibus, in vi tribunitia, in secessione populi.* **h. e. dum versantur in perniciosis legibus. Sallust. Cat. 2, 9.** *sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.* **ubi alia contulit Cortius, et ad Cic. Epist. 1, 4, 6. Cic. de Fin. 3, 6, 22.** *huic in eiusmodi similitudine omnia sint facienda, ut collineet.* **i. e.** *bei obwaltender Ähnlichkeit.* **p. Cluent. 8, 25.** *Larinum in summo timore omnium cum armatis advolavit.* **Sallust. Ing. 14, 5.** *in suis dubiis rebus societatem vestram appetiverunt.* **Quintil. 12, 2, 15.** *in tanta caussarum varietate.*

Cic. de Sen. 7, 21. *num postea Zenonem, — Diogenem Stoicum coepit in suis studiis obmutescere senectus?* **Criticus quidam in Ephemer. Lips. a. 1832. p. 1468. contendit verba** *in suis studiis*, **quae contraria essent vocabulo** *obmutescere*, **esse delenda. At significant** *dum studiis operam dedit.*

16. Quae quum ita sint, ea, quae caussali vel conditionali enuntiatione exprimuntur, uno nomine conditionis possunt comprehendi. Sic fit, ut *in* vice fungatur sententiae secundariae: quam rem iam Cortius bene perspexit ad Sallust. Cat. 2, 10. eumque sequutus est

Kritzius ad Catil. p. 15. ad Iug. p. 192. uterque tamen exempla diversa confudit. Cf. Heusinger. ad Cic. de Off. 1, 22, 2. Matthiae ad Orat. p. Rosc. Am. 8, 22.

Sallust. Cat. 2, 10. *in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.* i. e. quum copia sit magna. Iug. 31, 24. *potestne in tam diversis mentibus pax aut amicitia esse.*

Cic. ad Fam. 3, 11, 11. *mirificam cepi voluptatem ex tua diligentia: quod in summis tuis occupationibus mihi tamen rei publicae statum per te notum esse voluisti.* i. e. etsi summae sunt tuae occupationes. Liv. 1, 17, 3. *in variis voluntatibus regnari tamen omnes volebant.* i. e. quamvis variae essent voluntates.

17. Huius generis multa ita comparata sunt, ut nomina cum verbo *esse* coniuncta significationem adiectivorum praestent, vel ablativus pro genitivi aut nominativi ratione adhiberi videatur. Quaedam ex his formulis etiam praepositionem *ex* admittunt.

In vitio esse pro *vitiosum esse* Cic. de Off. 1, 7, 23. 1, 19, 62. de Fin. 5, 11, 31. Sed Tusc. 4, 31, 66. *eodem enim vitio est effusio animi in laetitia, quo in dolore contractio.* Ernestius et Beierus necessarium putabant *codem in vitio:* et habet codex duisburg. *in codem vitio:* id tamen reiecit Wolfius, quum *quo* sequeretur, Moserus ob verba, quae paullo post leguntur. Neutra caussa valet. Nam in relativo omittitur praepositio. vid. III. 2. Contrariam opinionem concepit Heinrichius, delendum esse *in*, sicubi legatur in dictionibus, qualis sit *quibus in studiis semper fueris.* Vid. annot. ad Cic. de Re p., p. 182. At nullo pacto dici potest latine *vitio esse* pro *vitium esse*, sed *magno vitio esse* et *esse iis vitiis* de Rep. 1, 28. ubi tamen *in* habet codex. Adiectivo enim opus est. Celsus 1, 3. *quod in consuetudine est.* Cic. de Leg. 2, 10, 23. *erunt fere in more maiorum.*

Cic. de Fin. 4, 12, 29. *non sunt in eo genere tantae commoditates corporis.* i. e. eius generis.

In numero et *e numero* idem significant. vid. Burmann. ad Ovid. Art. 3, 344. ad Trist. 4, 10, 34. ad Phaedr. 4, 24, 16. et ad Lucan. 8, 231. Lucret. 1, 83. Cic. Orat. 61, 205. Sine praepositione Cic. ad Fam. 1, 10, 2. vid. Oudendorp. ad Caes. B. gall. 6, 13.

In re esse. Vid. Gronov. ad Liv. 10, 8, 11. et Drakenb. ad 4, 4, 11. *In hoc statu esse* illustrat Drakenb. ad Liv. 35, 8, 2. *In caussa esse* vide p. 255.

Sueton. Aug. 70. *coena quoque eius secretior in fabulis fuit.*

i. e. fabula fuit. Celsus 2, 14. *diversarum vero rerum in modo caussa est.* Plin. Hist. n. 19, 8, 49. *degustare etiam religio est, ut validis potius in cibo sint.*

18. Sed etiam in componendis nominibus interdum Latini, sicuti alii populi, praepositionem adhibebant, ubi vel nominativus vel genitivus ponendus erat.

Celsus 2, 13. *si acutus morbus est, sicut in cholera.*

Celsus, qui 1, 3. dixerat *gravitas capitis,* scripsit 4, 2. *gravitas in capite.* Quintil. 8, 3, 56. *omnium in eloquentia vitiorum pessimum.*

19. Vt significetur aliquem esse vestimentis vel armis vel persona indutum, Latini, qui antea praepositionem *cum* vel alias ponere solebant, post Ciceronis tempora etiam *in* usurpabant. Vnde factum est, ut *in armis* de armato, *in veste*, *in vittis*, et ab ipso Cicerone *in persona* de personato, pro *sub persona*, diceretur. Etiam Graecis in hoc usu erat ἐν. vid. Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. p. 479. Gronov. ad Stat. Achill. 1, 558. Broukhus. ad Tibull. 1, 9, 70. Drakenborch. ad Sil. 2, 132. Burmann. ad Quintil. Declam. 282. p. 549. Cort. ad Lucan. 5, 345. ad Sallust. Cat. 37, 6. Burmann. ad Lucan. 1, 423. 3, 184. ad Sueton. Caes. 6. et ad Val. Flacc. 5, 349. Broukhus. ad Propert. 4, 2, 28. Oudendorp. ad Lucan. 1, 423. et ad Sueton. Caes. 6. Weichert. ad Val. Flacc. 8, 136. Heusinger. ad Vechner. Hellen. p. 550. cf. Sillig. ad Virgil. Cir. 251. Heinsii Advers. p. 332.

Sueton. Vitel. 8. *ut erat in veste domestica.* Ovid. Art. am. 2, 297. *sive erit in Tyriis — sive erit in Cois.* Sueton. Calig. 52. *aliquando sericatus et cycladatus, ac modo in crepidis vel cothurnis, modo in speculatoria caliga.* Val. Flacc. 1, 840. *seu venit in vittis castaque in veste sacerdos.* 1, 641. *subitus trifida Neptunus in hasta.* 5, 463. *pariterque levi Cytisorus in hasta.* 4, 251. 8, 132. Stat. Theb. 7, 669. 4, 221. Valer. Flacc. 4, 594. *Campesus hic spoliis in tigridis.* 8, 136. *hinc subitis inflexit in armis.* Virg. Aen. 3, 595. *patriis ad Troiam missus in armis.* 5, 37. *horridus in iaculis.* Tibull. 1, 9, 70. *in laxa quid iuvat esse toga.* De verbis *in armis* vide Duker. ad Flor. 1, 1, 15. Drakenb. ad Liv. 9, 37, 5. Apulei. Met. 3. p. 137, 37. *quum me viderent in ferro.* ubi Pricaeus p. 145. De verbis *in vestibus esse* Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 736. Curt. 3, 3, 4. *in persico et vulgari habitu.*

Huius generis exempla frustra quaeres in Ciceronis libris. Ille vero dixit *in persona*, quod aliter *sub persona* dicebatur. p. Rosc. Com. 7, 20. *qui quam ob rem Roscium similem sui in fraude et malitia existimarit, nihil videtur, nisi forte quod praeclare hunc imitari se in persona lenonis animadvertit.* ad Fam. 7, 33, 6. *mihi enim iudicatum est — deponere illam iam personam, in qua me saepe illi ipsi probavi.* Lael. 25, 93. *in Gnathonis persona.* ubi vid. Klotzius. Fortasse etiam restituenda sunt in hunc modum verba p. Coel. 13, 30. *sunt autem duo crimina auri et veneni: in quibus una atque eadem persona urgetur.* Suspicor equidem: *quibus in una atque eadem persona u.*

De omissa praepositione vide interpretes ad Propert. 1, 2, 2. Oudendorp. ad Apuleii Met. p. 85.

20. Grammatici errant, quum docent a poetis veteribus adiici praepositionem abundantiae aut copiae caussa in iis, quae conditionem alicuius hominis indicant. Vid. Markland. apud Burmann. ad Propert. 1, 1, 20. Oudendorp. ad Apuleii Metam. p. 84. p. 754. Silligius ad Virgil. Cir. 109. At poetarum est lex et consuetudo, ut res ante oculos sibi aliisque ponant et notiones animi in imagines conspicuas mutent. Virgilius quum dicit: *ante alios qui tunc florebat in armis*, Minoem ipsum incedere videmus armis ornatum. Neque abundantiae tribuamus verba Sophoclis Aiac. 488. σθένοντος ἐν πλούτῳ. Scriptores recentissimi aevi, poeticam imitationem affectantes, etiam hac dictione delectati sunt. Quare Drakenborchius genera dicendi non satis perspecta habebat, quum Livium contenderet scribere potuisse 5, 34, 8. *in navibus a Phocaea profecti.* Potuit quidem, sed poeticum esset. Ovid. Art. 1, 214. *quatuor in niveis aureus ibis equis.* Martial. 3, 47. *plena Bassus ibat in rheda.* At non mirabimur Apuleium scripsisse Met. 11. p. 264. 12. (p. 783. Oud.) *comitare pompam in ovante gradu.* de Dogm. Plat. p. 7. 7. *in luce siderea ardere.* Cf. Miscell. Observat. T. IV. p. 132.

Propert. 1, 2, 6. *in propriis membra nitere bonis.* 1, 1, 20. *labor in magicis sacra piare focis.*

Apulei. Met. 2. p. 115, 24. *oculi in adspectu micantes.* 11. p. 263, 35. *in humano iam meo adspectu attonitus.* vid. Pricaeus p. 71. et p. 681. Sciopp. Susp. Lect. 2, 12. Met. 9. p. 232. (656. Oud.) *iam his in poculis mutuis altercantibus.* ubi Oudend. et p. 22.

21. Verba *in eo esse ut* vel ad statum referuntur, ut significent aliquem ita comparatum esse, ut agat, quasi scriptum sit *in eo loco*, aut tempus indicatur, ut intelligamus hominem se accingentem et negotium suscepturum. Quando adiungitur *iam*, sententia est, parum abfuisse quin fieret res. Cf. Drakenb. ad Liv. 2, 17, 5. qui varia miscet. Varro dixit *in hoc est*, *ut* de re composita.

Liv. 30, 19, 3. *non in eo esse Carthaginiensium res, ut Galliam atque Italiam armis obtineant.* 33, 41, 9. *collectis reliquiis naufragii quum res non in eo esset, ut Cyprum tentaret.* 8, 27, 3. *iamque in eo rem fore, ut Romani aut hostes aut domini habendi sint.*

Hygin. Fab. 261. *quum ab Ulyxe per nuptiarum simulationem adducta Iphigenia in eo esset ut immolaretur, numinis miseratione sublata est.* Iurisconsultorum usum demonstrat Heineccius in Brisson. De verb. signif. p. 589. a.

Liv. 28, 22, 8. *si rem inclinatam viderent atque in eo iam esse, ut urbs caperetur.* 2, 17, 5. *quum — iam in eo esset, ut in muros evaderet miles.* Cornel. Paus. 5, 1. Milt. 7, 3. Inutilis erat disputatio, qua Drakenborchius ad 7, 35, 7. demonstrabat *res* omitti posse. Vbi enim persona postea nominatur, ad quam ipse status pertinet, non modo potest vocabulum *res* omitti, sed debet adeo.

Varro de Re r. 3, 1, 2. *nam in hoc nunc est, ut dici possit.*

22. *In eo loco* est in ea conditione. Scriptores usu discedunt. Drakenborchius vidit Livium duobus tantum in locis addidisse praepositionem, in reliquis omisisse. Vide eum ad 7, 35, 7. Graeci loquuntur ἐν τούτῳ εἶναι. Aristoph. Plut. 399. οὐκ ἐστί πω τὰ πράγματ' ἐν τούτῳ.

Cato apud Quintil. 9, 2, 21. *cedo, si vos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis?*

Terent. Phorm. 2, 4, 6. *videtis, quo in loco res haec sint.* 3, 1, 9. *loquere, obsecro: quonam in loco sunt res et fortunae meae?* Sallust. Cat. 58, 5. *nunc vero quo in loco res nostrae sint, iuxta mecum omnes intellegitis.* ubi tamen multi codices omittunt *in*. Caes. Bell. gall. 2, 26. *quum ex equitum et calonum fuga, quo in loco res esset — cognovissent.* Senec. Hippol. 58.

Liv. 37, 14, 5. *quod ipse, si in eodem loco esset, facturus fuerit.* 7, 35, 7. *in eo enim loco res sunt nostrae, ut vobis ego magis necessitatis vestrae index quam consilii auctor sim.*

Eo loco, *eodem loco* dixerunt Liv. 8, 35, 6. 2, 47, 5. vid. Drakenb. ad 3, 68, 8. et ad Silii 1, 598.

23. Quaedam sunt dictiones, quibus res coniunctae simul ita designantur, ut una in altera quasi apparere videatur: quod alibi per praepositionem *cum* exprimitur. Germani usurpant *unter*, veluti *in lacrymis* reddunt *unter Thränen*. Neque aliter *in quo* dicitur, ubi Germani *wobei*, et *in his*, quod est *unter diesen Umständen*, et *in hac re*. Potest etiam *in quo* accipi pro *quocirca*.

Propert. 1, 16, 32. *surget et invitis spiritus in lacrimis.* Cic. ad Att. 13, 48. *heri nescio quid in strepitu videor exaudisse.*

Vellei. Pat. 2, 87, 1. *at Cleopatra, frustratis custodibus, illata aspide, in morsu sane eius, expers muliebris metus, spiritum reddidit.* Critici quidam transponunt voc. *sane*, omnes *in* eiecerunt. At recte se habent verba. Significant enim *gerade unterm Bisse.* Senec. Controv. 4, 29. *fortasse in dolore tormentorum stupefacta.* i. e. *unter der Pein.* Male Cortius haec explicuit de caussa.

Cic. in Verr. 2, 69, 169. *in ea re spes te aliqua consolatur.* ubi Ernestius eiiciendam putabat praepositionem. Caesar B. gall. 5, 53. *in his ab L. Roscio legato — certior est factus.* B. civ. 3, 45. *in his quum legio Caesaris nona praesidium quoddam occupavisset.* Vbi nescio, qua caussa critici demonstrent *in his* a Caesare dici, ut exemplum afferat.

Cic. de Off. 1, 23, 79. *in quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati rei publicae praesunt.* 2, 3, 9. *in quo lapsa consuetudo deflexit de via.* i. e. *in dieser Hinsicht.* vid. Beier. et Heusinger. ad Cornel. Them. 2, 3. Epam. 10, 1.

24. *In veritate* aut de eo dicitur, qui in declaranda veritate versatur, aut pro adverbio ponitur, praesertim ab recentioris aetatis scriptoribus.

Rhetor. ad Herenn. 4, 22, 32. *haec tria genera proxima exornationum — perraro sumenda sunt, quum in veritate dicemus.*

Rutil. Lupus 2, 6. *nam humana figura produxerunt personas, quae in veritate artis et voluntatis sunt, non personae.* Arnob. 5. p. 177. *et meditatur ab ligno pati, quod iam dudum in veritate promiserat.* 6. p. 196. *potest ut hic flavus sit, qui in veritate habeat oculos caesios.*

Minuc. Felix dixit *in vero*: 37. *sic homicidium in vero flagitatis, in mendacio fletis.*

25. *In summa* non uno modo usurpatur. Nam de pecunia et de numero toto, quem uno nomine complectimur, dicitur. Tum de universa re aut de plurima parte. Deinde exprimit: uno verbo, ut omnia simul complectar, denique. cf. Guntheri Latinitas restit. T. 2. p. 35. Walkeri Emendat. ad Cic. de Nat. d. 2, 4. Markland. ad Stat. Silv. p. 188. Quod idem dicunt *in summam, ad summam.* Vnde criticis saepe oritur difficultas.

Cic. ad Q. frat. 2, 16. *Drusus erat de praevaricatione a tribunis aerariis absolutus in summa quatuor sententiis.*

Cic. ad Fratr. 3, 5. *et in omni summa, ut mones, valde me ad otium pacemque converto.* Lucret. 3, 83. *hunc vincula amicitiai rumpere et in summa pietatem evortere suadet.* Quintil. 11, 3, 15. *quantitas simplicior: in summa enim grandis aut exigua est.* Celsus 2, 20. *in summa omnis pinguis caro, omne iecur medii succi est.*

Liv. 34, 3, 5. *maiori parti et in summam prodest.* ubi Drakenb. Quintil. 1, 1, 19. Tacit. Hist. 2, 16. *tanta mole belli nihil in summam profutura.* Ann. 15, 28. *atrox in summam.*

Quintil. 9, 2, 72. *in summa, sic maxime iudex credit figuris, si nos putat nolle dicere.* Calpurn. Declamat. 11. *in summa pernicies vel velle ad me redire vel nolle.* Hirtius B. Alex. 71. *Pharnaces — pactiones interponere, in summa, frustrari coepit.* Iustin. 37, 1, 8. *quum eum summi imperatores, Sulla, Lucullus, ceterique, in summa Cneus Pompeius ita vicerint, ut* etc.

Plin. Ep. 1, 22, 6. *in summam, non facile quemquem — huic viro comparabis.* Edit. roman. *in summa.* vid. Cort.

26. Verba *in se* multis cum verbis componuntur, ubi actio in persona agentis continetur. Notabilia videntur et ea, quibus externum quid opponitur, et formulae quaedam, in quibus ista verba supervacua videri possunt, sed complexum significant.

Caes. B. civ. 1, 32. *qui quod ab altero postularent, in se recusarent.*

Apicius 3, 2. *betaceos — sale, aqua et oleo in se coques.* 7, 11. *ova quatuor, lactis heminam, olei unciam in se dissolvis, ita ut unum corpus facias.*

27. In his, quae hucusque exposuimus, plurima conditionem eius, qui agit, spectant. Sed alia sunt, quibus aliquid dicitur apparere vel fieri in aliqua re, aut

valere in aliqua re. Rem enim intelligimus, quae aliquid complectitur vel in se habet.

Senec. Thyest. 220. *fas est in illo, quidquid in fratre est nefas.*

Cic. de Fin. 4, 27, 76. *ergo in gubernaculo nihil, in officio plurimum interest, quo in genere peccetur.*

28. Hinc etiam res significatur, cui aliquid convenit, aut cui aliquid proprium est, et ea, quae occasionem praebet agendi. Germani dicunt *bei.*

Cic. de Fin. 2, 14, 47. *quartum sequitur et in eadem pulchritudine et aptum ex illis tribus.* 4, 27, 76. loci modo allati priora verba respice.

Cic. Acad. 2, 11, 34. *in eo autem si erit communitas cum falso, nullum erit iudicium, quia proprium in communi signo notari non potest.* Cic. in Verr. 3, 3, 6. *et in hoc homine saepe a me quaeris, Hortensi, quibus inimicitiis aut qua iniuria adductus ad accusandum descenderim.* Sallust. Cat. 51, 15. *in hominibus impiis sceleris eorum obliti de poena disserunt.* Cic. de Off. 2, 6, 65. *liberales — in filiarum collocatione adiuvant aut opitulantur in re vel quaerenda vel augenda.* 1, 18, 61.

Sueton. Vitell. 14. *suspectus et in morte matris fuit.*

Lactant. 6, 12, 20. *itaque ne dici quidem munera oportet, in quibus nemo accipit, nisi qui accipere non meretur.*

29. Quae alibi dativo exprimuntur, etiam per *in* praepositionem dicuntur hoc discrimine, ut id, quod illic accidere alicui rei intelligitur, hic evenire in aliqua re dicatur.

Cic. Lael. 25, 91. *nullam in amicitiis pestem esse maiorem quam adulationem.* 10, 34. *pestem enim maiorem esse nullam in amicitiis quam in plerisque pecuniae cupiditatem.* Critici prudentes optimorum codicum auctoritati obtemperarunt in eiicienda praepositione, cuius vitium Klotzius quaerit in eo, quod Cicero non de iunctis amicitiis, sed de iungendis loquutus sit. Tamen praepositio etiam in hac sententia locum obtinere potest, quae de amicitiis iungendis et servandis pronuntiatur. Quidni etiam dicamus *in der Freundschaft?*

30. Verba agendi cum nominibus per hanc praepositionem coniunguntur, quando significandum est, qua in re actum appareat, et quo referatur actio. Id saepe exprimitur dativo, saepe etiam praepositione *de*, nec

raro ad idem redit ratio, qua *in* cum accusativo coniungitur. Quare hanc constructionem magis conspicuam librarii saepe substituerunt. vid. Burmann. ad Quintil. Declam. 15, 6. Germani dicunt *an* vel *bei*. Imprimis homines significantur, in quos aut actio directa erat, aut ad quos ea pertinet.

Cic. in Verr. 1, 1, 3. *si fortes fueritis in eo, quem nemo sit ausus defendere.* i. e. si fortitudo vestra apparuerit in eo defendendo. Ad haec Schol. Gronov. p. 401. Orell. *ideo in eo dixit et non in eum, quia hoc in utrumque casum profertur: sicut Virgilius* (Aen. 2, 541.), *talis in hoste fuit Priamo: quum in hostem Priamum dicere debuit.* Lucan. 8, 581. *in hac cervice tyranni explorato fidem.* Vellei. Pat. 1, 12, 7. *adeo odium certaminibus ortum ultra metum durat et ne in victis quidem deponitur.* ubi Lipsius male scripsit *in victos.* Cic. ad Fam. 2, 14, 2. *in hoc homine nullam accipio excusationem.* 12, 22, 8. *in Sempronio si meis litteris obtemperasses, maximam ab omnibus laudem adeptus esses.* Caes. B. civ. 3, 84. *superius tamen institutum in equitibus, quod demonstravimus, servabat, ut* etc. Liv. 24, 8, 2. *sed quum in hoc bello, in hoc hoste numquam ab ullo duce sine ingenti nostra clade erratum sit* etc. Sallust. Catil. 51, 15. *plerique mortales postrema meminere et in hominibus impiis sceleris eorum obliti de poena disserunt, si ea paullo severior fuit.* Plaut. Mil. 3, 1, 79. *nam in mala uxore atque inimico si quid sumas, sumptus est: in bono hospite atque amico, quaestus est quod sumitur.* Cic. p. Leg. Man. 20, 60. *in ipso Cn. Pompeio — recordamini.* Cornel. Eum. 13, 2. *in quo quanta fuerit omnium opinio — ex hoc facillime potest iudicari.* ubi Lambinus *de* scribendum putabat. Conf. Cortius ad Sallust. Cat. 51, 15. 2, 9. et ad Cic. Epist. 1, 4, 6. Liv. 39, 12, 12. *omnia quidem ut posses in nobis, dii dederunt.* ubi vd. Duker. 3, 17, 8. *ausurum se in tribunis, quod princeps familiae ausus in regibus esset.* Cornel. Tim. 4, 3. *numquam aliud dixit, quam se in ea re maximas diis gratias agere atque habere.* Paus. 1, 3. *primum in eo est reprehensus.* Epam. 10, 1. Attic. 11, 6. *ne qua in re iure plecteretur.* ubi Heusinger. Cic. Verr. 4, 47, 104. *omnibus in rebus coarguitur a me.*

Iustin. 1, 5, 5. *animum minacem dumtaxat in illo fregit.* i. e. *in Bezug auf jenen.* 1, 6, 16. *nepotem in illo magis quam victorem egit.* i. e. *an ihm zeigte er sich mehr als Enkel denn als Sieger.*

Caes. B. civ. 1, 32. *in quo iacturam dignitatis atque honoris*

ipse facturus esset. Ita dicitur *facere in aliquo homine.* Caes. B. gall. 7, 21. *quod facere in eo consuerunt, cuius orationem approbant.* Cic. p. Scauro 2, 24. *hoc tu idem tibi in M. Aemilio Scauro putasti esse faciendum.* de Off. 2, 14, 50. Liv. 30, 25, 10. *se nihil nec institutis populi romani nec suis moribus indignum in iis facturum esse.* vid. Duker. et Drakenborch. ad 30, 12, 12. et ad 34, 32, 8. et ad 28, 43, 8.

Liv. 42, 9, 1. *qua ferocia animi usus erat in Liguribus.* 5, 11, 16. *minime convenire, quibus iratos quisque deos precatus sit, in iis sua potestate non uti.* vid. Drakenb. ad illum Livii locum: qui tamen errat, quum pro accusativo positum putat.

Huc refero illa verba Virgilii Ecl. 8, 83. *Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.* quae apud Theocritum 2, 23. ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν αἴθω. Vtroque in loco inepte mihi critici videntur comminisci imaginem ceream ad ignem admotam. *In Daphnide* est Daphnidi, vel cogitans Daphnidem, vel Daphnidis nomen pronuntians, vel hanc laurum ad Daphnidem referens. Ad idem enim redeunt haec. Propert. 2, 20, 11. *in te ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas.* Male acceperunt alii pro accusativo. Plin. Epist. 7, 5. *inde est, quod magnam partem noctium in imagine tua vigil exigo.* i. e. quum animo obversatur tua imago.

31. Sublimiori in genere dicendi, quod recentiores scriptores etiam in tenuioribus rebus adhibere solent, dicitur *aliquid in aliquo facere*, et *aliquid in aliquo pati*, quando aliqua res in altera simul comprehenditur, et quando altera in alterius vicem cessit, et quando idem in utraque re efficitur. Saepe verborum constructio ita est comparata, ut ex verbo apposito participium alteri nomini sit adiungendum. Haec vero ab illis, quae modo declaravimus, aliquanto differunt.

Liv. 26, 43, 3. *in una urbe universam ceperitis Hispaniam.* Ovid. Met. 2, 362. *nostrum laniatur in arbore corpus.* i. e. in arbore lanianda. Florus 4, 9, 1. *quamvis in Cassio et Bruto partes sustulisset, in Pompeio totum partium nomen abolesset, tamen* etc. i. e. in Cassio tollendo. 2, 6, 33. *tota insula in una urbe superata est.* Iustin. 12, 9, 6. *si posset in uno capite orbis bella finire.* 32, 1, 7. *velut in illo omne bellum confecissent.*

Florus 2, 8, 13. *in Antiocho vicimus Xerxem, in Aemilio Themistoclem aequavimus.* vid. Duker. ad 3, 1, 5. Apulei. Met. 4. p. 156, 1. *in humanis vultibus deae tantae numina placantur.* vid. Oudendorp. p. 314.

Florus 4, 7, 14. *Brutus quum in Cassio etiam suum animum perdidisset.* ubi Freinshem. et Duker.

32. Amorum poetae peculiari modo amoris officinam et negotium transferunt in eius personam, quem quis amat. In eo enim amator quasi habitat, in eo omnia agit. Quare Ovidius Remed. am. 283. *in qua male vulneror una.* quod Dousa explicat *propter quam.* Ovid. Met. 7, 21. *quid in hospite, regia virgo, ureris.* 8, 50. *merito deus arsit in illa.* Art. am. 1, 731. *pallidus in Lyrice silvis errabat Orion.* Hic erat usus antiquorum poetarum in rebus amatoriis: nam de aliis rebus eadem verba cum accusativo casu componebant, veluti *ardere in proelia* Virgil. Aen. 2, 347. Sed poetae posterioris saeculi illum usum neglexerunt, ut bene observavit Heinsius ad Ovid. Amor. 2, 8, 9. et ad Virgil. Aen. 7, 623. Cf. Turneb. Advers. 19, 27. Broukhus. ad Propert. 3, 6, 28. Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 39. Burmann. ad Quintil. Declam. 15, 6. et ad Ovid. Met. 4, 234.

Ovid. Met. 6, 490. *at rex Odrysius, quamvis secessit, in illa aestuat.* Her. 4, 99. Propert. 1, 13, 7. *perditus in quadam tardis pallescere curis incipis.* Ovid. Am. 3, 6, 25. *Inachus in Melie Bithynide pallidus.* Propert. 2, 6, 3. *in qua populus lusit erichthonius.* Cf. Terent. Eun. 3, 5, 19. *in hac commotus sum.* ubi Ruhnken.

Liv. 30, 3, 4. *si forte iam satias amoris in uxore ex multa copia cepisset.*

Ovid. Met. 14, 770. *sed vi non est opus inque figura capta dei Nymphe est.* Qui *in* supervacuum existimant, ignorare videntur, quid deceát poetam.

Quomodo hanc formulam *ardere in aliqua* Wagnerus comparare potuerit cum verbis Virgilii 8, 83. *ego hanc in Daphnide* (uro) *laurum*, equidem non perspicio. Modius et Heinsius in Calpurn. 2, 56. scribendum esse putabant *urimur in Crotale* pro *Crotalen.* hic quidem immemor sui praecepti. Nemesian. 4, 66. *quum sic in Meroen totis miser ignibus arsi.* Solinus 22. *nulla illi datur femina propria, sed per vicissitudines in quamcumque commotus sit, usurariam sumit.*

33. Verba peccandi, delinquendi, quae quando malum alicui illatum aut delictum adversus aliquem commissum significant, *in* cum accusativo coniunctum habent, praepositionem ablativo praemissam admittunt,

quum peccatum dicitur in aliquo apparuisse. Burmannus ad Ovid. Am. 2, 8, 9. monstrat *peccare in ancillam* dici de eo, qui aliquid commiserit, quod ancillae ipsi noceat, veluti Terent. Phorm. 5, 3, 10. *vide, ne in cognatam pecces:* sed *in ancilla peccare* esse morem, quem deceat ingenuae impendere, in ancillam transferre.

Terent. Andr. 1, 4, 6. *date — illi in aliis potius peccandi locum.* Senec. Herc. Oet. 1029. *in matre peccas.* Horat. Sat. 1, 2, 62. *quid interest, in matrona, ancilla peccesne togata?* Cic. Verr. 1, 4, 10. *non est in hoc homine cuiquam peccandi locus.* Tusc. 2, 4, 12. *philosophus in vitae ratione peccans.* Ovid. Amor. 2, 8, 9. *quod in ancilla si quis delinquere posset.*

34. Grammatici difficultatem in hac praepositione explicanda removeri posse vulgo existimant ambigua explicatione, qua *in* significare dicunt *quod attinet ad.* His enim verbis qualescumque rerum modos designari licet. Vid. Goerenz. ad Cic. de Fin. 4, 14, 36. et ad 5, 13, 37. Herzog. ad Caes. B. civ. 2, 105. Kritz. ad Sallust. Cat. 51, 35. Beier. ad Cic. Off. 1, 39, 139. At ratio earum dictionum, quas illi huc referunt, non differt a ceteris, quibus aliquid dicitur apparere in aliqua re, aut actionem in aliqua re cerni. Intelligimus enim rem, in qua aliquis versatur agendo, aut quam quis agens spectat. Itaque *dicere in aliquo* est in considerando eo vel in iudicando eo. Graeci *λέγειν ἔν τινι.* vid. Wyttenbach. ad Plutarch. T. VI. p. 537. Nec tantum verba accusandi, coarguendi huius sunt generis, sed etiam verba excusandi, adiuvandi et ea, quae aliquam cogitationis vel affectus animi excitationem denotant, veluti verba doloris, laetitiae, admirationis. cf. Bremius ad Cic. de Fin. 1, 2. ad Cornel. Timol. 4, 3. Graeci dicunt *χαίρειν ἐπί τινι* et *χαίρειν τινί.* Grammatici in distinguendo usu ablativi simplicis haud raro vacillant. Vide Beneckium ad Cic. Catil. p. 112. et p. 156.

Cic. ad Att. 6, 1. *quod ego Torquato nostro in tuo Laenio, Pompeio ipsi in Sext. Statio negavi,* de Fin. 4, 14, 37. *sic igitur in homine perfectio ista, in eo potissimum, quod est optimum, id est in virtute, laudatur.* 4, 7, 17. *in utroque iuvaret eum.* 2, 4, 14. *iuvare enim in utroque dicitur.* ubi male coniungunt verba *in utroque dicitur.* Celsus 3, 6. *necesse est — tanto magis aegris in potione, quam in cibo indulgere.* Caes. B. civ. 2, 105. *Caesar — reperiebat, T. Ampium conatum esse tollere pecunias Epheso ex fano Dianae eiusque rei caussa senatores omnes*

ex provincia evocasse, ut iis testibus in summa pecuniae uteretur. i. e. in summa constituenda. Sallust. Cat. 51, 35. *atque ego haec non in M. Tullio, neque his temporibus vereor.* Cic. p. Coel. 6, 14. *sicuti nonnumquam in eodem homine me quoque erroris mei poenitet.* ad Fam. 3, 8, 22. *non dicam plura, ne in quo te obiurgem, id ipsum videar imitari.* Tacit. Ann. 15, 44. *haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt.* Cic. ad Fratr. 2, 2. *et primum me tibi excuso in eo ipso, in quo te accuso.* in Catil. 2, 2, 3. *qui in hoc ipso, in quo exsultat et triumphat oratio mea, me vehementer accuset* etc. de Fin. 1, 2, 4. *in quibus hoc primum est, in quo admirer.* de Nat. d. 2, 48, 124. *in quo admirandum est.* Virgil. 10, 446. *stupet in Turno.* Cic. ad Fam. 6, 12, 2. *qua in re tibi gratulor.*

Cic. de Orat. 2, 61, 248. *quod idem in bono servo dici solet.* de Leg. 1, 19, 51. *quod item ad contrariam laudem in virtute dici potest.* Alii *in virtutem.* Illud est: in iudicanda virtute. Interpretes Terentii varia confundunt, quum affirmant eamdem sententiam esse in verbis *disputare de aliqua re*, *disp. ad aliquam rem*, *disp. in aliqua re.* Illud primum significat rem tractare disputatione: ad aliquam rem autem adhibetur disputatio. vid. Cic. Tusc. 3, 9, 18. Sed disputamus in aliqua re observanda vel iudicanda. Terent. Andr. Prol. 15. *id isti vituperant factum atque in eo disputant contaminari non decere fabulas.*

Progredi solet oratio verbis *in quo.* Cic. ad Fam. 2, 9, 3. *incredibile hoc factu obiicitur: repente vero incessi omnibus laetitiis: in quo quum obiurgarer, quod nimio gaudio pene desiperem, ita me defendebam.* de Off. 1, 11, 35. *mea quidem sententia, paci, quae nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. In quo si mihi esset obtemperatum — aliquam rempublicam — haberemus.* Quintil. 7, 4, 10.

35. Multae huius generis dictiones proficiscuntur ex orationis contractione ac brevitate. Nam quum hoc modo res, in qua quis agendo versatur, designanda sit, quod participio vel alio nomine adiecto insignitur, eo omisso unum nomen cum praepositione *in* coniungimus. Id fieri coepit ab eo maxime tempore, quo lingua latina notiones cogitatione abstracta exprimere solebat.

Liv. 39, 25, 8. *opera eorum in servilibus abuti ministeriis.* i. e. imponendis. Quintil. 10, 5, 11. *in hoc optime facient infinitae quaestiones.* i. e. in hoc faciendo.

Liv. 2, 53, 4. *in mulcta temperarunt tribuni.* i. e. in mulcta constituenda. *In der Strafe mäfsigten sie sich.*

86. In afferendis libris, in quibus aliquid scriptum est, usurpant Latini praepositionem cum quodam discrimine. Recentiores enim scriptores non accurate distinguunt: veteres autem omittunt praepositionem, quando intelligunt totum librum, totam epistolam, qua aliquid est demonstratum: ponunt vero eam, ubi locus libri aut pars est significandus, nec consilium, cui totum opus destinatum sit, respicitur. Attamen criticis cavendum est, ne exempla contraria corrigant. Nam appositum videmus *in* saepe, ubi ex hac regula abesse deberet. Cf. Beier. ad Cic. Off. 2, 13, 43. Orellius ad Cic. de Nat. d. 1, 15, 40. Codices in omnibus fere locis discrepant. Atque una sententia potest duplici modo exponi, quemadmodum Germani dicunt et *in dem Briefe* et *durch den Brief anzeigen.*

Valer. Max. 7, 2, ext. 10. *Philippi — epistola, in qua Alexandrum — sic increpuit.* Interpolator in Cic. Off. 1, 11, 37. *epistola — in qua scribit.* Librarii quidam in Cic. de Off. 2, 15, 53. dederunt: *in epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat.*

Cic. de Off. 2, 2, 8. *haec explanata sunt in Academicis nostris satis.* 2, 17, 60. 2, 18, 63. *in oratione Crassi scriptum copiose videmus.* de Nat. d. 1, 15, 41. *et haec quidem in primo libro de natura deorum: in secundo autem vult Orphei, Musaei, Hesiodi Homeriique fabellas accommodare ad ea, quae ipse primo libro de diis immortalibus dixerit.* h. e. per totum librum. Heindorfius e duobus codd. dedit *in pr. libro.* quod non malum. de Off. 3, 18, 74. *ut in primo libro disserui.* 2, 13, 43. de Sen. 17, 59. de Nat. 1, 12, 30. 1, 13, 34.

Cic. de Off. 2, 17, 60. *Panaetius, quem multum in his libris sequutus sum* etc. Sed paullo post: *de hoc genere toto in iis libris, quos de re publica scripsi, diligenter est disputatum.*

Cic. de Nat. d. 1, 15, 40. *quae ipse primo libro de diis immortalibus dixerit.* de Off. 2, 9, 31. *de amicitia alio libro dictum est, qui inscribitur Laelius.* de Fin. 1, 1, 2. Quintil. 9, 4, 28. *ut superioribus diximus libris.* Alii codices *in sup.* Quis audebit affirmare, alterum praestare?

Quintil. 10, 1, 63. *Alcaeus in parte operis aureo plectro merito donatur, qua tyrannos insectatus multum etiam moribus confert.* Spaldingius explicat *ob partem, de parte.* At locum intelligit Quintilianus et dicit Alcaeum, qualis apparet in ea parte operis, qua etc.

Notandae sunt hae formae Quintil. 9, 1, 36. *eadem sunt in Oratore plurima.* 9, 3, 16. *Catullus in Epithalamio.*

Quintil. 9, 3, 45. *sicut in geminatione verborum diximus.* i. e. in loco, qui est de geminatione verborum.

37. Exposuimus Vol. 1. p. 409. rationem usus, quo auctorum nomina afferuntur per praepositionem *apud.* Barbari dicunt *in:* veluti *in Cicerone legitur hoc verbum.* Poppo autem in Diario scholast. a. 1831. p. 1032. uno Quintiliani loco 9, 4, 18. demonstrari posse putat etiam *in* cum nominibus auctorum coniungi. At verba *in Herodoto — omnia leniter fluunt.* designant totum Herodotum, non aliquem librum eius. Nec aberrat a regula Quintilianus, quum dicit 9, 2, 13. *apud Virgilium in Bucolicis.*

38. Grammatici non pauci praeceperunt, *in* designare et instrumentum et caussam. Cortius adeo docuit ad Lucan. 8, 862. et ad 2, 264. *in* pro *ab* usurpari. At caussa exprimitur ablativo casu: etiamsi Latini, ubi caussam cogitare debebant, saepe eam ad conditionem rei referebant, ideoque *in* ponebant. Neque aliter instrumentum. Id enim, quod per aliquid fit, etiam potest dici fieri *in eo*, quando caussa in conditione rei posita est, veluti *fatigatus in cursu*, aut res in alia re contineri dicitur, aut res nominatur, in qua tractanda aliquis vel sentiendo vel agendo versatur: veluti *in aliqua re delectari.*

Celsus 2, 12, 2. *ne in corpore infirmo diuque in adversa valetudine exhausto* (ducatur). Vlpian. in Dig. 29, 5, 3. *si quis in gravi valetudine affectus.* Cf. Scioppii Verisim. 1, 4. et Duker. de Latin. vet. iurisc. p. 350. Petron. 6, 4. *itaque quocumque ieram eodem revertebar, donec in cursu fatigatus et sudore iam madens accedo aniculam quamdam.* Alii libri *cursu fatigatus,* quod quomodo concinnius videri possit, non perspicio. Sed Cicero in Topic. 20, 74. non scripsit *in igni fatigati*, ut refert Richardus, sed *igni.* Val. Max. 1, 8, 9. *an in ista flamma C. Pompeius cremetur.* Ita quidam libri, nec male, sed alia ratione, quam qui habent *ista flamma.* Wagnerus fallitur, quum apud Cic. de Leg. 2, 9, 22. *popularem laetitiam in cantu et fidibus et tibiis moderanto.* delendam putat praepositionem.

Virgil. Aen. 1, 175. *suscepitque ignem foliis atque arida circum nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.* Intelligo: in fomite raptim excitavit flammam.

Caes. B. gall. 5, 49. *perscribit in litteris, hostes ab se discessisse.* i. e. inter alia hoc scribit in litteris. Vid. n. 36.

Lucan. 2, 264. *quis nolit in isto ense mori.* i. e. ense inserto, ut ait Statius. Burmannus inepte refert ad hominem ense armatum. Silius 12, 386. *animas saevo in ense relinquunt.* Corrupti sunt codices, qui in Lucan. 9, 615. praebent: *fatum in dente minantur:* nam quod comparant 8, 305. *fatum est in sanguine summo.* id rationem habet diversam. Intelligi tamen poterit fatum in dente reclusum. Celsus 1, 3. *si quis vero exustus in sole est.* male accipiunt pro *ab sole.*

Caes. B. civ. 1, 13. *ut tribunos plebis in ea re ex civitate expulsos in suam dignitatem restitueret.* Oudendorpius explicuit *per hanc rem*, quod inauditum esset, nec *ea re* dici poterat in eum modum, quem a Cicerone Acad. 2, 34, 111. adhibitum videmus, nec ea comparari, quae Heldius commemorat. In litteris male scriptis latet adverbium quoddam.

Cic. Phil. 3, 8, 19. *quum in eo salus et vita optimi cuiusque — consisteret.* Caes. B. gall. 6, 21. *vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit.* Cf. critici ad 6, 22. Sed Lucret. 5, 61. *nativo primo consistere corpore creta.* Quintil. 12, 10, 59. *itaque illo subtili praecipue ratio narrandi probandique consistet.* Cic. Verr. 4, 27, 60. *facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque inesse videantur.* de Off. 3, 15, 61. *dolus autem malus in simulatione — continetur.* ubi Beierus.

Cic. de Leg. 2, 7, 17. *in hoc admodum delector.* ubi Goerenz. ad Fam. 6, 4, 11. *in hac inani prudentiae laude delector.* ubi Ernestius mutavit. Et active Terent. Ad. 1, 1, 24. *in eo me oblecto.* ubi Donatus: *nove dixit pro eo me oblecto.* Quod legitur apud Celsum 2, 10. *maxime tamen in his medicus imperitus falli potest.* non eiusdem est sententiae quam *aliqua re falli.* Cic. ad Fam. 3, 8, 13. *ex quo suspicio nata est, me exquisisse aliquid, in quo te offenderem.*

39. Neque vero cum his comparari possunt ea, in quibus scriptores et praesertim poetae qualitatem rei non ad caussam vel rationem referunt, sed id indicant, in quo ipsa illa caussa appareat, velut quum Lucretius ait 5, 1354. *nam longe praestat in arte.* Quae Oudendorpius ad Caes. B. gall. 3, 13. affert, aut huius generis sunt, aut gerundium in se habent, aut corruptela laborant. Sunt igitur haec discernenda. Saepe adiectiva ita construuntur, praesertim apud posteriores scriptores.

Oudendorpius existimabat Caesarem B. gall. 3, 13. scribere potuisse: *ut in una celeritate et pulsu remorum praestaret.* Equi-

dem non puto. Sed scripsit ille Bell. civ. 3, 106. *in hoc omnis multitudo maiestatem regiam minui praedicabat.* quod est in hoc agendo: *hierin.*

Meliores libri correctos habent hos locos Caes. B. gall. 7, 38. *in eodem mendacio — permovet.* 5, 30. *neque is sum, qui gravissime ex vobis in mortis periculo terrear.* Cic. ad Att. 5, 20. *inde ad Amanum contendi, qui Syriam a Cilicia in aquarum divortio dividit: qui mons erat hostium plenus sempiternorum.* Bosius scripsit *ima*, reliqui omiserunt *in:* quo facto inepta evadit sententia, nec *in* potest esse *per:* quamquam de eodem monte Amano ad Fam. 2, 14, 4. *divisus aquarum divortiis.* Qui enim divisus est aquarum divortio, ille mons dividit terras in aquarum divortio. Cornel. Ages. 2, 5. *multumque in eo se consequi dicebat.*

Vellei. Pat. 2, 105, 2. *virum multiplicem in virtutibus.* Raphelengius et Ruhnkenius *in* eiiciendum esse censuerunt, non de iure. 2, 83, 1. *in omnia et in omnibus venalis.* Elegantiorem ut restituerent dictionem critici, omiserunt praepositionem, quae a Velleio scripta erat. Quintil. 12, 10, 12. *M. Tullium — habemus — in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentissimum: quem tamen et suorum homines temporum incessere audebant ut tumidiorem — et in repetitionibus nimium, et in salibus aliquando frigidum.* 9, 4, 138. *in narratione pleni atque expressi, in argumentis citati.* Tac. Ann. 14, 32. *feminae in furore turbatae adesse exitium canebant.* ubi Waltherus male interpretatur de caussa, quod referri debet ad conditionem animi.

40. Verba, quae nomen cum praepositione *ab* adiunctum habere solent, etiam mutata orationis forma possunt ita adhiberi, ut per *in* indicetur id, in quo quid factum sit, quod alias ab aliquo factum esse dicitur. Sed criticis cavendum erit, ne usum nimis arctis limitibus coerceant. Nam veteres in commutandis notionibus maiorem licentiam concesserunt.

Lucan. 4, 61. *flammas accepit in Euro.* ubi librarii quidam substituere *ab Euro.* Ovid. Met. 8, 515. *absens flamma Meleagros in illa uritur.* Alii libri *ab illa.*

Cic. p. Arch. 10, 23. *graeca leguntur in omnibus gentibus.* ubi vid. Stürenburg. de Div. 1, 41, 90. *eaque divinationum ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta est.*

Cic. de Leg. 1, 15, 42. *iam vero illud stultissimum existimare omnia iusta esse, quae scita sint in populorum institutis aut legibus.* Id defenderunt critici verbis 2, 5, 13. *multa pestifere*

sciscuntur in populis. At Madvigius negat dici posse *sciscitur ab institutis populi* et quod idem sit *in institutis.* Attamen hoc potest: nam scita illa apparent etiam in institutis et legibus.

41. Sed hic campus latior patet. Nam quum quaecumque res facta in aliquo loco aliquave re conspiciatur et in ea appareat, nulla fere est ratio rei, quae non possit hac notione rei comprehendi. Ita sedulis grammaticis multiplex negotium erat paratum, ut docerent *in* pro aliis praepositionibus *a*, *cum*, *contra*, *de*, *ex* poni, adeoque earum significationem in se recipere. Sic demonstrant, ubi *sine* oppositum vident, *in* significare *cum*, veluti apud Celsum 4, 2. *hi omnes dolores modo in febre, modo sine hac sunt.* Nemo tamen a nobis id postulabit, ut omnes has opiniones commemoremus atque refutemus. Principia tenere satius est. Scriptores autem, qui de rebus communis vitae agunt, aut qui ipsi vulgari sermoni sua verba accommodant, mirum in modum frequentant hanc praepositionem. Idem videmus apud alios populos fieri.

Celsus 4, 2, 4. *haec omnia κορύζας Hippocrates nominat. Nunc video apud Graecos in gravedine hoc nomen servari.*

Criticae artis exemplum haud probabile a Frid. Iacobo ad Lucil. Aetnae 20. exhibitum videmus. Ille ut demonstraret *in* significare *pro*, attulit Virgil. Aen. 1, 176. de quo loco diximus p. 272. et Ovid. Met. 5, 81. ubi omissum vocabulum *ingentem* omnem rem turbat, et Lucret. 5, 1307. *tentabant etiam tauros in munere belli.* verba ab hoc significatu prorsus aliena. Lucilii autem verba *spartumve in semine dentem* aut accipienda sunt pro *in seminatione*, aut scribendum *in semina*, quod Iacobus ineptum censet. Significat vero *ut essent semina.*

42. Qui omnia miscere solent, Munckerus et Burmannus Graevium ad Iustin. 39, 2, 5. sequuti, censent *in* pro *ex* poni in verbis *in Nilo flumine bibere* apud Phaedrum 1, 25, 3. et apud Florum 3, 4, 2. *bibere in ossibus capitum.* At quo modo illa verba accipienda sint, diximus supra p. 251. Quod vero legitur apud Senec. Agam. 878. *merum in auro veteris Assaraci trahunt* et iterum apud Ammian. Marc. 26, 4. *humanum sanguinem in ossibus capitum cavis bibentes avidius.* et quod Graeci dicunt ἐν κέρατι πίνειν et ἐν λαγύνῳ πίνειν Anthol. 2, 34, 4. id aliam habet rationem. Intelligimus vinum, quod in aureis poculis est, uti Germani loquun-

tur *Wein in Gläsern trinken.* Omittitur praepositio apud Propert. 1, 14, 2. ubi Broukhus. Cf. Freinshem. ad Flor. 3, 4, 2.

Martial. 14, 93. *primus in his Mentor, dum facit illa, bibit.*

Alienae sunt rationis haec: Iustin. 39, 2, 5. *ibi inops pecuniae — in templo Iovis solidum ex auro Victoriae signum tolli iubet.* ubi vid. Beneckius. Ovid. Art. am. 1, 748. *in medio flumine mella petat.* Recte Heinsius e suis libris edidit *e medio.* Ovid. Fast. 4, 750. *pabulaque in bustis inscia carpsit ovis.*

43. Adiectiva, quae qualitatem designant, assumunt per praepositionem *in* nomen, quod significat, in qua re appareat illa qualitas, aut ad quam rem ea spectet.

Cic. de Re p. 3, 16. *qui minime sunt in disserendo mali.* Et paullo post: *non sunt in disputando vafri.* Partit. Orat. 23, 78. *quae sint in disputando vera atque falsa.* Cf. criticorum notae ad Cic. ad Fam. 2, 1. et ad 3, 9. ubi *in* reposuerunt. Tacit. Ann. 3, 1. *recentes in dolore.* Omissa est praepositio 1, 41. Ovid. Met. 5, 81. *multae in pondere massae ingentem manibus tollit cratera duabus.*

Vellei. Pat. 2, 25, 4. *aquas salubritate in medendisque corporibus nobiles.* Critici eiecerunt *in*, sine caussa. Nam nec *in* ipsum male se habet, nec quod cum nudo ablativo alterius nominis componitur.

Tibull. 3, 2, 5. *non ego firmus in hoc.* Hic tamen accusativus esse potest casus. Iustin. 8, 6, 7. *ereptum Arrubae regnum puero admodum tradit, scelestus in utroque.* i. e. in Alexandro et in Arruba. Ovid. Met. 4, 546. *nimiumque in pellice saevae.* Alia vide apnd Elmenhorst. ad Apuleii Met. 2. p. 147. (86. Oud.) Vitruv. 7, 3, 9. *fulgentes in adspectu imagines — reddit.* vid. Oudendorp. ad Apulei. Met. 2. p. 88.

44. Ad hunc dicendi modum referenda sunt etiam ea, quibus rerum genus definitur, quo quid constat aut in quo apparet: veluti de genere pecuniae: *in auro, in Golde:* et ea, quae, in aliquod genus rerum recepta, in eo locum habent. Quae saepe est breviloquentiae forma.

Sueton. Galb. 8. *ut secum vehiculo proximo decies sestertium in auro efferret.* Tiber. 49. *quod partem rei familiaris in pecunia haberent.*

Iustin. 15, 1, 2. *ut pecunia in praeda capta provinciaeque dividerentur.* Est pecunia praedae.

Iustin. 8, 6, 1. *quosdam bello captos in supplementis urbium dividit.* i. e. inter supplementa urbium receptos.

In mandatis dare est committere mandata. Nec potest dictum putari pro *inter mandata alia.* Plaut. Amph. Prol. 81. *hoc quoque etiam mi in mandatis dedit pater.* Caes. B. gall. 1, 43. *postulavit deinde eadem, quae legatis in mandatis dederat.*

45. Quaedam nomina cum hac praepositione coniuncta notiones adverbiorum praestant, quod saepe etiam simplici ablativo efficitur, praesertim addito adiectivo.

Cato de R. r. 46. *eum locum — in ordine serito.* quod alibi *iusto ordine.* Virgil. Ecl. 7, 20.

Vellei. P. 2, 126. *horum sedecim annorum opera quis — in partibus eloquatur.* Ruhnkenius cum Vossio abiecerunt *in.*

Barbari dicunt *in specie, in genere.*

46. Adiectiva praemissa praepositione *in* pro adverbiis usurpabant posterioris aevi scriptores, nisi librarii recentiores e sua consuetudine etiam haec novis formis interpolarunt. Sic *in brevi*, *in primo*, h. e. ab initio. Nemo tamen non distinguet *in primo*, quod apud Livium aliosque legitur pro *in primo agmine* vel *latere.* vid. Gronov. ad Liv. 10, 14, 17. Cort. et Kritzius ad Sallust. Iug. 68, 4. *In privato* dicitur pro substantivo: *in proximo:* vid. Cort. ad Sallust. Iug. 59, 2. *in occulto*, quod alias *secreto:* vid. Oudendorp. ad Caes. Bell. gall. 1, 31. *in promptu:* vid. Gronov. Diatrib. in Stat. p. 466, (301.).

Florus 1, 1, 15. *auctis in brevi viribus.* Sic praebent codices. cf. Ruhnken. ad Vellei. P. 2, 61, 2. ubi Rhenanus dedit: *in brevi in formam iusti coiere exercitus.* Potest intelligi *tempore*, intra breve tempus: sed nemo antiquorum scriptorum ita loquutus est.

Iustin. 12, 7, 1, *quod in primo ex persico superbiae regiae more distulerat.* Esse dicunt *initio*, *primum;* quod abhorret ab antiquo usu: et codices non pauci omittunt praepositionem. Falsa igitur erat scriptura, quam Iac. Gronov. recepit in Liv. 8, 33, 10. *ibi in primo non tam perpetuae orationes quam altercatio exaudiebantur.* et ea, quam nunc vulgatam videmus in Liv. 2, 40, 3. *in primo — multo obstinatior adversus lacrimas muliebres erat.* Scribendum est, quod exstat in duobus codicibus is *primo.*

Alienae rationis sunt verba Senecae Epist. 108, 26. *quemad-*

modum ex amphora primum quod est sincerissimum effluit, gravissimum quodque turbidumque subsidit: sic in aetate nostra, quod optimum, in primo est. Intellige in primo loco.

Liv. 39, 18, 6. *ut ipsi in privato animadverterent in eas.* i. e. in privata domo. ut 9, 7, 12. *in privato abditi.*

Graevius errat vehementer, quum verba Rhet. ad Herenn. 4, 28. *vulnus maius efficit in contrario caussae.* explicat, e contrario sive contra magis vulnerat caussam: quasi sit dativus, non genitivus.

47. *In parte* est vel ex parte altera, vel ex parte aliqua, *partim.* Vid. Lennep. ad Sabini Her. 2, 103. Opponitur *totum.*

Liv. 44, 9, 5. *inter cetera sexageni ferme iuvenes, interdum plures, apparitoribus ludi armati inducebantur: horum inductio in parte simulacrum decurrentis exercitus erat: ex parte elegantioris exercitii quam militaris artis.*

Quintil. 2, 8, 6. *quod mihi — in parte verum videtur.* 10, 7, 25. *est in parte utilior quam haec proxima.*

Quintil. 5, 7, 22. *patronorum in parte expeditior, in parte difficilior interrogatio est.* 11, 2, 34.

Quintil. 9, 4, 72. *versum in oratione fieri multo foedissimum est totum, sed etiam in parte deforme.*

48. Nomen *loci* non unum in modum assumit praepositionem *in.* Dicitur enim *in loco* pro *illico* et pro *commodo loco*, et quum temporis et loci notiones commutari soleant, pro *opportune.* Vid. Hadrian. Cardin. de modis lat. loq. p. 244. (83.) Ruhnken. ad Terent. Heaut. 8, 2, 26. Cum genitivo saepe hoc nomen coniungitur. Tum accusativus promiscue ponitur in quibusdam dictionibus: in aliis natura verbi alterutrum casum requirit. Vbi intelliguntur res vel loci librorum aut disputationum, praepositio etiam omittitur, raro aut numquam, ubi de regione est sermo. Cf. Zumpt. ad Cic. Verr. 4, 52, 116. et ad 1, 17, 46. De verbis *in eo loco* vide p. 262.

Terent. Heaut. 3, 2, 26. *Eho quaeso laudas, qui heros fallunt.* CH. *In loco ego vero laudo.* Ad. 2, 2, 8. *pecuniam in loco neglegere, maximum interdumst lucrum.* Horat. Carm. 4, 12, 28. *dulce est desipere in loco.* vid. Schmid. ad Epist. 1, 7, 57.

Poeta in Rhet. ad Herenn. 1, 9, 14. *insidias postquam fecit vim in loco attulit.* ubi Graevius. Lambinus scripsit *illico.*

Cic. in Verr. 3, 48, 114. *hoc in beneficii loco petitum est ab Apronio*, 2, 11, 29. ad Fam. 2, 6, 3. *ne id quod petat exigere magis quam rogare et in mercedis potius quam beneficii loco numerare videatur.*

Cic. Phil. 11, 5, 11. *qui consulatum in Bruti locum se petere profitetur.* Celsus 7, 12, 1. *is* (dens) *qui natus est in locum prioris, quotidie digito adurgendus.*

Cic. p. Cluent. 23, 62. *doce, quid in illorum iudiciis, quid — non modo in criminis, sed in maledicti loco sit obiectum.* Optimi codices praebent *in locum*, quod non admitti Classen putat a verbo *obiicere*. Equidem non absurdum arbitror, sed intelligo obiectum, ut esset id loco maledicti. Sueton. Aug. 10. *in locum tribuni plebis forte demortui candidatum se ostendit.* Caes. 6. *in Corneliae autem locum Pompeiam duxit.* De verbis *in alicuius locum cooptare, legere*, vid. Drakenb. ad Liv. 3, 32, 3. *in alicuius loco subrogare* Arntzen. ad Aurel. Vict. Epit. 33, 1.

Cic. in Verr. 4, 52, 116. *multis in locis dicentur.* 4, 54, 121. *itemque aliis in locis videmus.*

Cic. de Orat. 3, 6, 22. *quod et ego hesterna die dixi et aliquot locis antemeridiano sermone significavit Antonius.*

II. 1. A loco notio transfertur ad tempus, et dicitur res in aliquo tempore facta. Atque per se patet *in*, cum ablativo iunctum, significare statum in tempore. Quare hac praepositione comprehenditur continuum tempus, non punctum eius, nec universum tempus, sed certum aliquod alicuius momenti. Cf. Bremi. ad Cornel. Milt. 5, 1. Grammatici autem plurimi docent omnino idem exprimi etiam nudo ablativo: nam qui usum eiusque conditiones distinctius explicuerit, praeter Kritzium neminem inveni. Neque vero semper definiri poterit, ubi necessario poni debeat praepositio, sed potius, ubi ea omitti possit aut debeat. Nam necessitatem una in continuitate temporis indicanda agnoscimus. *In die* ergo significat per diem, *in adolescentia* est per tempus adolescentiae. Sed optimi orationis auctores non ponere solebant praepositionem, ubi adiectivum, vel numerale, vel pronomen, vel genitivus nominis adiungebatur: veluti *uno tempore* Cic. p. Cluent. 9, 28. *extrema pueritia* Cic. de Leg. Man. 10, 28. *illo tempore, qua nocte* Cic. de Nat. d. 2, 27, 69. *quarto consulatu.* Cic. de Sen. 13, 43. *Pyrrhi temporibus* Cic. de Div. 2, 56, 116. Cf. Zumptius ad Cic. Verr. 5, 47,

124. qui rem bene perspexit. Adiecerunt vero tum, quum diuturnitatem et mensuram temporis definitius designabant. Attamen antiquissimi poetae et scriptores eius aevi, in quo Graecorum imitatio maximopere placuit, etiam in illis dictionibus adiiciebant praepositionem. Et acute Kritzius iam ad Sallust. Cat. 48, 5. cognovit, vocabula *tempus*, *tempestas*, *aetas*, *dies* cum praepositione composita saepe non tempus ipsum, sed rerum, quae eo tempore fiant, conditionem significare. Id tamen pertinet tantum ad Ciceronis optimorumque scriptorum usum, sicuti Cicero p. Quint. 1, 1. scripsit *in hoc tempore:* at recentiores cum antiquissimis graecum modum imitati sunt. Quodsi enim verum esset, quod Kritzius dicit, nisi haec, quibus tempus in universum exprimitur, substantiva praedicatum adiectum habeant, quo conditio rerum indicetur, *in* praepositionem addi non posse, illa, quae afferam, exempla et alia multa male se haberent.

Plaut. Bacch. 3, 3, 6. *feci ego istaec itidem in adolescentia.* quod non est per adolescentiam, sed ego adolescens. ut apud Sueton. Ner. 4. Cornelius sive qui scripsit Vitas Phoc. 4, 1. *quod adversus populi commoda in senectute steterat.* Nam in Att. 1, 3. *qua ex re in pueritia nobilis inter aequales ferebatur,* a plurimis codicibus abest *in.* Flor. 4, 2, 71. *in nocte.* Ciris 173. *tristes volvens in nocte querelas.* quod videat Kritzius an etiam mutandum sit, quemadmodum Flori verba corrupta putat. Gellius 3, 18. *in veterum aetate.* Plin. Hist. n. 10, 6, 7. *Umbricius haruspicum in nostro aevo peritissimus.* Cornel. Milt. 5, 1. *hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit praeter Plataeenses.* Bremius invenit, quo praepositionem excusaret, in continuo temporis spatio: ego respicio consuetudinem saeculi. Sueton. Claud. 18. *ex eo excogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus.* ubi alii libri omittunt *in.*

Non raro praepositio additur pronominibus et adiectivis. vid. Arntzen. ad Aurel. Vict. de Vir. ill. 24, 4. *In his diebus* Plaut. Capt. 1, 2, 65. *in qua aetate* Cic. Brut. 44, 161. *in ea aetate* Liv. 1, 57, 1. ubi Drakenb. 1, 18, 1. *ut in illa quisquam aetate esse poterat.* Ovid. Her. 21, 65. *in illa tempore.* Terent. Andr. 4, 5, 24. *nolo me in tempore hoc videat senex.* Cic. Brut. 93, 320. *in his post aedilitatem annis.* ad Fam. 15, 16, 6. *in hoc anno.* Alia apud Beierum ad Cic. de Off. 3, 25, 95. et in Guntheri Latin. restitut. 7, 2. p. 504.

Terent. Andr. 4, 5, 24. *in tempore hoc.* ubi Ruhnken. Tacit.

Ann. 13, 47. 15, 7. et 39. *in hoc tempore.* Gellius 1, 3. 20, 1. *librariis assibus in ea tempestate populus usus est.* cave, ne cum Kritzio praesidium quaeras in explicatione: pro rerum quae tunc erant conditione.

In tali tempore saepe dixit Livius 22, 35, 7. 24, 28, 1. 25, 3, 12. 30, 37, 8. 34, 27, 6. Sallust. Cat. 48, 5. ubi Cort. Lucret. 1, 94. Silius 7, 227. 12, 311. 8, 112. ubi Drakenb. et Heinsius ad 2, 298. *in tali die* Sallust. Iug. 66, 3. *Tali tempore* dixerunt Virgil. Aen. 11, 303. et Silius 8. 112. ubi Drakenb.

Terent. Andr. 1, 1, 77. *in diebus paucis.* ubi Ruhnken. Lucan. 4, 477. *angusto in tempore.* ubi alia Cortius. Vellei. P. 2, 24, 2. *in priore anno.* Sueton. Tib. 60. *in paucis diebus.* vid. Ernestius ad Suet. Ner. 3. *In brevi spatio* Terent. Heaut. 5, 2, 2. Sueton. Vespas. 4. ubi Burmann. Schwartz. ad Plin. Pan. 6, 3. Sed vide etiam n. 2. Valer. Flacc. 8, 273. *parvo in tempore.* ubi Burmann.

His similia sunt, in quibus relativa sententia sequitur. Suet. Caes. 7. *quod nihil dum a se memorabile actum esset in aetate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset.*

Cic. p. Mil. 5, 14. *nisi vero aut ille dies, in quo Ti. Gracchus est caesus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiamsi e re publica, rem publicam tamen non vulnerarunt.* Caussa, qua commotus Garatonius praepositionem eiecit, ut tria *quo* similia fierent, non valet. At obstat ratio et consuetudo Ciceronis, ut non dubitari de integritate scripturae non possit. Cic. de Sen. 3, 9. *quae in omni aetate, quum multum vixeris, mirificos efferunt fructus non solum quia numquam deserunt, ne in extremo quidem tempore aetatis* etc. Ciceronis manum refert cod. erfurt. qui habet *ne extremo quidem tempore aetatis.*

2. Sed praepositio ponitur fere, quando intelligitur intra aliquod tempus aliquid factum esse. Quare etiam tum adhibetur, quum numeralia adverbia praecedunt: veluti *ter in anno, bis in die.* qua de dictione Muretus aliquando, quum Varias lectiones primum ederet, dubitavit. Omisit tamen ea, quae 4, 12. scripserat, in altera editione. Ablativi nudi exempla non rara sunt. Ceterum non operae pretium est refutare Scioppium, qui docuit *in* in formulis *in paucis diebus, in longo tempore* significare idem quod *post.* Satis dictum est a Vorstio de Lat. falso susp. 21. p. 215.

Cic. de Off. 3, 25, 95. *Agamemnon quum devovisset Dianae, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno: immo-*

lavit Iphigeniam, qua nihil erat in eo quidem anno natum pulchrius. Hoc est *im Laufe dieses Jahres.* ad Fam. 15, 16, 5. *postulabimusque, ex qua haeresi vi hominibus armatis deiectus sis, in eam restituare. In hoc interdicto non solet addi in hoc anno. Quare si iam biennium aut triennium est — in integro res nobis erit.* in Verr. 3, 91, 213. *nihil in vita simile fecit.* vid. Zumptius ad Divin. in Caecil. 18, 60. Terent. And. 1, 2, 77. *fere in diebus paucis, quibus haec acta sunt, Chrysis vicina haec moritur.* Catull. 66, 35. *in tempore longo.* Cic. de Nat. d. 2, 40, 102. *e quibus sol — binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit.* Eadem verba restituenda erant in Stat. Silv. 1. Praef. vide me p. 16. Top. 10, 44. *si filius natus esset in decem mensibus.* de Sen. 3, 9. *in omni aetate cultae.* Sallust. Iug. 96, 1. *sollertissimus omnium in paucis tempestatibus factus est.* Sueton. Claud. 12. *quare in brevi spatio tantum amoris favorisque collegit, ut* etc. Ner. 30. Vesp. 4. Plin. Hist. n. 9, 51, 75. *ceterae feminae in triduo excludunt, si mas attigit.* Cornel. de Reg. 2, 3. *neque in tam multis annis cuiusquam ex sua stirpe funus vidit.*

Plaut. Stich. 3, 2, 45. *ipsa decies in die mutat locum.* Cato de Re r. 89. *bis in die farciat.* Varro de Re r. 2, 11, 8. *quidam has in anno bis tondent.* 3, 16, 17. *verno tempore et aestivo fere ter in mense mellarius inspicere debet fumigans leviter eas.* Cic. p. Rosc. Am. 46, 132. *unde vix ter in anno audire nuntium possunt.* Tusc. 5, 35, 100. *bis in die saturum fieri.* ubi Muretus scribendum putabat *bis die.* Sueton. Aug. 31. *bis in anno.* ubi vid. Burmann. et ad libr. de Claris Rhet. 1. Celsus 1, 3. *bis in mense.* Conf. Vorst. de Lat. falso susp. p. 514.

Plaut. Poen. 5, 4, 39. *nos fore invito domino nostro diebus paucis liberas.* Virgil. Ecl. 2, 42. *bina die siccant ovis ubera.* Cf. Vorstius p. 215. Virgil. Ecl. 3, 34. *bisque die numerant ambo pecus.*

3. Graeci quum ἐν cum eorum nominibus, quorum imperio tempus definitur, coniungant et Demosthenes Olynth. 3. p. 31. scripserit ἐν δὲ τούτοις τοῖς νομοθέταις, Drückius in Animadv. in Tac. loc. (in Oper. eius T. 2. p. 28.) verba Taciti de Orat. 11. *quum in Nerone improbam — Vatinii potentiam fregi.* dicta censet de tempore: *sub Nerone:* quemadmodum Cicero ad Fam. 7, 16. *quod in Britannia non nimis philotheorum te praebuisti, plane non reprehendo.* quod sit, *während der britannischen Angelegenheit.* Vtrumque pessime. Apud Tacitum corruptum esse nomen, omnes nunc af-

firmant, verum non Bekkerus, nec ego. Nam quae Orellius protulit argumenta impedire non possunt, quo minus tragoediam intelligamus.

4. Prae ceteris notanda est formula *in tempore*, quae aut de tempore iusto vel opportuno et commodo usurpatur, quod Graeci ἐν καιρῷ, aut ponitur pro *illico*, quod est in loco, aut significat, ubi occasio ferat. Schwarzius ad Plin. Pan. 6, 3. addi praepositionem existimabat, quando de tempore tristi aut periculoso sermo esset. Cuius opinionis nullam video rationem.

Terent. Heaut. 2, 3, 123. *in tempore ad eam veni, quod omnium rerum est primum.* Phorm. 2, 4, 24. *sed eccum ipsum video in tempore huc se recipere.* Andr. 3, 2, 52. *atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam.* Liv. 28, 8, 1. *quum ad omnia ipse raptim isset, nulli tamen se rei in tempore occurrisse.* 33, 5, 2. *ni — pedites equitesque in tempore subvenissent.* 34, 18, 2. 2, 47, 11. *spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit.* 9, 23, 15. *et in tempore magister equitum hostium terga invadit.* Cicero non posuit praepositionem: nam ab aliena manu sunt adiecta ea, quae leguntur in Catil. 1, 6, 15. *nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore.*

Illustrant hanc significationem Manutius ad Cic. Epist. 7, 18. Tennul. ad Frontin. 1, 1, 1. Burmann. ad Phaedr. 4, 25, 33. Drakenb. ad Sil. 11, 8. ad Liv. 8, 7, 5. et ad 22, 25, 15. Arntzen. ad Cat. Distich. p. 62.

Ovid. Art. 1, 661. *si lacrimae (neque enim veniunt in tempore semper) deficient.* Silius 11, 7. *saevior ante alios — odium renovare ferox in tempore Samnis.* 16, 823. *inferias in tempore dignas missurum fratri, clauso commurmurat ore.*

Sallust. Histor. 1. apud Arusian. Messum p. 529. et apud Donat. ad Terent. Phorm. 2, 4, 24. *maximeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi.* Liv. 4, 40, 6. *arbitrerisne C. Sempronium consulem aut in tempore pugnam inisse, aut firmasse subsidiis aciem.* Tacit. Ann. 12, 50. *Armeniam Rhadamistus invasit, truculentior quam antea, tamquam adversus defectores et in tempore rebellaturos.*

Non solum poetae, sed etiam oratores non raro omittunt praepositionem. Donat. ad Terent. Andr. 4, 4, 19. *in tempore opportune. Nos sine praepositione dicimus tempore et tempori.* Ovid. Her. 4, 109. *tempore abest.* ubi vid. Heinsius. Horat. Sat. 1, 5, 47. ubi Torrent. Cic. in Verr. 2, 52, 128. *satis putabat se ad comitia tempore venturum.* ad Fam. 7, 18, 3.

ego enim renovabo commendationem, sed tempore. **11, 1, 7. In Off. 3, 14, 59. codd. praebent** *tempori.* **Rutil. Lup. 1, 1.** *nam quod beneficium tempore et cupienti datur, gratum est.* **ubi vid. Ruhnken.**

5. Nomina, quae non ipsum tempus significant, sed rem in tempore agendam vel actam, aut conditionem et statum rei, *in* praepositionem assumunt, quando non simpliciter tempus, quo quid factum sit, sed totum temporis spatium vel cursus eius atque diuturnitas nominatur. *In omni vita* est per totam vitam. *In* igitur idem etiam exprimit, quod *dum* cum verbo iunctum. Conf. Bremi. ad Cornel. Paus. 2, 6. Conon. 1, 1. Graeci addere solebant participium verbi *εἶναι.* Atque saepe temporis notio ita reprimitur, ut ipsa res tantum apparens, aut conditio intelligatur, et sensus ad notionem localem redeat: unde ille usus exsistit, de quo p. 256. diximus. Sed non pauca nomina huius generis sine praepositione usurpabantur ab optimis quidem scriptoribus, quando aut adiectivum aut genitivus adhaeret, a recentioribus atque antiquissimis etiam simplicia ita, ut temporis notio ablativo exprimeretur. Grammatici scilicet multa aliter docent de ablativis absolutis. Res ipsa non videtur obscuritate laborare. Praedicato enim, quod temporis notionem simul comprehendit, non apponitur praepositio, ideoque ea abest a participiis et ab adiectivis, quibus adiici deberet participium verbi *esse*, si latinae linguae venisset in usum. Vbi autem conditio rerum in tempore sita est, idque tempus non alio indicio designatur, veteres scriptores substantivis praefigere solebant *in* praepositionem, praeter ea nomina, quae adverbialiter usurpantur: *initio*, *principio.* Posterioris aevi consuetudo haec omnia miscuit.

Varro de Re r. 1, 34. *in vergiliarum occasu.* **Celsus 1, 6.** *si quid offensae in coena sensit.* **2, 6.** *in ipsis funeribus.* **Sallust. Cat. 51, 6.** *quum saepe Carthaginienses et in pace et per inducias multa nefaria facinora fecissent.*

Proprie ita dicitur de imperii, munerum, magistratuum tempore. Caes. B. gall. 2, 1. *qui minus facile eam rem in imperio nostro consequi poterant.* **Sed 1, 18. legitur:** *imperio populi romani non modo de regno, sed etiam de ea, quam habeat, gratia desperare.* **Cortius in codicibus invenit** *in imperio.* **uti legitur 1, 33.** *in tanto imperio populi romani.* **Sallust. Iug. 14, 11.** *in imperio vestro.* **Cic. de Fin. 4, 27, 76.** *in ipsa guberna-*

tione. Instin. 36, 1, 10. *in macedonico imperio.* Sueton. Claud. 27. *Britannicum vicesimo imperii die inque secundo consulatu natum sibi — adsidue commendabat.* Cornel. Cat. 2, 2. Sueton. Tib. 3. *in censura.*

In vita vel de conditione vitae usurpatur, ut localis sit notio (Cic. de Fin. 5, 30, 91. 20, 57.) vel de vitae tempore: *per vitae tempus.* Cic. p. Cluent. 6, 18. *nihil in vita vidit calamitatis A. Cluentius.* p. Mur. 6, 14. *sic a me consul designatus defenditur, ut eius nulla fraus — nullum petulans dictum in vita proferatur.* Tusc. 4, 13, 29. *in tota vita inconstans.* p. Redit. ad Quir. 8, 18. *numen vestrum aeque mihi grave et sanctum ac deorum immortalium in omni vita futurum.* Alias *omni vita*, ut Liv. 2, 33, 10. ubi Iac. Gronov.

In itinere est dum iter faciunt. Caes. B. gall. 3, 20. *in itinere agmen nostrum adorti.* Sueton. Aug. 3. De diversitate verborum *ex itinere* vid. Heldius ad Caes. Bell. civ. 1, 24. Alia ratione Sueton. Caes. 34. (obsidio Massiliae), *quae sibi in itinere portas clauserat.* Sueton. Aug. 25. *si tumultus in graviore annona metueretur.* Stat. Theb. 1, 617. *liventes in morte oculos.* Lucan. 2, 26. *oculos in morte natantes.* ubi Cortius.

Accedit adiectivum: Cic. ad Fam. 1, 2, 9. *nos in senatu — dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia et iniquitate, retinebimus.* 1, 4, 6. *in hac praesertim imbecillitate magistratuum.* ubi multa alia contulit exempla Cortius. Sallust. Cat. 35, 2. *quamobrem defensionem in novo consilio non statui parare.* i. e. *dum in novo consilio versatur.* Cic. p. Cluent. 8, 25. *Larinum in summo timore omnium cum armatis advolavit.* in Catil. 4, 1, 2. Lael. 17, 63. *in parva pecunia.* ad Fam. 15, 15, 7. quae quum ibi essent memoranda, p. 256. exposui. Alia vide apud Dukerum ad Liv. 23, 9, 6. et apud Matthiae ad Cic. p. Rosc. Am. 8, 22. et apud Kritzium ad Sallust. Cat. 2, 10. Cic. de Fin. 4, 19, 52. *in omnibus istis conclusionibus hoc putarem philosophia nobisque dignum.* i. e. dum ita concludimus. Conf. Heusingeri Emendat. p. 87. qui varia miscet. Oudendorp. ad Caes. B. gall. 2, 1. Matthiae ad Cic. p. Sulla 28, 78. p. Mil. 6, 15. Ruhnken. ad Vellei. 1, 16, 2.

Varro 6, 3. (7, 39.) *quom — in Lucanis Pyrrhi bello primum vidissent apud hostis elephantos.* Cornelius Nepos saepissime ita loquutus est, adeoque Alcib. 4, 7. *bello* nullo adiecto nomine posuit pro *in bello.* Vid. Bremi. ad Pelop. 4, 2.

De verbis *ludis, comitiis* Drakenb. ad Liv. 2, 36, 1. exempla suppeditant indices Suetonii in edit. Crusii, p. 416. Cf. Oudendorp. ad Sueton. Caes. 4. Cicero saepe *initio* dixit, sed pro

adverbio. Plin. Hist. n. 17, 25, 38. *Xerxis adventu platano in oleam mutata.* Sueton. Caes. 11. *qui proscriptione ob relata civium romanorum capita pecunias ex aerario acceperant.* 2. *reliqua militia secundiore fama fuit.* Tacit. Ann. 3, 28. *dedit iura, quis pace et principe uteremur.*

Contractae dictionis exemplum videmus, ubi nominibus in hunc modum formatis *tamen* additur ita, ut nomina illa vicem enuntiationis secundariae praestent. Cic. ad Fam. 5, 2, 4. *iam hoc non potest in te non honorifice esse dictum, me in clarissimis meis atque amplissimis rebus, tamen aliquod testimonium tuae vocis habere voluisse.* i. e. quum clarissimae atque amplissimae res meae essent. 2, 16, 15. *in communibus miseriis hac tamen oblectabar specula.* i. e. quamquam erant miseriae. p. Mur. 16, 34. ubi notavit Matthiae.

6. Hic nobis commemoranda est necessitas, qua Latini coguntur addere praepositionem gerundiis et participiis futuri passivi, quibus exprimitur agenda res, quae dum agitur, aliud quid fit. Ita describitur actionis conditio, vel status, vel tempus. Sed potest eadem notio ad caussam referri, quam ablativus nudus designat. Quare cavendum est, ne cum Beiero (vid. annot. ad Cic. de Off. 1, 9. p. 64. 2, 18, 63. p. 123.) *in* putemus abundantiae gratia adiectum, ubi notio caussalis in notionem conditionis sive temporis mutata est, neu cum aliis dicamus, Livium saepe omisisse praepositionem. Nam etiam Matthiae errat, quum ad Cic. Epist. 32, 10. et ad Catil. 3, 3, 6. monet, Ciceronem interdum *in* omisisse in gerundio, quod tempus indicaret. Idem tamen nuper etiam affirmavit Wunderus ad Cic. p. Planc. p. 80.

Cic. de Off. 1, 3, 9. *fit, ut distrahatur in deliberando animus.* ad Fam. 2, 6, 5. *neque enim sum veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia non possem, quum praesertim confiderem, nullam esse gratiam, quam vel non capere animus meus in accipiendo vel in remunerando cumulare atque illustrare posset.* de Fin. 2, 9, 26. *vitiosum est enim in dividendo partem in genere numerare.* 2, 1, 3. Quintil. 10, 3, 22. *in dictando.* 12, 9, 1. *in agendo.* et saepe alias.

Caes. B. gall. 2, 21. *ad haec constitit, ne in quaerendis suis pugnandi tempus dimitteret.* Cic. in Catil. 3, 3, 6. *tardissime autem Lentulus venit, credo, quod in litteris dandis praeter consuetudinem proxima nocte vigilarat.* de Off. 1, 9, 28. *in inferenda ne cui noceant iniuria.* ubi Heusinger. Alia contulit Gernhardus ad Cic. Lael. 8. p. 65.

Caes. B. gall. 5, 19. *relinquebatur, ut — tantum in agris vastandis incendiisque faciendis hostibus noceretur, quantum labore atque itinere legionarii milites efficere poterant.* Hoc est *bei Verwüstung*, non *durch V.* Cic. de Off. 2, 18, 63. *eamque iniuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri — putant.* 1, 22, 76. *in excidenda Numantia rei publicae profuit.*

Restituerunt critici Cic. de Off. 3, 5, 26. *si nihil existimat contra naturam fieri in hominibus violandis, quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine tollat?* Bene revocavit optimi codicis scripturam Orellius in Cic. Orat. 21, 74. *quum in immolanda Iphigenia tristis Calchas esset.* Locum de Leg. 3, 15, 33. non uno in vocabulo esse depravatum nemo negabit. Nec dubitari poterit, quin corrupta sint verba ad Att. 4, 1. *quo senatus consulto recitato continuo more hoc insulso et novo plausum meo nomine recitando dedisset, habui concionem.* Scribendum videtur: *quum continuo — plausum meo nomini recitando dedissent, h. c.* Cic. de Leg. 3, 6, 14. *post Aristoteles illustravit omnem hunc civilem in disputando locum.* Verba *in disputando* nec possunt cum nomine *civilem* coniungi, nec cum verbo *illustravit*, nisi scripseris *disputando.*

Optimus quisque scriptor formas variat elegantiamque in hac copia dicendi curat. Ita Caesar in loco B. gall. 5, 19. supra allato. Cic. ad Fam. 1, 8, 11. *nullam partem tuorum meritorum non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possum:* ubi Heusing. et Beierus *in* addunt, nec sine auctoritate codicum. Vtrumque probum est.

Sed saepe sententia unam formam efflagitat. Cic. p. Planc. 34, 84. *qui in caussis ponderandis omnes fere repudiatis.* Wunderus bene demonstravit omissa praepositione ineptam exsistere sententiam, quasi Cicero noluisset caussas ponderandas: ipse tamen rursus dubitat, quum sibi persuasisset etiam hanc sententiam: *quum caussas ponderatis*, posse exprimi verbis *caussis ponderandis.* Quod utique non potest.

Diversa est ratio in his Cic. de Off. 1, 2, 5. *quis est enim, qui nullis officii praeceptis tradendis philosophum se audeat dicere.* ubi notio subest non temporalis, sed caussalis: quamvis nulla officii praecepta tradantur: quis sibi nomen philosophi arroget eo, quod nulla officii praecepta tradat? p. Mur. 8, 17. *Curiis, Catonibus — commemorandis iacebant.* Recte Ernestius interpretatur: quamquam Curios commemorabant. Diversa etiam in Tacit. Ann. 1, 54. *Titus Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales titios institucrat.* Est enim dativus.

7. *In praesentia* et *in praesenti* omnibus scriptoribus usitatae sunt dictiones, quamquam Henr. Stephanus in Pseudo-Cic. p. 98. ob analogiam graecorum verborum ἐν τῷ παρόντι omnes locos, in quibus *in praesentia* invenerat, suspectos esse contendit. Multi inde exstiterunt defensores. vid. Borrichii Append. ad Cur. post. Cellar. c. 7. p. 82. Drakenb. ad Liv. 33, 13, 13. Schwarzius ad Plin. Pan. 15, 5. Hechtii Diss. de formula impraesentiarum 9. et 10. Caesar una hac forma semper est usus, Livius persaepe. vid. Drakenb. ad 2, 44, 2. et ad 8, 7, 22. Opinionem, a Nauta ad Senec. de Provid. 1. et a Cruceo propositam, *in praesentia* esse accusativum, refutavi iam in notis ad Gronov. Elench. p. 261. Assentitur Doederlinus in Synonym. T. 1. p. 141. Sed de discrimine verborum *in praesenti* et *in praesentia* exstant virorum doctorum sententiae prorsus contrariae. Oudendorpius enim ad Cic. de Inv. 1, 17. quum codices saepissime discrepare vidisset, regulam fecit hanc: ubi de hominum et rerum praesentia sermo sit, latine dici *in praesentia*, ubi autem de tempore, usurpari *in praesenti*. Contra vero Doederlinus docet, *in praesentia* de tempore praesenti dici, *hoc tempore*, *in dem gegenwärtigen Augenblick*, sed verbis *in praesenti* adhaerere notionem conditionis rerum sive circumstantiae, *in hoc tempore*, *unter gegenwärtigen Umständen*. Wolfius ad Cic. Tusc. 1, 7, 14. de ratione quadam loquitur recondita, quam tamen more suo non exponit. Nos percenseamus singula. Nomina *praesentia* et *praesens* in hac dictione nihil differunt: nam quod Doederlinus monet, alterum abstracta notione constare, alterum concreta, minimi est momenti, quoniam *praesens* pro substantivo positum abstractam in se habet notionem, et *praesentia* complectitur res praesentes. Neque illud verum est, quod traditur, *in praesenti* apud optimos scriptores annexam habere notionem rerum conditionalem, non *in praesentia*. Liv. 45, 23, 17. *satis quidem et tunc in praesentia castigata illa legatio erat, cum tam tristi responso vestro dimissa*. Vsus, qui in forma *in praesentia* frequentior est, et ratio ad quatuor nomina referri potest. Primum dicitur de tempore praesenti, ut sit *hoc tempore*, *nunc* absolute, et opponantur *post*, *postmodo*, *deinde*. Tum tempus praesens secluditur ita, ut ab continuo aut futuro tempore distinguatur et restringatur, quod Germani loquuntur *vor*

jezt, vor der Hand. Sic fere idem valet, quod *interim.* Cui loquutioni interdum ironia et contemptus adhaeret, quo significatur nos acquiescere in re non prorsus probabili, meliora exspectantes. Vid. Spalding. ad Quintil, 9, 4, 109. Additur *tantummodo.* Deinde ponitur *in praesentia* pro *illico, statim.* Et quae accedunt in aliis temporis nominibus relationes, etiam in his saepe efficiunt, ut reddamus *jezt schon* vel *jezt erst.* Denique res praesentes intelliguntur earumque conditio, ut sit *in diesen Umständen, bei gegenwärtiger Lage der Dinge.* Quando ex adverso ponitur *in futurum, in posterum, in perpetuum,* significatur id, quod aut in futurum tempus vergit, aut ex praesentia transit, aut per posterum tempus perdurat.

Terent. Ad. 2, 2, 13. *verum ego numquam adeo astutus fui, quin quidquid possem, mallem auferre potius in praesentia.* Cic. Tusc. 1, 8, 14. *sic enim mihi in praesentia occurrit.* Liv. 22, 60, 4. *si quibus argentum in praesentia deesset, dandam ex aerario pecuniam mutuam.* Plin. Pan. 15, 5. *verum haec olim: in praesentia quidem quisquis paullo vetustior miles, hic te commilitone censetur.* Cic. de Inv. 1, 26, 39.

Cn. Magnus ad Cic. 8, 12. C. *non enim — debes illud solum animadvertere, quot in praesentia cohortes contra te habeat Caesar, sed quantas brevi tempore equitum et peditum copias contracturus sit.* Sulpicius ad Cic. 4, 5, 2. *quae in praesentia in mentem mihi venerunt decrevi brevi ad te perscribere.* Cic. Tusc. 5, 35, 100. *vestrae quidem coenae non solum in praesentia, sed etiam postero die iucundae sunt.* Lambinus *in praesenti.* Liv. 6, 26, 8. *pacem in praesentia, nec ita multo post civitatem etiam impetraverunt.* 2, 43, 8. *nec illos — publicum in praesentia dedecus postmodo periculum — cogere potuit gradum accelerare.* Pollio ad Cic. 10, 33, 2. *quo si qui laetantur in praesentia, tamen postmodum necesse est doleant.* Liv. 24, 29, 3. *levaverunt modo in praesentia velut corpus aegrum, quo mox in graviorem morbum recideret.* 33, 13, 13. Plin. Epist. 3, 9, 26. *nam fides in praesentia eos, quibus resistit, offendit: deinde ab illis ipsis suspicitur laudaturque.* Alia vide apud Drakenb. ad Liv. 2, 44, 2. opponitur *aliquando* apud Cic. de Inv. 2, 58, 174. *semper* apud Plin. Epist. 1, 7, 3. *neque enim tantopere mihi considerandum est, quid vir optimus in praesentia velis, quam quid semper sis probaturus.*

Cic. ad Fam. 2, 10, 7. *quod si, ut spero, cepero, tum vero litteras publice mittam. Haec ad te in praesenti scripsi, ut sperares te assequi id, quod optasses.* Ita est enim scribendum,

non *speres*. Doederlinus reddit: *unter den obwaltenden Umständen*. At opponitur in antecedentibus futurum tempus.

Cic. de Inv. 1, 33, 57. *ac de inductione quidem satis in praesentia dictum videtur. Nunc deinceps ratiocinationis vim et naturam consideremus.*

Caes. B. gall. 1, 15. *Caesar suos a proelio continebat ac satis habebat in praesentia hostem rapinis — prohibere.* i. e. *vor jezt.* Cic. de Fin. 5, 8, 21. *sed quoniam non possunt omnia simul dici, haec in praesentia nota esse debebunt, voluptatem semovendam esse.* ad Att. 7, 14. *spero in praesentia pacem nos habere.* i. e. *ich hoffe, wir haben vor der Hand Frieden.* Codices post *spero* addunt *esse*, quod Baden in Seebodii Bibl. crit. a. 1821. 1. p. 93. collato loco p. Domo 5, 11. defendit: quo quidem nihil demonstratur. Ex superiori versu translatum videtur a librariis. Quintil. 9, 4, 109. *quid fere accideret, quod in praesentia videretur optimum, ostendi.* i. e. *vor der Hand.* 10, 7, 22. Cornel. Alcib. 4, 2. *inimici vero eius quiescendum in praesenti, quia noceri non posse intelligebant — decreverunt.* Nihil magis inesse quam *vor der Hand*, declarant explicationis verba adiecta.

Cic. de Inv. 1, 30, 49. *in praesentia tantummodo numeros et modos et partes argumentandi confuse et permixte dispersimus.*

Liv. 24, 22, 4. *in praesentia legatos ad Andranodorum mitti placere.* i. e. interim. 32, 23, 3. 33, 28, 6.

Liv. 24, 28, 7. *esse etiam momenti aliquid ad consilium, quod Carthaginiensibus ita pax negari possit, ut non utique in praesentia bellum cum iis geratur: cum Romanis extemplo aut pacem aut bellum habendum.* i. e. *nicht sogleich.*

Plin. Ep. 2, 5, 10. *in praesentia tamen et ista tibi familiariora fient* etc. i. e. antequam totam actionem cognoveris: *jezt schon.* Liv. 31, 32, 8.

Liv. 21, 57, 4. *id quod unum maxime in praesentia desiderabatur.* i. e. *bei jezzigen Umständen.* Cornel. Att. 12, 5. *quod in praesenti utrum ei laboriosius an gloriosius fuerit, difficile fuit iudicare.*

Liv. 33, 27, 10. *id aegre et in praesentia hi passi, et in futurum etiam metum ceperunt.* Iustin. 14, 1, 13. *hoc facto et in praesenti labantium animos retinuit et in futurum providit.* Liv. 8, 7, 22. *manliana imperia non in praesentia modo horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum essent.* Cic. de Inv. 2, 23, 69. *modo in praesentia — non in perpetuum.* Liv. 7, 37, 2. *milites, qui in praesidio fuerant, duplici frumento in*

perpetuum, in praesentia singulis bobus donati. 2, 24, 2. 34, 35, 11. *darent talenta centum argenti in praesenti et quinquaginta talenta in singulos annos.*

Terent. Heaut. 5, 2, 9. *ubi te vidi animo esse omisso et suavia in praesentia quae essent, prima habere, neque consulere in longitudinem, cepi rationem.*

III. Verba sunt, quae utrumque casum admittant, sive locus vel res intelligatur, in quam actio dirigatur, sive locus, in quo quid agatur. Sic Virgilius Ge. 1, 438. *quum se condet in undas* et 4, 473. *multa in foliis avium se millia condunt.* Nec expedit haec verba hic enumerare: permulta enim sunt, sed ratio aequalis. Id vero quum grammatici etiam in iis verbis, quibus unus tantum modus convenire videbatur, observassent, aut licentia laesam dicebant legem, aut hanc *ἀντίπτωσιν*, quam vocabant, vetustiorum scriptorum usui adsignabant, aut eam adeo elegantiae nomine commendabant. Priscianus acquiescit p. 1178. in imitatione Graecorum approbanda: sed Gellius 1, 7. utriusque dictionis ratione et auctoritate cognita, caussam, quapropter Cicero accusativum praetulerit, ubi ablativus esset ponendus, invenisse sibi visus est in sono et in positura vocabulorum. Casp. Barthius ad Calpurn. 2, 56. omne discrimen casuum tollit. Vossius de Constr. 65. p. 252. et Cortius elegantiam et antiquitatis morem in hac notionum confusione expressum putabant: quam perversam opinionem prudenter refutavit Kritzius ad Sallust. Iug. 5, 4. et ad 112, 2. et ad 17, 3. Sed Ruhnkenius quum cognovisset Latinos dicere *in aliqua urere* et alia, in notis ad Terent. Eun. 3, 5, 19. concessit usum poetis proprium vocabulorum amoris, quem nos p. 268. declaravimus: at falso eamdem naturam Bremius ad Cornel. Phoc. 4, 3. etiam verbis crudelitatis, saevitiae, irae tribuit: Herzogius autem ad Sallust. Cat. 52, 11. in universum docet, nomina eorum affectuum, qui vim aliquam activam in se habeant, cum accusativo componi, eos vero affectus, qui aliquid patiantur, ablativum requirere: quo in genere sit misericordia. Quod quam verum esse videatur, dictiones infra exponendae satis monstrabunt. Rathius, si quid umquam bene iudicavit, hoc erat, quod in libro de Grammat. Praec. p. 198. dixit, si veteres Romani rationes diversas confudissent, id male fuisse factum. Et iam Priscianus 17. p. 1040.

utriusque casus proprietatem vindicavit. Id igitur teneamus, nec licebit cum Vossio aut cum Ellendtio (ad Cic. Brut. 61.) statuere, antiquiores Latinos non satis distinxisse promiscuum praepositionis usum. Quod falsum fuisset et absurdum. Quare veritatem rei primus perspexit Kritzius ad Sallust. Cat. 9, 2. contendens, nullum casum sua vi destitui, nec cum alio casu commutari, nisi sententiae alia forma imposita sit. Nimirum notio motus et directionis et rei, cui agendo advertimur, nullo pacto significari potest ablativo: at potest huius generis actio vel qualitas suo verbo exprimi, cui adiiciatur nomen cum praepositione, ut intelligatur, ubi haec actio appareat, aut in qua re, quave in conditione res agenda versetur. Hanc alii vocant confusionem notionum. Est vero comprehensio duarum notionum absolutarum. Tantum igitur abest, ut hanc rationem cum Kritzio explicem verbis *quod attinet*, *in Bezug auf*, quae uno accusativo reddi possunt, ut in ablativi structura statum et conditionem rei agendae sive rem, in qua quid appareat, expressam videam. Amor aut in eo conspicitur, qui amat, et ex eo exire dicimus amorem in aliquem, aut apparet in eo, qui amatur. Quare recte dicitur *urere in aliquem* et *in aliquo*, *fidelis in amicos* et *in amicis*, quod non est, quod attinet ad amicos, sed fidelem inveniri in amicis.

1. Nos hic ea demonstrabimus, quae ablativo sunt propria, infra de accusativo seorsum exposituri. Atque ratio haec, quam iam supra ostendimus, pertinet ad adiectiva qualitatis, praesertim animi, ut dicatur, quomodo aliquis se gerat in aliquo. Accedit verbum *esse* plerumque. Sed alia quoque verba hoc modo construuntur, sicuti antea p. 267. et p. 269. explanatum, dici *facere in aliquo*, *dicere in aliquo*. Designatur enim, in quo actio locum suum habeat, aut in quo appareat se exserens. Interdum brevitas orationis omittit gerundivum, aut substantivum pro enuntiatione conditionali ponitur. Cf. p. 258. Nec veteres tantum scriptores hunc loquendi modum usurpabant, sed omnes omnium temporum.

Cic. ad Fam. 3, 8, 8. *studia mihi eorum placere, quod in te bene merito grati essent.* **Orellius scripsit** *meritum*, **quod simplex oratio efflagitare videbatur: tamen non mutavit alia haec**

Philip. 11, 4, 9. *qua re quum crudelissimi Poeni indicati sint in hoste.* p. Deiot. 5, 15. *a quo rex appellatus esset, in eo tyrannus inveniri.* Cf. Cortium ad Epistol. locum. Sallust. Cat. 9, 2. *in suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicis fideles erant.* 52, 12. *sint misericordes in furibus aerarii.* ubi vide Cortium. Cic. de Off. 2, 18, 62. *in iis tamen, qui se adiuvari volent — restricti omnino esse nullo modo debemus.* ubi Heusinger. Parad. 3, 1, 20. *si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine.* p. Sext. 3, 7. *clara in hoc P. Sextii pietas exstitit.* ubi vid. Matthiae. Ovid. Met. 6, 635. *scelus est pietas in coniuge Tereo.* Trist. 5, 2, 36. *saepe suo victor lenis in hoste fuit.* Amor. 1, 7, 34. *Tydides saevus in hoste fuit.* Met. 4, 546. Iustin. 8, 3, 7. *scelestus in utroque.* Plin. Hist. n. 35, 10, 35, 13. *Apelles et in aemulis benignus.* Ovid. Her. 21, 10. *talis in Hippolyto erat.* Quintil. Declam. 16, 6. *in te ergo solo venefica.*

Cic. Somn. Scip. 3. *quae* (pietas) *quum sit magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est.* Singulare hoc, non falsum. Nec dubitare debebat Lambinus in verbis Cic. p. Domo 29, 77. *interrogatum, auctorne esses, ut in te P. Fonteius vitae necisque potestatem haberet, ut in filio.*

Quintil. Declam. 18, 12. *in illa potius vilitate desaeviat.* conf. Burmann. ad Ovid. Met. 14, 193. Iustin. 38, 6, 1. *neque in se uno, sed in aliis quoque omnibus hac semper arte grassatus.* ubi Gronov. Liv. 3, 17, 8. *ausurum se in tribunis, quod princeps familiae suae ausus in regibus esset.*

Caes. B. gall. 2, 32. *se id, quod in Nerviis fecisset, facturum.* ubi Oudendorp. Sallust. Cat. 11, 4. *foeda crudeliaque in civibus facinora facere.* Val. Max. 5, 9, 3. *idem fecit clari generis magnaeque dignitatis vir Fulvius, sed in filio aliquantum deteriore.* Senec. Thyest. 309. Ovid. Art. 2, 545. *hoc in legitima praestant uxore mariti.* Alia p. 267. Liv. 6, 22, 4. *foedeque in captis exercuere victoriam.* ubi vid. Drakenb. et ad 28, 43, 8. Cornel. Dion. 6, 2. *in filio — suam vim exercuit.* ubi Staveren. et Brem. Cic. de Off. 1, 39, 140. *quod quidem his temporibus in multis licet dicere.* vide p. 269. Multa huius generis exempla collegit Drakenb. ad Liv. 28, 43, 8. et Gronov. ad Senec. Nat. quaest. 4. praef. Iustin. 1, 6, 16. *nepotem in illo magis quam victorem egit.*

Ovid. Met. 1, 441. *numquam talibus armis ante nisi in damis capreisque fugacibus usus.* Quintil. Decl. 19, 6. *novum, iudices, uxoris in marito crimen audite.*

Vellei. Pat. 1, 12, 7. *adeo odium certaminibus ortum ultra metum durat, et ne in victis quidem deponitur.* i. e. quum victi essent.

Celsus 4, 3. *ubi eorum aliquid factum est, admovere ad ignem vel si aestas est, in sole aegrum oportet.* Intellige *esse.*

2. Vbi vero nec locus, in quo quid fiat, nec res, in qua quid appareat, sed finis et effectus cogitatur, nullo pacto potest ablativus apponi. Quare Caesar B. civ. 1, 85. in verbis: *in se novi generis imperia constitui.* non posuit ablativum, sed accusativum, nec comparari cum his possunt verba *in se uno:* quod fecit Herzogius. Neque etiam in describendo animo ablativum adhibemus, quando intelligimus odium vel iram in aliquem saevisse aut aliquem petivisse: quamquam id non impediit, quo minus Sallustius Cat. 11, 4. scriberet *crudelia in civibus facinora facere.* Crudelia enim facinora fecit Sulla, et quidem in civibus: nos: *er beging Grausamkeiten an den Bürgern.* His vero non contenti Vossius de Constr. 54. Cortius ad Sallust. Cat. 42, 3. Wassius ad Cat. 19, 2. Burmann. ad Phaedr. 5, 1, 15. et ad Sueton. Aug. 16. Ellendt. ad Cic. Brut. 60, 219. aliique recte, sed antiquo more, dici affirmabant: *in agris abire, in senatu venire,* adeoque hanc audaciam elegantiae nomine vindicabant. Quod absonum erat. Prudenter igitur repugnavit his ineptiis idem, quem modo nominavi, Kritzius ad Sallust. Cat. 19, 2. et ad Iug. 5, 4. Vsum exemplis collatis illustraverat Gronovius ad Senec. Quaest. nat. 4. praef. et ad Iustin. 38, 6, 1. Et sunt exempla, quae huc pertinent, quadruplicis generis. Nam aut verba ita sunt comparata, ut nomen loci vel rei, in qua quid fiat, admittant, quemadmodum praeterita perfecta etiam in iis verbis, quae in ceteris formis accusativum assumunt, cum ablativo coniunguntur: aut scripta sunt a poetis, qui imaginibus conspicuis delectari solent, et id quod fiat, iam factum vident: aut profecta sunt ab negligentia posterioris aevi, latinitate iam depravata: aut denique corrupta sunt errore librariorum vel casu.

Verba, quae legitime, nec sine ratione cum ablativo componuntur, sunt *alligare.* Cato de Re r. 152. *in asserculo alligato. Introire, wo eintreten.* Cato 157, 15. *si polypus in naso introierit.* quod dicitur *introitum facere alicubi.* Columell. 11, 2, 49. *sol introitum in Cancro facit.* quod antea 43. *sol in Ge-*

minos introitum facit. Verba *introrumpere, intromittere.* Plaut. Amph. 4, 3, 14. *certumst: introrumpam in aedibus.* Aul. 3, 6, 17. *qui intromisisti in aedibus quingentos coquos.* Quos locos mutant critici, etiam Lindemannus. Respicere debebant probabilem horum verborum usum. Recte vero videntur iidem verba Aph. 4, 3, 18. *pergam in aedibus nunc iam.* mutasse in *in aedis.* *Immittere*, de rebus, quae alicubi recipiantur. Cic. Tusc. 3, 11, 25. *his autem perturbationibus, quas in vita hominum stultitia, quasi quasdam furias immittit et incitat.* uti de Leg. 2, 14, 36. *multa eximia divinaque videantur Athenae tuae peperisse atque in vita hominum attulisse.* Edict. Praetor. apud Ulpian. in Dig. 43, 12, 1, 1. *ne quid in flumine publico ripave eius, ne quid in flumine publico, neve in ripa eius immittas, quo statio iterve navigio deterior sit, fiat.* Locus definitur, ubi ne quid immittatur, iubetur. *Infundere.* Iustin. 32, 4, 5. *auro suo in statuis infuso.* Columell. 6, 4, 2. *spicas ulpici vel alii cum vino conteras et in naribus infundas.* *Inserere.* Tacit. Ann. 1, 28. *in vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inserunt.* Ita codex. Lipsius correxit eleganter, nescio tamen an non recte. *Abiicere, eiici.* Cic. de Orat. 1, 7, 28. *ille durissimis pedibus fecit, ut se abiiceret in herba.* i. e. stans in herba. de Fin. 5, 30, 92. *quod annulum, quo delectabatur, in mari abiecerat.* ubi vid. Goerenz. Vid. Gronov. ad Tacit. Ann. 1, 22. Caes. B. gall. 5. 10. *prope omnes naves afflictas atque in littore eiectas esse.* Ovid. Met. 13, 536. Virgil. Aen. 4, 373. *Defigere.* vid. Lexica. *Mergere.* Cic. de Nat. d. 2, 49, 124. *quae se in mari mergerent.* *Admittere.* Petron. 19. *ideo vetui hodie in hoc deversorio quemquam mortalium admitti.* *Recipi* s. *receptum esse in aliquo loco*, quamquam activum *recipere* uno cum accusativo componitur, quod Oudendorp. ad Sueton. Dom. 14. non agnovit, nec Dukerus ad Liv. 24, 32. perspexit. Planc. ad Cic. 10, 12, 6. *animadverti nullum alium receptum Antonium reliquiasque quae cum eo essent habere, nisi in his partibus.* Bell. Hisp. 4. *qui simul in conspectum oppidi se dederunt, in equis recipiuntur.* Ovid. Met. 2, 529. Her. 6, 20. ubi vid. Heinsius. Drakenb. ad Liv. 8, 26, 3. ubi codices nonnulli exhibent *in urbe receptus.* Nec repugnabo, si quis in Sallust. Iug. 5, 4. praetulerit *in amicitia receptus a Scipione*, quum Masinissa dicatur in amicitia esse, a Scipione receptus. Sallustius tamen scripsit, ut in codd. non paucis legitur: *in amicitiam receptus.* Et apud Sueton. Dom. 14. sine dubio scribendum est *receptis quidem in manum catenis.* Correxerunt etiam in Digest. 48, 13, 4, 4. *pecuniam in usu aliquo acceptam.* quod defenderat Duker. de Latinit.

Iurisc. p. 351. Apud Columell. 12, 48, (50,) 5. *in hoc usu* non est pro accusativo positum.

Poetae dicebant *deditus in aliqua re.* Lucret. 3, 647. *in pugnae studio quod dedita mens est.* 4, 816. *in rebus deditus.* Catull. 61, 101. *in mala deditus vir adultera.* cf. Porson. ad Euripid. Med. 629.

Ovid. Met. 3, 90. *donec Agenorides coniectum in gutture ferrum usque sequens pressit, dum retro quercus eunti obstitit.* h. e. ferrum coniectum pressit in gutture. Varro de L. L. 4, 8. (5, 47.) *Ceroliensis quarticeps circa Minervium, qua in caelio monte itur: iter in Tabernola est.* Ita videtur scribendum. Certe *in monte* recte se habet: nam via etiam per montem caelium ducebat. Lindemannus coniecit *in caeliom montem,* Müllerus *e caelio monte.* Petron. 136. *ad reficiendum ignem in vicinia cucurrit.* i. e. qui erat in vicinia. Petron. 26. *Gitona libentissime officium tuentem usque hoc iubemus in balneo sequi* i. e. obsequi, officia subire in balneo.

Hirt. Bell. Afric. 36. *ex oppido Tisdrae, in quo tritici modium millia CCC comportata fuerant.* Iustin. 22, 2, 3. *contracto in gymnasio senatu.* Cic. p. Rosc. Am. 32, 91. *ruebant in tenebris.* quod Arusianus Messus male accipit pro *in tenebras.* vid. Matthiae.

Poetis latior patuit campus. Virgil. Aen. 6, 337. *qui libyco nuper cursu dum sidera servat, exciderat puppi mediis effusus in undis.* i. e. medio in mari, nec opus est coniungere verba *effusus cursu.* Bene id intellexerant grammatici, quos Arusianus Messus commemorat p. 528. Cic. de Div. 1, 47, 106. *abiicit efflantem et laceratam affligit in unda.* non alia ratione, quam qua Virgil. Aen. 12, 255. *praedamque ex unguibus ales proiecit fluvio.* Lucret. 1, 249. *haud igitur redit ad nihilum res ulla, sed omnes discidio redeunt in corpore materiai.* Qui ita habent, notantur codices quatuor: reliqui *corpora.* At poeta non dicit res redire in corpus materiae, sed omnes res in corpore materiae contentae discedunt. *Redeunt* intellige, unde venerunt. Ovid. Fast. 3, 664. *plebs — in sacri vertice montis abit.* Sic Heinsius e quatuor codicibus: reliqui *erat.* Displiceret et compositio verborum *fugit et abit,* et quod diceretur *in verticem montis abire.*

Negligentiam depravatae latinitatis videmus apud Val. Max. 3, 3. Ext. 1. *in cuius brachio ardens carbo delapsus est.* Columell. 12, 21, 2. *sal autem quam candidissimus coniicitur in urceo fictili sine pice.* etsi haec cum supra dictis comparari possunt. Pallad. Febr. 25, 11. *mittuntur in vasculo.* Iul. 8, 2. *mittis in*

vasculo. Octob. 14, 10. *mittatur in dolio.* Alia vide apud Gronov. ad Macrob. Somn. Scip. 1, 4. et apud Cortium ad Sallust. Cat. 42, 3. et apud Scheffer. ad Obsequent. 71. Lactant. de Persec. Mort. 39, 3. *in matrimonio postulat.* 35, 3. *in manu traditis.* et alia apud Bunemann. ad 21, 11. Iul. Obseq. 97. *quum in Apulia reverteretur.* Lamprid. Commod. 8. *Dalmaticus in publico processit.* Hyginus Fab. 190. *patrem Thestorem in adiutorio vocavit.* 92. *ut deducat eas in Ida monte.* 139. *Iuno autem Iovem in cretensi insula detulit.* Et similia multa, quae nec librariis imputari, nec ratione satis vindicari possunt: imprimis apud Sulpicium Severum et apud recentissimos. vid. Barthii Adversar. 29, 9.

Qui vero codices scriptos manibus versare solent, facile confitebuntur, nullum fere locum dubium inveniri, in quo non libri quidam appicta lineola, quae in aliis omissa est, accusativum exhibeant. vid. Oudendorp. ad Caes. B. gall. 8, 8. Orelli. ad Cic. de Leg. 2, 14, 26. Lege etiam, quae narrat Goerenzius ad Cic. de Leg. p. 82. Nec miraberis in codice quodam Caes. B. gal. 1, 6. legi: *quod nondum bono animo in populo romano viderentur*, quando eorum memineris, quae de compendio horum verborum dixit Schefferus ad Iustin. 38, 6, 9. Apud Liv. 30, 41, 3. Sigonii liber ceteris praestat in verbis: *in Etruriam prorogatum imperium est.*

Sallust. Histor. Fragm. 1, 9. *quorum in gratia plerique concesserant.* Ante omnia demonstrari debet apud Augustinum legi *in gratia:* tum quod affert ille Exemplorum auctor, quem Frontonem nominant, sumptum videtur e corruptis codicibus. Quare Kritzius iure repositurus est *in gratiam.* Idem vero criticus admodum prudens fallitur in eo, quod dici posse ad Sallust. Iug. 111, 1. contendit *rem in gratiam haberi.* Ea quae alibi exposuit, id certe non demonstrant. Nemo ita umquam loquutus est. Alioquin etiam recte diceretur *in gratiam esse* pro *in gratia.* Manil. 5, 389. *Anguitenens — quum venit in regione tuae, Capricorne, figurae.* Male interpungebant olim: nunc referunt verba *in regione* ad voc. *facit* in altera parte enuntiationis. Apud Petron. 48. scribendum est: *voca cocum. In medio quum constitisset ad mensam cocus.*

Longa est disputatio Burmanni, qua demonstretur, recte dici *in conspectu venire alicuius*, et Clarkius in Caesare ubique id restituendum censuit propterea, quod eleganter significaretur, in locum venire, in quo quis deinceps staret in conspectu. Permira est haec ratio et ne Burmannus quidem aliud quidquam effecit, quam ut indicaret, in quibus locis librarii lineolam omisissent, aut ex sui temporis usu *in conspectu* scripsis-

sent. Quare haud facile mutari poterit in Septim. Bell. Troi. 1, 19. *quae in conspectu popularium venerat:* neque in Argument. lib. 3. Metam. Ovid. fab. 7. Ad eamdem aetatem referri debet Phaedr. 5, 1, 15. *quinam cinaedus ille in conspectu meo audet venire.* Nam ab auctore huius fabulae illam subtilitatem alienam puto, qua verba in hunc ordinem redigi Kritzius iubet: quinam cinaedus ille, qui in conspectu meo est, audet huc accedere? Quae Drakenborchius in eamdem sententiam protulit ad Liv. 7, 40, 1. non magis hanc rem confirmant, et quod in Liv. 9, 27, 4. ab omnibus codicibus exhiberi dicitur *castra in conspectu hostibus data*, eo modo est corrigendum, quem 3, 69, 9. alii libri monstrant. Nec credamus Ciceronem scripsisse Brut. 60, 219. *in senatu se Caesare consule non accedere:* nec Senecam de Benef. 3, 37. *in ordine redigere*, aut 1, 3. *in matrimonio produxit:* quae criticis non displicuerunt. Inepte etiam defendunt in Livii 39, 42, 7. 40, 18, 7. *coniicere in carcere.* Otho in Gifanii Observ. p. 226. se in codice Prisciani invenisse narrat verba Naevii 6. p. 679. *evenit in mente hominum fortunas.* pro *ei venit in mentem* et p. 1003. verba Terentii e Phorm. 1, 3, 5. *quod utinam ne Phormioni id suadere in mente incidisset.* Sed librarius, qui *evenit* scribere potuit, nullam fidem inveniet in reliquis. Nec quisquam tam ineptus est, ut adhibeat exemplum Virgil. Aen. 5, 344. *gratior et pulcro veniens in corpore virtus.* ubi *venire* pro apparere, ἔρχεσθαι, dicitur. Corrupti sunt etiam hi loci: Caecil. apud Non. 2, 215. *tanta huic invasit in corde indulcitas.* Meliores enim libri *in corda.* Varro de Re r. 2, 10, 11. *utique uterque horum ut secum habeat equas domitas singulas in iis regionibus, in quibus stabulari solent equas abigere.* Vrsini emendatio non potest probari. Alii ad attractionis formam referent. Tamen a scriptis libris exspectamus auxilium. 3, 1, 4. *non sine caussa maiores nostri ex urbe in agris redigebant suos cives.* Ante Victorium legebatur *in agros.* Loci Cic. ad Fam. 1, 9, 26. et quos ibi comparavit Cortius, Curtii 3, 2, 2. 5, 1, 2. 10, 6, 4. Caesaris B. gall. 8, 8. et 23. et 27. nunc leguntur ex melioribus libris emendati, nec in Frontin. 1, 11, 18. nec in Valer. Max. 1, 7. Ext. 2. consentiunt codices. Ita sui temporis perversitatem servant quidam libri Liv. 35, 27, 4. et 7, 40, 1. et quae Drakenborchius ad 9, 25, 3. de verbis *in potestate venire* narrat, negligentiam scribarum, non antiquam auctoritatem comprobant. Clarkius apud Hirtium B. Afric. 88. ausus erat defendere *in fuga destinatam.*

Vterque modus diversam significationem obtinet in his: *incisum in aere* Cic. in Verr. 4, 65, 145. Plin. Hist. n. 34, 9, 21.

et *incidere in aes* Cic. Phil. 1, 8, 16. Tacit. Ann. 12, 53. Laur. Valla 3, 8. sine caussa distinguit, „in marmore, inquiens, incisae sunt litterae, non in marmor: e diverso in aes, non in aere.“ *Referre in rationibus*, *in tabulis* et *in rationes*, *in tabulas*: quam dictionem exposuit Goerenz. ad Cic. de Fin. 5, 30, 92. Cic. p. Pis. 38, 92. *ut esset*, *quod in basi tropaeorum inscribi incidique posset.* Gellius 11, 18, 6. *decemviri autem vostri — in duodecim tabulis scripserunt.* Sic etiam *in sententia adhere* apud Sallust. Cat. 51, 21. et *in sententiam* apud alios. In illo intellige sententiam declaratam, in hoc autem declarandam. vid. Kritzius ad Sallust. locum: cuius viri subtilitatem equidem non assequor in eo, quod ad Iug. 4, 6. existimat dici posse *plebis vis dispersa in multitudine.* Vtique non potest. Sed nomen *multitudinis* non ad *dispersa*, sed ad verba quae sequuntur *minus poterat* recte referebant alii critici, nec obest natura vocabuli *dispersa.* De utraque constructione verborum *succedere in consulatu* et *in consulatum* Burmann. ad Sueton. Caes. 21. de verbis *grassari in aliquo* et *in aliquem* Beneckius ad Iustin. 38, 6, 1.

Errant vehementer qui *in auxilio esse* pro *auxilio esse* accipiunt: et quod Beneckius ad Iustin. 5, 11. affert ex Plinii Hist. n. 29, 4, 24. legitur *in auxilium.* Nam *auxilium* etiam significabat cohortem auxiliariam. ut apud Curt. 3, 1, 8. apud Tacit. Ann. 6, 34. Iustin. 5, 11, 10. *in eo proelio decem millia Graecorum in auxilio Cyri fuere.* Frontin. 3, 9, 10. *Rhodiis, quos in auxilio habebat.* 2, 7, 8. 3, 3, 7. Codices a librariis indoctis interpolati in 2, 3, 13. exhibent: *Gastron Laceduemonius quum in auxilio Aegyptiis adversus Persas venisset.* Id tamen probavit Oudendorp. ad Caes. B. gall. 3, 11. ubi cod. petav. *ubi in auxilio a Belgis arcessiti dicebantur.* etiam ab errore librarii. Apud Florum 3, 3, 18. e codd. restituatur: *manus, quae quasi in subsidio Noricos insederat Alpium tumulos. In praesidio habere* dixit Val. Max. 3, 2, 12.

IV. Accedo ad accusativum casum. Ei praeponitur *in* ad motum indicandum, quo quum etiam animi actiones designare soleamus, multiplex nascitur usus.

1. Quo in usu primum observamus introitum, veluti *introire in alienam domum* Plaut. Mil. 4, 4, 32. Vbi vero haec notio verbo satis declaratur, etiam omitti poterit praepositio. Latini veteres tamen omiserunt eam tantum in nominibus urbium et in nominibus *domus* et *rus*, quando non locum, sed aedificium et villam significabant. Nam ipsa nomina oppidorum si pro locis ac-

cipiuntur, recipiunt praepositionem. Sic Cicero ad Att. 7, 3. defendit se, quod scripsisset *in Piraeea: Non enim hoc ut oppido praeposui, sed ut loco. — Nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quod non ut de oppido loquutus sum, sed ut de loco.* Neque audiendi sunt Alvarus et Perizonius, qui rarius praepositionem urbium nominibus addi docuerunt. vid. Ruddimann. 2. p. 279. et Vossius de Constr. 42. p. 469. qui Plautum testem affert. Recentiores autem scriptores etiam alia nomina ad hanc formam redigere consueverunt, nec minus poetae. Ceterum nomina urbium carere non possunt praepositione, ubi nomen, quod adiici debebat, appellativum praecedit. In reliquis nominibus, etiam terrarum, orationem moderatur verbi natura: nam dici poterat *Sardiniam venire* de classe, et *navigare Aegyptum.* Et nomina adiectivae formationis apta sunt praepositioni. Grammatici vero praecipiunt, insulas vel propterea, quod commune nomen habeant cum urbibus, vel quod parvae sint, urbium instar, nudo accusativo designari. vid. Bremi. ad Cornel. Milt. 1, 1. Parvitas autem insularum in hanc considerationem prorsus non venit, sed insulae et terrae maritimae cogitantur ut loca, ad quae naves appellunt et ad quas dirigitur cursus.

Cic. Phil. 2, 28, 68. *domum tuam te introire putas?* Sed Tusc. 5, 4, 10. *Socrátes primus philosophiam — et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit.* Liv. 4, 13, 9. *tela in domum Maelii conferri.* Aliam habet rationem verbum *introire.* Sueton. Caes. 18. *nisi privatus introisset urbem.* 81. *introiit curiam.*

Plaut. Bacch. 2, 3, 1. *ibo in Piraeeum.* Most. 1, 1, 63. *ego ire in Piraeeum volo.*

Liv. 42, 22, 3. *si non ante idus novembres in urbem Romam introisset.*

Liv. 40, 4, 10. *redituri in Thessalonicam.* Non est delenda praepositio. Nam nominis forma est adiectiva, ut *in Alexandriam.*

Plaut. Curc. 4, 4, 5. *salvus quum advenis in Epidaurum.* Mil. 2, 1, 35. *huc invitam mulierem in Ephesum advehit.* Bacch. 2, 3, 120. *senex ibit in Ephesum.*

Plaut. Curc. 2, 3, 60. *rogat, quid veniam Cariam.* sed v. 50. *in Cariam.* Pers. 2, 3, 7. *herus meus me Eretriam misit.* Cic.

Verr. 1, 17, 46. *Delum venit.* 18, 48. *confugisse Delum.* p. Mur. 16, 34. *quum — Bosporum confugisset.* Sallust. Iug. 28, 7. *legiones per Italiam Rhegium atque inde Siciliam — transvectae.* Cic. p. Leg. Man. 12, 34. *inde Sardiniam cum classe venit.* Caes. B. civ. 3, 106. *coniectans eum Aegypium iter facere.* i. e. *nach Ägypten.* Liv. 44, 10, 2. *navigare Aegyptum pergit.* Mela 3, 8. *Aegyptum tendentes.* vid. Oudendorp. ad Suet. Tiber. 72. *rediens ergo propere Campaniam.* Multa Livii exempla notavit Drakenb. ad 33, 41, 6. Iustin. 7, 1, 7. *quum Emathiam venisset.* Bell. Hisp. 35. *Lusitaniam proficiscitur.* Lucan. 1, 687. *ferior Libyen.* ubi Cortius. Stat. Achill. 2, 247. *mittitur Aemoniam, magni qui Pelea facti impleat.* Adeoque Tacitus Hist. 3, 85. *Vitellius Aventinum, in domum uxoris sellula defertur.* Curt. 3, 4, 1. *interea Alexander — regionem, quae Castra Cyri appellatur, pervenerat.* Apuleius saepe nudum accusativum posuit. vide Oudendorp. ad Metam. p. 24. et 33. Cortium ad Lucan. 5, 572. 8, 161. 171. Wagner. ad Ammian. 17, 13, 34.

2. Ingredimur in aliquam rem, quando nos vel agentibus inserimus, vel aliquid in nos suscipimus, vel conditionem aliquam vitae subimus.

Plaut. Mil. 4, 9, 16. *nunc in tumultum ibo.* Ovid. Fast. 6, 89. *in litem studio certaminis issent.* Quintil. 6, 4, 13. *in rixam non ibimus.* 2, 10, 5. *ut — gaudeant materia et quasi in corpus eant.* Formula comicis usitata est: *ire in malam crucem.* Plaut. Trin. 1, 2, 84. *ut in eamdem tute accederes infamiam.*

3. Verba eundi, proficiscendi, veniendi, mittendi praepositionem *in* nominibus addi iubent appellativis, quando non introitum, sed accessum ad aliquem locum vel terminum significant, quod alias *ad.* Graeci dicunt ἐπὶ, Germani et *hinzu* et *in* et *nach.* Cf. Graffius in libro de Praepos. germ. p. 29. Quo modo etiam nomina terrarum usurpari constat, quamquam in his saepe omittitur praepositio, ut iam diximus. Commutatis vocabulis, εἰς et *in* praefiguntur nominibus gentium, quae communis ad terras designandas adhibuit usus. Non dicebatur *in Graecos* proficisci, sed *in Persas.* vid. Brem. ad Cornel. Pelop. 4, 3. Heumanni Poecile T. 2. p. 12. De *in* pro *ad* posito vid. Diomedes p. 409. Cortius ad Lucan. 3, 572. Iacobus a Cruce in Gruteri Lamp. T. 1. p. 685. negare videtur hanc commutationem. Sed Burmannus ad Virgil. Aen. 6, 720. et ad Lu-

can. 3, 359. paullo subtilius demonstrat *ad* proximitatem significare, *in* autem coniunctionem, atque differre verba *fugere ad flumina* et *in flumina*, et *in* vicinius et maiore parte perfectum iter notare, ut si quis Romae pararet se itineri, posset rectius dici *properare ad Hispaniam*, sed itinere suscepto, etiam *properare in Hispaniam*, ut apud Cic. Epist. 2, 25, 9. *remis in patriam omni festinatione properari:* aliudque esse *ad urbem*, aliud *in urbem venire*, sed non posse *in* usurpari de hominibus. Tamen Seneca Epist. 72. *miraris deos ad homines venire. Deus ad homines venit, immo quod propius est, in homines.* Neque negari poterit *in* etiam significare accessum et directionem. Quare multa sunt promiscui usus: multis in locis librarii ob hanc ipsam caussam praepositiones commutarunt. Vide criticos ad Virgil. Aen. 6, 720. ad Lucan. 5, 14. 10, 437. De verbis *in auras* et *ad auras* disputavit Wagnerus in Quaest. Virgil. 10. quem vide. *Redire in aliquid* apud Horat. Carm. 1, 2, 45. et Virgil. Ge. 3, 316. quomodo differat ab *redire ad aliquid*, demonstravit Schmidius ad Horat. Epist. 2, 1, 48. Priscian. p. 1000. *invenitur tamen etiam pro ad, quum huic casui praeponitur in accusativo, ut Virgil in* 1. *Aen. impulit in latus, pro ad latus. Lucanus in tertio: in puppim rediere rates, pro ad puppim.*

Sallust. Iug. 102, 1. *victor pervenit in oppidum Cirtam.* 75, 1. *dein Thalam pervenit, in oppidum magnum et opulentum.* Cic. de Re p. 2, 19. *se contulisse Tarquinios, in urbem Etruriae florentissimam.* Liv. 3, 58, 1. *Regillum antiquam in patriam se contulerat.* Plaut. Amph. Prol. 102. *hinc abiit ipsemet in exercitum.*

Cic. Acad. 1, 4, 13. *ergo Antiocho id magis licuerit — remigrare in domum veterem e nova, quam nobis in novam e vetere.* Tusc. 5, 35, 102. *quae qui privatim habent, nec tam multa, et raro vident, quum in sua rura venerunt.*

Germani dicere solent *nach Holland handeln, nach England verkaufen.* Id etiam latine exprimi posse eodem modo Drakenborchius existimavit, quum legisset in Liv. Epit. 49. *qui — a Serv. Galba in Galliam venissent.* i. e. venumdati essent. Quod confert *scribere legiones in Bruttios* aliam habet caussam, nec pro graecismo poterit haberi. Desideramus igitur adhuc exempla.

Caes. Bell. gall. 4, 11. *petebant — sibi uti potestatem faceret in Vbios legatos mittendi.* Cornel. Pelop. 4, 3. *legatus in Persas est profectus.* Curt. 5, 6, 17. *ventum est in Mardorum gen-*

tes. Cic. ad Fam. 15, 9, 2. *a te ipso missi in ultimas gentes.* At Tacit. Ann. 12, 22. *in Lolliam mittitur tribunus.* quod non pro *ad Lolliam* dictum, sed *in* significat impetum, pro *contra* positum.

4. In hunc modum formantur verba nuntiandi, quae intelliguntur de nuntio perferendo. Graeci non aliter. Isocrat. de Bigis 3. *εἰσήγγελλον εἰς τὴν βουλήν.* vid. Matthiae Gramm. §. 578. b.

Tacit. Ann. 4, 56. *quum id Zmyrnam in concionem nuntiatum foret.* Lactant. de Mort. Pers. 46. *nuntiatur in castra.* vid. Wopkens. ad Iustin. 19, 2. 34, 2. Tacit. Hist. 4, 32. *mox allatis Geldubam in castra nuntiis.*

5. Quod germanica lingua in designando adscensu vel motu sursum facto per *auf*, *hinauf* exprimit, et quod dicitur *an* in verbis *ans Licht treten* et in aliis, id Latini uno vocabulo *in* notant.

Cornel. Paus. 4, 5. *Pausanias ut audivit, Argilium confugisse in aram.* Bremius explicat haec de gradibus arae et reddit *auf den Altar.* Sed qui confugit in aram, in ara consedit. Cic. Tusc. 3, 10, 25. *tamquam in aram confugitis ad deum.*

Columell. de Arbor. 16, 4. *ne — in altitudinem repat.*

Plaut. Cist. 2, 3, 78. *quid nunc supina sursum in coelum conspicis?* Cic. de Orat. 1, 53, 228. *Quintum pupillum filium ipse pene in humeros suos extulisset.* Claudian. in Ruf. 1, 22. *tolluntur in altum.*

Lucret. 2, 795. *neque in lucem exsistunt primordia rerum.* Sisenna apud Non. 2, 471. *conventum in populum perduxit armatum.* i. e. ad populum congregatum.

6. Ii errant, qui docent *in* cum accusativo iunctum significare *apud.* Semper enim subest notio directae actionis sive progressionis.

Tacit. Hist. 3, 80. *sacrum etiam in exteras gentes legatorum ius.* Haec ex formula, quam n. 21. illustrabimus. Cic. in Verr. 4, 11, 25. *quae* (auctoritas) *nisi gravis erit apud socios, in exteras nationes ubi erit imperii nomen et dignitas?* Inepta est sententia et contorta verborum constructio: *ubi erit imperii nomen in exteras nationes.* Boni codices praebent: *apud socios et exteras nationes.* Tacit. Ann. 6, 22. *non initia nostri, non finem, non denique homines diis curae: ideo creberrime tristia in bonos, laeta apud deteriores esse.* Ellipsis est haec: tristia in bonos immitti.

7. Gronovius in Diatrib. p. 337. (520.) *in* pro *super* usurpari demonstrat variis exemplis, nec aptis. Statius enim quum Theb. 6, 270. dicit: *primus anhelantem duro Tirynthius angens pectoris attritu sua frangit in ossa leonem.* non intelligit ossa Herculis, sed leonis, qui frangitur in sua ossa, quando ex utraque parte ossa comprimuntur. Theb. 5, 672. *anne ducem servatricemque cohortis — audes mactare in tumulos.* Hoc est in tumulos piandos. Propert. 4, 6, 55. *pharetrae pondus consumit in arcus.* Nemo nunc cum Gronovio intelliget imponendo in arcus, sed comparabit graecum ἀναλίσκειν εἴς τι. Marklandus revocat ad Lucan. 9, 160. *sacer in Magni cineres mactabitur Apis.* quod est in honorem Magni, cineribus. vid. n. 26. Sed recte tribuimus praepositioni significationem motus deorsum facti, quem Germani exprimunt *darüberhin.* Sic *cadere in aliquid*, *incumbere in aliquem.* Restituenda est optimorum librorum scriptura in Livii 21, 35, 12. *omnis ferme via praeceps*, *angusta*, *lubrica erat*, *ut — alii super alios et iumenta in homines occiderent.* Poetae transferunt motum ad conditionem vel statum ex motu oriundum. Propert. 4, 5, 47. *si pulset inanis surdus in obductam somniet usque seram.* Non est de tempore accipiendum, sed *usque* significat perpetuo, et *in obductam seram*, intellige inclinatum. Stat. Silv. 5, 3, 67. *obstantesque manus turbamque tenentem vincit*, *in ardentem*, *liceat*, *moritura maritum.* i. e. se iactura in maritum.

Valer. Flacc. 1, 132. *illa sedet directa in lumina palla.* 8, 204.

8. Multiplex est usus, quo verba inferendi, mittendi, tradendi, recipiendi, accipiendi et proprio et metaphorico sensu cum praepositione *in* componuntur, nec operae pretium videtur confirmare eum multis exemplis. Satis erit commemorasse insigniora quaedam. Ex iis nonnulla, quae cum praepositione *ad* construuntur, ubi accedit notio insinuationis, assumunt *in:* alia etiam non adhaerente illa notione, veluti *accommodare in aliquid.* Plurima actionem significant, qua efficitur, ut aliquid sit in aliquo loco: multa autem statum vel conditionem, quam quis subit.

Cic. de Orat. 2, 79, 322. *est id quidem in totam orationem confundendum, nec minime in extremam.*

Cic. in Verr. 4, 27, 63. *iste unumquodque vas in manus sumere.* p. Planc. 12, 29.

Lucan. 10, 533. *in famam et saecula mitti.* Quintil. Declam. 18. *mittit in ora populi.* Cf. Barth. ad Claudian. Cons. Probr. p. 120. Gronov. Observat. 1, 15. p. 96. De verbis *in studia mittere* Ruhnken. ad Vellei. Pat. 2, 59, 4. *In manum convenire.* Hadrian. Card. de Modis lat. loq. p. 285. (83.). *In conspectum dare.* Drakenborch. ad Liv. 9, 27, 4. *In manus tradere.* Drakenb. ad 5, 27, 4.

In civitatem accipere, in amicitiam recipere, in medium accipere. Haec illustrat Drakenb. ad Liv. 4, 3, 14. et 21, 46, 9. Curt. 4, 6, 20. *quem proximi exceptum in castra receperunt.*

Sallust. Iug. 85, 26. *ne quis modestiam in conscientiam duceret.* 82, 2. *quum rem alii in superbiam vortebant.* Quibus in explicandis fallitur Cortius, a vulgari structura haec aliena putans. Differt enim metaphora a grammatica ratione, qua dicimus *modestiam ducere in locum conscientiae.*

Cic. de Div. 2, 54, 111. *adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur.*

Venire in rem praesentem, quod legitur apud Cic. de Off. 1, 10, 32. et apud Senec. de Benef. 4, 35. significat accedere, ut praesens rem inspiciat. Cf. Beierus ad Cic. loc.

In ordines ire Curt. 4, 13, 19. *Effundi in fugam* 4, 15, 29.

Ernestius ad Sueton. Caes. 34. quum negasset dici posse *redigere in deditionem* pro *ad deditionem*, ideoque correxisset *in ditionem*, Paldamus arbitrabatur vulgari usu commutatas esse notiones: quoniam redacti ad deditionem acciperentur in ditionem, in locis Suetonii et Curtii 7, 7, 38. et Flori 3, 10, 25. *in deditionem* pro *ad dedit.* dictum esse. At *redigere* proprie cum *in* praepositione componitur, velut Iustin. 9, 4, 7. *alios in exsilium redegit:* atque *deditio* recte de conditione dediticiorum usurpatur: id quod Wolfius bene perspexit. Sic *in deditionem venire* Caes. B. gall. 6, 3. *in ded. accipere* 1, 28.

9. In verbis, quae ipsa hanc praepositionem in se habent, duae res sunt animadvertendae. Vsus enim, non ratio effecit, ut alia cum accusativo solo, alia cum ablativo, alia cum utroque casu coniungerentur. Sic dicitur *ingerere in aliquam rem*, *iniicere in aliquid*, sed *imprimere in aliquam rem* et *in aliqua re.* Tum verba composita, quae cum simplici accusativo construuntur, interdum etiam, neutrali sensu posita, praepositionem iterum admittunt: veluti *invadere hostem*

et *in hostem*. Virgil. Aen. 6, 206. Tacit. Ann. 1, 67. Ceterum poetae, ut in describendis rebus principium simul cum exitu comprehendant, componere solent verba, quae *ex* in se habent, cum nominibus per *in* adiungendis: quae librarii saepe ad aequalem formam revocarunt. Vide Cortium ad Lucan. 3, 600, qui graeca comparat.

Lucan. 4, 644. *in fessos artus egeritur.* **8, 270. 4, 765.** *emisit in agmen.* **ubi quidam libri** *immisit.*

10. Poetae quum animare orationem suam soleant, ea, quae fixa et quieta et facta conspiciuntur, sed motu et agitatione exsistunt, ita saepe describunt, ut fieri ea videamus ideoque mota et agitata. Atque adeo verba cum accusativo construuntur, quibus ipse non aptus videtur. Id bene sensit Gronovius, nec tamen idoneis exemplis comprobavit in Diatrib. p. 336. (520.) et in Elench. Antidiatr. p. 165. (235.).

Stat. Theb. 7, 369. *in terga comantes.* **517.** *religa captas in terga sorores.* **6, 611.** *lateque in terga solutus.* **Lucan. 5, 142.** *crines in terga solutos.* **Cf. Oudendorp. ad 6, 666.**

Stat. Theb. 5, 3, 68. *in ardentem — moritura maritum:* **de uxore in rogum mariti se iaciente.**

Lucan. 3, 572. *cruor altus in undas spumat.* **Correxerunt** *in undis.* **3, 190.** *adriacas spumans Absyrdos in undas.* **Virgil. Aen. 7, 8.** *adspirant aurae in noctem* **h. e.** *sie wehen in die Nacht.* **Cf. Cortius ad Lucan. 3, 572.**

11. Verba ponendi, collocandi quum utramque rationem ablativi et accusativi admittant, atque locus, in quo quid ponatur, et locus, in quem quid constituatur, recte dici possit, usus communis et quorundam scriptorum singularis consuetudo aliis verbis aliam attribuit constructionem, neque veteres subtilitatem eam adhibebant, quam critici supponere solent. Kritzius in verbis Sallust. Iug. 17, 4. *in divisione orbis terrae plerique in partem tertiam Africam posuere.* ita distinguit: accusativo casu significari eorum rationem, qui non accepta ab aliis tripartita divisione ipsi primi tres partes orbis terrae faciant ac tertiae Africam assignent: ablativo posito eos intelligendos esse, qui factam iam ab aliis divisionem sequantur. Haec nimis subtilia puto nec vera. Omnis haec res ad usum redit, a quo Sallustium recessisse in hoc uno loco non est credibile. Augustini, qui

haec verba affert, non maior est auctoritas, nec scribis ablativus notior erat casus: immo recentioris saeculi usus frequentavit accusativum: unde in veterum scriptorum libros saepe est receptus.

Ponere cum accusativo componitur a poetis et ab recentioribus oratoribus. Plaut. Trin. 3, 3, 10. *verum hoc ego vereor, ne istaec pollicitatio te in crimen populo ponat atque infamiam.* Ovid. Met. 8, 452. Remed. 719. Pauca exempla, quae apud Ciceronem inveniuntur, aut singularem habent caussam, aut suspecta sunt. Cic. de Fin. 5, 2, 6. *quacumque enim ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponimus.* Duo codices *in aliqua historia* praebent. ad Att. 5, 3. *apud Lentulum ponam te in gratiam.* Ernestius restituendum putabat *in gratia.* Graeca lingua comparata, dubitaverunt grammatici de latinitate. Quare Gellius 17, 2. ex Q. Claudii Annalibus: *nos*, inquit, *in medium relinquemus: vulgus in medio dicit: nam vitium istuc putant et si dicas in medium ponere, id quoque esse soloecismum putant, et probabilius significantiusque sic dici videbitur, si quis ea verba non incuriose introspiciat. Graece quoque θεῖναι εἰς μέσον vitium id non est.* Coelius ad Cic. 8, 6, 14. *amabo te, si quid, quod opus fuerit, Appio facies, ponito me in gratiam.* Alii libri *gratia.* ut Cic. ad Att. 5, 11. et 6, 1. Quare vix tribuemus uni illi loco auctoritatem magnam. De hac loquutione vid. Gronov. ad Liv. 44, 14, 7. Quae apud Livium leguntur, exstant in libro 41. criticis auxiliis destituto. Ibi c. 28, 8. *tabula in aedem Matris Matutae cum indice hoc posita est.* ubi *m* littera ex proximo nomine nata videtur. c. 20, 7. *Cyzici in Prytaneum — vasa aurea mensae unius posuit.* In 38, 35, 4. cod. bamberg. nunc praebet *in aede.* Cato Dist. 1, 19. *in mortem alterius spem tu tibi ponere noli.* ubi Arntzen.

Deponere. Caes. Bell. gall. 4, 19. *ut — liberos, uxores suaque omnia in silvas deponerent.* Iustin. 4, 5, 8. Columell. 3, 10, 19. *deputatum et in terram depositum.* vid. Drakenb. ad Liv. 23, 11, 6.

Apponere. Propert. 2, 9, 11. *et dominum lavit moerens captiva cruentum appositum flavis in Simoenta vadis.*

Imponere. Terent. 1, 1, 102. *in ignem imposita est.* Cic. Tusc. 5, 5, 13. *chorus virtutum in equuleum impositus.* Vide alia multa apud Drakenb. ad Liv. 1, 18, 8. *Imponere in capite* non adversari latine loquendi rationi demonstravit Davis. ad Cic. de Nat. d. 1, 20.

Reponere. Oudendorpius ad Cic. Rhetor. 1, 26. docet cum accusativo iungi, quando res iterum ponatur eo loco, cui an-

tea sublata esset, ut apud Liv. 29, 19, 7. *reponere in thesauros.* ubi autem pro simplici *ponere* sumatur, sextum casum esse praeferendum.

Collocare. Plaut. Aul. 4, 8, 6. *multoque prius me collocavi in arborem.* Terent. Eun. 3, 5, 45. *deinde eam in lectum illae collocarunt.* Caes. B. gall. 1, 18. *sororem ex matre et propinquas suas nuptum in alias civitates collocasse.* ubi quae Herzogius disputat de significatione verbi *collocare*, quod cum accusativo compositum expulsionem et vim indicet, subtilia sunt, non vera.

Constituere, ubi locus est nominandus, ablativum habet, quamquam quidam critici dubitarunt in Sallust. Cat. 59, 2. *octo cohortes in fronte constituit.* Nam quod afferunt Iustin. 39, 4, 1. *rege in locum fratris constituto.* prorsus alius est rationis. Cic. p. L. Man. 21, 62. *tanta in eo rei publicae bene gerendae spes constituebatur, ut* etc.

12. Motus cernitur in iis, quae versus aliquem locum diriguntur vel flectuntur. Quare *in* Latini dicunt, ubi Germani *hin.* Id transfertur ad res non sensu percipiendas, et dicitur de animo ad aliquid tendente et de consilio. Sed percenseamus singula. Primum igitur *in* est versus, adversus.

Plaut. Amph. 1, 168. (173.) *si in me exerciturus* (pugnos), *quaeso, in parietem ut primum domes.* i. e. adversus parietem, eum verberando. Lucan. 6, 471. *puppimque ferentes in ventum tumuere sinus.* i. e. *windwärts.* 3, 545. *in puppim rediere rates.* ubi Sulpicius: *sic equi dicuntur in frena redire, pulsi in terga recedere.* Cf. Burmann.

Terent. Ad. 2, 4, 5. *vereor coram in os te laudare amplius.* i. e. κατὰ στόμα ἐπαινεῖν, *ins Gesicht loben.* Non recte Priscianus p. 1178. putat esse pro *in ore* dictum.

Dare in nostrum est *hingeben.* Ovid. Her. 21, 240. *doque libens victas in tua vota manus.*

Virgil. Aen. 5, 147. *aurigae — proni in verbera pendent.* Sil. Ital. 8, 233. *praeceps trepida pendens in verbera.* ubi Heinsius.

13. Etiam locus aut regio intelligitur, quam quid spectat, aut ad quam vergit. Hinc *in latus, in dextrum.* Etiam verba cubandi cum his nominibus coniunguntur. Aliae formulae vel technicae vel vulgaris sermonis commode cum his comparari possunt, velut quum Plinius Hist. nat. 10, 53, 75. scripsit: *aves omnes*

in pedes nascuntur. Nam omnia haec reguntur notione directionis.

Tacit. Agr. 10. *in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam inspicitur.* Horat. Sat. 1, 8, 12. *trecentos cippus in agrum hic dabat.* i. e. *nach dem Acker zu.*

Quintil. 11, 3, 99. *habilem demonstrando in latus aut distinguendis, quae dicimus, manum facimus, quum supina in sinistrum latus, prona in alterum fertur.*

Stat. Theb. 2, 218. *in laevum prona nixus sedet Inachus urna.* vid. Markland. ad Silv. 2, 6, 64.

Celsus 2, 3. *si in latus aut dextrum aut sinistrum, ut ipsi in usu est, cubat.*

14. Additur a quibusdam scriptoribus vocabulum *versus* adverbium, quod Cortius pro participio habuit, Ruhnkenius ad Terent. Adelph. 4, 2, 36. abundare existimabat. De qua re disseruit Kritzius ad Sallust. Cat. 56, 4. Sed *versus* notionem directionis clarius et distinctius exprimit: apud recentiores scriptores redundat: Cicero vero nusquam ita loquutus est: interdum tamen *adversus.*

Servius ad Cic. Epist. 4, 12. *supra Maleam in Italiam versus navigaturus erat.* Sed vett. edd. non habent *in.* Plin. Epist. 10, 82. *si in urbem versus venturi erant.* Alia exempla vide apud Oudendorp. ad Frontin. 1, 4, 11. et apud Cortium ad Sallust. Cat. 56, 4. et Iug. 58, 4. et apud Oudendorp. ad Caes. B. gall. 7, 8. Cf. Burmann. ad Vellei. 1, 15. Aliter se habet Caes. B. gall. 6, 33. *Labienum cum legionibus tribus ad Oceanum versus in eas partes, quae Menapios attingunt, proficisci iubet.*

Caes. B. gall. 7, 8. *quorum ille precibus permotus castra ex Biturigibus movet in Arvernos versus.* Nonnulli tamen libri *per Arv.* Sallust. Cat. 56, 4. *in Galliam versus castra movere.*

15. Directionem *in* indicat, ubi sermo est de aliqua re, ad quam cupido vel studium tendit: idque etiam refertur ad res efficiendas.

Curt. 3, 1, 21. *in quem omnes intenderat curas.* Liv. 37, 31, 4. *in unum iam consilium, ut acie dimicaret, intentus.*

Cic. ad Fam. 13, 1, 16. *non te in me illiberalem, sed me in se negligentem putabit.* Iustin. 32, 3, 1. *negligentior in patrem.*

ubi vid. Beneckius. Quae etiam ad n. 20. referri possunt, et ad n. 22. Suetonius dixit *circa* Tib. 69.

Virgil. Aen. 2, 347. *quos ubi confertos ardere in proelia vidi.* cf. Gronov. ad Senec. Herc. fur. 779. Manil. 4, 220. *in bellum ardentes.* Lucan. 3, 390. *tenuit flagrantis in omnia belli.* ne cum Burmanno voc. *flagrantis* ad Caesarem referas, vide Cortium ad h. l. et ad 7, 295. Tacit. Hist. 2, 56. *avidus in omne nefas.*

Claudian. Epith. Pallad. 113. *pronique manus in verbera tendunt.* Vide similia p. 308. n. 12.

Florus 3, 10, 4. *nutante in fugam exercitu.* ubi vid. Duker.

16. In his non pauca nomina aeque cum praepositione *ad* componuntur, nec mutant sensum. Sic dicitur *pronum ad aliquid* et *in aliquid*, etiam metaphorice de animo: *paratus in aliquid.* Qui subtilius distinguunt verborum primordia, non usum respiciunt. In aliis tamen discrimen constat. Sic verbum *vertere ad* non dicitur de rebus prorsum conversis et mutatis, quod exprimit *in.*

Liv. 4, 59, 4. *urbs prona in paludes.*

Columell. 2, 9, 3. *campo patente et ad solem prono.* Horat. Epist. 1, 18, 10. *in obsequium plus aequo pronus.* Lucan. 6, 147. *pronus ad omne nefas.* Tacit. Hist. 4, 32. *ubi videt Montanum praeferocem ingenio paratumque in res novas.* Virgil. Aen. 2, 61. *in utrumque paratus.* ubi Servius *in modo ad significat.*

Dicitur *exerceri ad aliquid*, sed Sallust. Cat. 50, 2. *libertos suos laetos et exercitatos in audaciam orabat. Detorquere ad aliquid.* Plin. Pan. 82. *in aliquid.* Quintil. 8, 3, 44. *in obscoenum intellectum sermo detortus est.* Tacit. 1, 7. *verba, vultus in crimen detorquens.*

Ovid. Her. 16, 89. *versis ad prospera fatis.* hoc est accedentibus. Sed Horat. Epist. 2, 1, 149. *iocus coepit in rabiem verti.*

17. *In orbem* praeterea quod de forma orbis dicitur, etiam de cursu per orbem et translatum usurpatur de iis, quae certo spatio recurrunt, et de iis, quae ordine succedunt, *der Reihe nach.* Similis ratio cernitur in adiectivis, de quibus infra.

Celsus 7, 25, 1. *in orbem tergus inciditur. In orbem pugnare, in orbem se defendere.* vid. exempla apud Drakenb. ad Liv. 4, 39, 4. 5, 19, 11. 21, 56, 2.

Ovid. Met. 12, 468. *certumque equitavit in orbem.*

Liv. 1, 17, 6. *quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat.* 3, 36, 3.

Liv. 6, 4, 10. *quum in sex partes divisus exercitus romanus senis horis in orbem succederet proelio.* 5, 20, 11. *senae horae in orbem operi attributae sunt.* Cf. Heinsius ad Claudian. IV Cons. Hon. 657.

18. Quum *in* significet, quo quid dirigitur, idem exprimere potest id, quo tendat oratio vel cogitatio vel iudicium, sive quo pertineat. Ita fieri poterat, ut *in* pro *de* acciperetur a grammaticis. *Dicere in aliquem* esse potest et de aliquo et contra aliquem et in laudem alicuius dicere.

Cic. de Off. 1, 9, 28. *itaque videndum est, ne non satis sit id, quod apud Platonem est in philosophos dictum.* ubi quum librarius in cod. guelf. scriberet *in philosophis*, illam rationem in mente habuit, de qua p. 266. loquuti sumus. Brut. 44, 164. *illa in legem Caepionis oratio:* quod non est in laudem legis, sed super lege. Aliter Beierus cum Heusingero ad loc. Offic. de Orat. 2, 86, 352. *quum coenaret Simonides apud Scopam — cecinissetque id carmen, quod in eum scripsisset* etc. Tusc. 1, 34, 84. *Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est.* ad Quint. fr. 2, 6. *in eam tabulam magni risus consequebantur.* Sueton. Tiber. 21. *versum illum in te posse dici.* i. e. in te verti.

Cic. p. Quint. 20, 63. *fatetur enim, Alphenum — iudicium quin acciperet in ea ipsa verba, quae Naevius edebat, non recusasse.* Huc retulerim verba Varron. de R. r. 2, 1, 21. *cuius scientiae genera duo, unum ut in hominem, ad quem adhibendi medici.* i. e. *wie für den Menschen, wie auf Menschen gerichtet.*

Plaut. Truc. 1, 2, 56. *quae in nos illosque, ea omnia tibi dicis.* i. e. adversus. Sed Most. 1, 3, 82. *si quid tu in illum bene voles loqui, id loqui licebit.* Quintil. 6, 1, 3. *optime in Verrem Cicero.*

19. Sunt etiam formulae, in quibus *in* significat rem tangere aliquem, vel fieri aliquo nomine, vel referri ad aliquid: germanice *auf etwas hin.* Sic *contrahere aes alienum in aliquem.*

Terent. Hec. 4, 4, 63. *sumptus, quos fecisti in eam.* Cic. in Catil. 2, 2, 4. *quorum aes alienum contractum in popinam nullum rei publicae motum afferre poterat.* Temere correxerunt *in popina.* Tacit. Hist. 3, 80. *sacrum etiam in exteras gentes legatorum ius.* Senec. Octav. 961. *ius in nos.* Lucan. 1, 406.

vid. Cortius ad 4, 821. Ovid. Fast. 3, 316. *arbitrium est in sua tela Iovi.* vid. n. 22.

20. Haec igitur directio potest esse actionis, quae aut non infensa aliquid attingit vel complectitur, aut cum offensione coniuncta aliquem invadit. Illud alias dicitur *erga*, hoc *contra:* cf. T. II. p. 438. Drakenb. ad Liv. Epit. 21. Illud cernitur in grato animo et benevolentia, hoc in qualicumque inimicitia. Differunt tamen istae praepositiones. Nam *erga* ponitur, ubi de animo converso et ad aliquid flexo sermo est, *in* autem indicat animum directum et penetrantem: idque maiorem vim sive consilii sive actionis declarat: quamquam hoc qui loquuntur non semper respiciunt, ut in multis discrimen evanescat. Cf. Herzog. ad Sallust. Cat. 9, 2.

Cic. de Orat. 1, 44, 196. *quo amore tandem inflammati esse debemus in eiusmodi patriam.* 2, 40, 168. *qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus.* Orat. 38, 133. *de suis factis consiliis meritis in rempublicam aggressus est dicere.* Virgil. Aen. 1, 103. *regina quietum accipit in Teucros animum.* ubi Servius *pro Teucris.*

Sueton. Aug. 27. *illis in multorum saepe personam per gratiam et preces exorabilibus, solus magno opere contendit, ne cui parceretur.* Caes. 26. *nullum — officiorum in quemquam genus — omisit.*

Cic. de Nat. d. 3, 34, 84. *ita ad impietatem in deos, in homines adiunxit iniuriam.* ad Att. 2, 22. *in eos, qui haec egerunt, impetum facturus videtur.* Claudian. Bell. Gild. 236. *in fratres medio discordia Mauro nascitur.* Male Barthius accepit pro in fratribus. Est contra fratres.

Sallust. Cat. 9, 4. *qui contra imperium in hostem pugnaverant.* ubi Cortius. Liv. 30, 34, 13. *prima acie pulsa, in secundam pugnabat.* Iustin. 3, 1, 1. *bello in Graeciam infeliciter gesto:* de quo vide infra III, 3. Tacit. Ann. 12, 32. *ductus inde in Cangos exercitus.* ubi Walther. Vid. Drakenb. ad Liv. 10, 19, 3. Virgil. Aen. 5, 257. *saevit — in auras.* Plaut. Aul. 3, 5, 12. *in pauciores avidos altercatio est.* Sueton. Caes. 12. *sorte iudex in reum ductus.* Tacit. Ann. 5, 7. *quum in Blaesum multa foedaque incusavisset.* Lipsius eiecit *in.* Florus 4, 12, 6. *in hos expeditionem ipse sumpsit.*

Liv. 7, 40, 10. *ergo vos prius in me strinxeritis ferrum quam in vos ego.* Ovid. Nuc. 174. *stringi cultros in sua colla videt.*

Quibus locis non adducimur, ut credamus etiam Livium 38, 49, 12. scripsisse *si gladium in Asiam non strinxissem.*

Tacit. Ann. 11, 8. *unde metus eius in ceteros.*

21. Ex his, quae hucusque disputavimus, facile intelligitur, quo modo haec praepositio ad rationes casuum accedat aliorum. Ac genitivus quum exprimat rem, ad quam quid pertinet, pro eo etiam praepositio *in* usurpatur. *In deos ceremoniae* apud Cic. de Leg. 1, 15, 43. sunt quae de Inv. 2, 22, 66. dicuntur *ceremoniae deorum.* Conf. Goerenz. ad h. l. Terent. Eun. 3, 1, 25. *quia habes imperium in belluas. Suspectus alicuius rei* quod alii dicunt, Sallustius singulari modo expressit in fragm. apud Arusian. Messum p. 240. Lindemann. ita: *Etruria omnis cum Lepido suspecta in tumultum erat.*

Dativi rationes refert *in*, quando res dicitur fieri ad aliquam rem relata, et id, quod dativo designatur appositum esse, accusativo significatur peti et attingi. Ac primum verba cum praepositione *in* coniunguntur, quae notant, cui rei aliquid sit destinatum. Germani *für*, et ubi adversa est res, *gegen.*

Conferantur inter se haec: Lucan. 1, 306. *in classem cadit omne nemus.* Statius Achill. 1, 428. *caeduntur robora classi.* Ovid. Met. 3, 618. *qui requiemque modumque voce dabat remis — Epopeus.* Culex 203. *pastor in fessos requiem dare comparat artus.* Plaut. Poen. 3, 3, 32. *capiti vostro istuc quidem.* Ovid. Her. 20, 127. (129.) *in caput haec nostrum dominae periuria — eveniant.*

Liv. 26, 18, 4. *ut populus proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet.* 32, 28, 10. *Quintio in Macedoniam supplementum decretum.* ubi alia Drakenb. Sueton. Caes. 8. *nisi consules conscriptas in Ciliciam legiones — retinuissent.* Lucan. 2, 541. *quum Catilina paravit arsuras in tecta faces.* Tacit. Ann. 2, 18. *repertis inter spolia catenis, quas in Romanos ut non dubio eventu portaverant.*

Huc refer locos Stat. Theb. 5, 672. et Lucan. 9, 160. de quibus p. 304. loquuti sumus. Oudendorpius ad Apulei. Tom. 2. p. 16. narrat se in duobus libris vetustissimis Plinii Hist. nat. 35, 10, 36, 15. invenisse: *pinxit et Alexandrum Magnum fulmen tenentem in templum Ephesiae Dianae viginti talentis.* quod est *für den Tempel.*

Cic. in Verr. 3, 10, 25. *quid est hoc? utrum praetoris institutum in socios an in hostes victos insani edictum atque imperium tyranni?* Tacit. Ann. 2, 88. *venenum in Pyrrhum regem vetuerant.* 12, 6. *at enim nova nobis in fratrum filias coniugia.* 12, 25. *adoptio in Domitium auctoritate Pallantis festinatur.* Cic. in Verr. 4, 41, 88. *est crudelitatis, quod in hominem innocentem — novum et singulare supplicii genus excogitavit.*

Dicitur *natus alicui rei* et *in aliquam rem.* vid. Drakenb. ad Liv. 9, 9, 11. *viris in arma natis.*

Tum verba *in* pro dativo assumunt, quae significant rem attinere ad aliquid, alicui rei inservire, ad aliquid valere: quod Germani dicunt *für*, *für etwas gültig*. Ita mandatum, exemplum, donum. Cf. Wopkens. in Actis Soc. Traiect. Tom. 2. p. 44.

Tacit. Ann. 3, 16. *mandata in Germanicum.* 12, 32. *in reliquos data venia.* 1, 78. *datum in omnes provincias exemplum.*

Singulari modo Livius in explicanda caussa ambigua 10, 25, 12. *in utrumque auctores sunt.* i. e. *für beides sind Gewährsmänner da.*

Sueton. Claud. 12. *ius nundinarum in privata praedia a consulibus petiit.* Tacit. Hist. 3, 80. *sacrum etiam in exteras gentes legatorum ius.*

Celsus 5, 5. *huic et sandarachae in omnia eadem vis, sed validius est.* Liv. 7, 6, 11. *num etiam in deos immortales inauspicatam legem valuisse?* Cic. de Leg. 1, 10, 29. *itaque quaecumque est hominis definitio, una in omnes valet.*

22. Qualitas rerum esse potest ex ratione eius rei, ad quam ipsa refertur, cuius generis sunt nomina utilitatis, potestatis, gratiae, similitudinis, alia. Quod Germani dicunt *für*, *in Hinsicht*, *in Rücksicht*, id Graeci per εἰς exprimunt, Latini per *in*, quo relatio ad aliquid facta exprimitur. Et recentiores scriptores more suo duo nomina substantiva in hunc modum coniungunt. Quod vero Tacitus Ann. 6, 22. ex aequo apposuit *apud*, id non potest argumento esse, ut cum quibusdam censeamus *in* significare *apud*. Pro *ad* ponitur, iniuncta notione progressionis. Vide n. 16.

Eurip. Orest. 533. Pors. ἐγὼ δὲ τἄλλα μακάριος πέφυκ' ἀνὴρ, πλὴν εἰς ϑυγατέρας. Tacit. Germ. 21. *utiliter in publicum.* Ann. 3, 24. *valida divo Augusto in rem publicam fortuna.* 2, 59. *multaque grata in vulgus usurpavit.* Cic. ad. Att.

2, 22. *quod egregie non modo iis, qui utuntur opera, sed etiam in vulgus gratum esse sentimus.* Tacit. Ann. 2, 39. *nam aetate et forma haud dissimili in dominum erat.* 2, 47. *asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiae traxit.* 1, 28. *novissimi in culpam.* Ovid. Amor. 2, 16, 12. *nonne erat in curas una puella satis.* Apud Tibull. 3, 2, 5. *non ego sum firmus in hoc.* esse potest in hoc efficiendum, in hunc finem: at Tacitus Germ. 20. *in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam et in animum firmius et domum latius teneant.* Horat. Epist. 2, 2, 188. *genius — mortalis in unumquodque caput.* i. e. *sterblich für jedes einzelne Haupt.* Plaut. Aul. 3, 5, 11. *in maxumam illuc populi partem est optimum.* Tacit. Agr. 33. *pulcrum et decorum in frontem.* i. e. *für die Vorderseite.* quae ibi Walchius monet, attingunt rem, non expediunt. Ann. 11, 25. *laetaque in rem publicam munia multo gaudio censoris inibantur.* 12, 8. *laetum in publicum.*

Liv. 34, 6, 6. *in navis administratione alia in secundam, alia in adversam tempestatem usui sunt.* vide ibi Gronov.

Ex hac ratione defendi potest codicum scriptura in Livii 6, 2, 3. *qui — per annos prope centum numquam ambigua fide in amicitiam populi romani fuerant.* Drakenborchius aliena comparat.

Tacit. Ann. 12, 14. *ostentui clementiae suae et in nos dehonestamento.*

Tacit. Ann. 11, 6. *qui famam in posteros praemia eloquentiae cogitavissent pulcherrima.* 6, 46. *quippe illi non perinde curae gratia praesentium, quam in posteros ambitio.* Hoc idem est quod 1, 8. *primores civitatis scripserat, plerosque invisos sibi, sed iactantia gloriaque ad posteros.*

Sunt quidam loci, in quibus expediendis critici satis habuerunt, ut dicerent *in* significare *quod attinet ad rem:* quo quidem ipsa res non explicatur. Vid. Cortius ad Cic. Epist. 1, 5, 2. Ibi legebatur vulgo: *te autem videre et sentire, eamdem fidem esse hominum in tua dignitate, quam ego in meam salutem sum expertus, ex tuis litteris intellexi.* Sed meliores libri praebent *in mea salute.* In illis verbis diversa inesset ellipsis ratio: fidem in tua dignitate servanda et fidem in meam salutem conversam: quod displiceret. Petron. 77, 1. *tu parum felix in amicos es: nemo umquam tibi parem gratiam refert.* Si ita Petronius scripsit, malus fuit scriptor: nam loquutus est de eo, qui gratiam amicorum erat reportaturus.

Interdum adiectiva eius sunt naturae, ut simul notionem finis sive eventus expressam videamus praepositione: veluti *firmus in aliquid.* Senec. Epist. 99, 12. *ita nihil perdidit ille nisi aleam in damnum certiorem.*

23. Qui agendo aliquid consequi aut efficere tendit, ad id accedit et in eam rem se convertit. Hoc esse potest finis aut eventus. Vtrumque per praepositionem *in* exprimitur.

Finis notatur praepositione *in*, ubi res definitur, ad quam aliquid promovetur vel procedit. Quo modo etiam eventum significamus.

Horat. Art. poet. 3. *atrum desinat in piscem.* Senec. Cons. in Marc. 2, 1. *a praeceptis incipere — et in exempla desinere.*

Vsque in nescio an praeter Celsum nemo dixerit pro *usque ad.* Ille 8, 1. *duplex usque in verticem a fronte est.*

Tacit. Ann. 1, 57. *neque victa in lacrimas, neque voce supplex.* i. e. *zu Thränen.*

24. Hinc id designatur, quod extremum est, vel terminus, ad quem res vel producitur vel reducitur: quod Germani dicunt *bis zu.* Hoc modo terminatur modulus et numerus.

Velleius Pat. 2, 85, 4. *desperata victoria in mortem dimicabatur.* 4, 45. *is praetorem — uno vulnere in mortem affecit.* 4, 62. *quos principium stragis in mortem afflixerat.* Egregia est emendatio ab Acidalio facta in eiusdem Taciti Ann. 14, 8. *prior trierarchus fusti caput eius afflixit in mortem. Centurioni* etc. Si Tacitus scripsisset, quod vulgo legitur: *nam in mortem centurioni* etc. absurde narrasset rem non veram. Agrippina enim non erat strangulata, sed fusti icta. Tacit. Ann. 4, 11. *ne divulgata atque incredibilia avide accepta veris aeque in miraculum corruptis antehabeant.*

Apulei. Met. 1. p. 105, 37. *in stuporem attonitus.*

Columell. 12, 24. *in dimidiam partem decoquenda.* Liv. 1, 43, 5. *tertiae classis in quinquaginta millium censum esse voluit.* ubi vid. Drakenb.

25. Finis est rei, propter quam aliquid agitur, et consilii, ex quo agitur. Ideo hac praepositione significatur res, cui aliquid destinatum est, aut id, quod aliquis agendo est consequuturus. Optimi latinitatis auctores plenam enuntiationem addito participio futuri expri-

mere solebant: at inde a Livii tempore concisum dicendi genus in usum venit, ut sententiae finales uno nomine et praefixa praepositione comprehenderentur. Quare bene monuit Walchius ad Taciti Agr. 8. multa huius generis exempla in se habere duas enuntiationes contractas. Brevitas vero, quam caussam ille putat, exoriebatur ex modo notiones formandi abstractas, ab antiquo tempore alieno. Posterioris aevi scriptores adeo ad personam id referebant, ubi veteribus necessario addendum erat participium, veluti Tacitus Ann. 2, 18. *repertis catenis, quas in Romanos ut non dubio eventu portaverant.*

Cic. ad Att. 15, 1. *Cumis eam vidi: venerat enim in funus.* i. e. *sie kam zum Begräbnifs*, ut funeri operam daret. Plaut. Aul. 2, 6, 2. *hos ut accipias coquos tibicinamque obsoniumque in nuptias.* Virgil. Aen. 2, 46. *haec in nostros fabricata est machina muros.* Ovid. Her. 15, 197. *non mihi respondent veteres in carmina vires: plectra dolore tacent.* Claudian. in Rufin. 1, 311. *qui cornipedes in pocula vulnerat audax Massagetes.* i. e. in usum poculorum. 1, 152. *scythicae vernant in carmina rupes.* i. e. in usum magicum. Cons. Mall. 319. Prop. 4, 6, 55. *pharetrae pondus consumit in arcus.*

Liv. 21, 42, 2. *se quisque eum optabat, quem fortuna in id certamen legeret.* Propert. 3, 3, 33. *novem — puellae exercent teneras in sua dona manus.* Vellei. Pat. 2, 85, 1. *pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicavere.* Lucan. 3, 674. *in pugnam fregere rates.* ubi vid. Cortius. Cf. Claudian in IV. Cons. Hon. 624. Petron. Carm. de Bello civ. 21. *exsectaque viscera ferro in venerem fregere.* i. e. ad exercendam venerem. Claudian. de Nupt. Hon. 65. *vivunt frondes in venerem.* Lucan. 1, 306. *in classem cadit omne nemus.* ubi Oudend. Misc. Observ. T. 5. p. 169. Cf. n. 21. Vellei. P. 2, 41, 2. *quum M. Piso consularis Anniam — in Sullae dimisisset gratiam.* i. e. ut sibi compararet gratiam. Sueton. Tiber. 49. *in gratiam Quirini.* Calig. 15. *in memoriam patris.* Ovid. Am. 3, 8, 33. *sed postquam sapiens in munera venit adulter.* Plin. Hist. n. 15, 1, 1. *multis fortuna parcit in poenam.* Tacit. Ann. 11, 6. *quodsi in nullius mercedem negotia eant, pauciora fore.* Iustin. 2, 11, 16. *ut qui sciant se pugnare non spe victoriae, sed in mortis ultionem.* Vid. Oudendorp. ad Lucan. 2, 151. et ad Apulei. Florid. p. 16.

26. Quare hoc modo exprimitur etiam usus et res, cui efficiendae aliquid sit destinatum, veluti de pecunia

impendenda, de auxiliis adhibitis. Vide Cortium ad Cic. Epist. 9, 20, 5. Ruhnken. ad Terent. Andr. 2, 2, 32.

Graeci εἰς dicunt. De verbis *in usum* disputarunt Graevius et Garatonius ad Cic. Phil. 5, 9. Arntzen. ad Plin. Pan. 52, 5. Burmann. ad Petron. 135. Tacit. Hist. 4, 53. *ne temeraretur opus saxo aurove in aliud destinato.* Plaut. Truc. 4, 2, 27. *dedi ei minam in obsonatum.* Cic. in Verr. 2, 55, 137. *haec denarium XXXIX millia palam salvis legibus contulerunt in statuam.* 2, 59, 145. *ut iidem pro parte in commune Siciliae contulerunt.* p. Rabir. Postu. 12, 34. *nullam pecuniam Gabinio, nisi in rem militarem datam.* p. Flacc. 14, 33. *at enim negas fratrem meum — pecuniam ullam in remiges imperasse.* Liv. 1, 53, 3. *captivam pecuniam in aedificationem eius templi seposuit.* 33, 46, 8. *pecunia, quae in stipendium Romanis suo quoque anno penderetur, deerat.* cf. Critici ad Liv. 38, 14, 5.

Liv. 28, 28, 2. *Rhegium quondam in praesidium missa legio.* Tac. Hist. 4, 35. *datasque in praesidium cohortes velut multa pace ingredi accepit.* Cic. Verr. 3, 33, 76. *haec civitas mulieri redimiculum praebeat, haec in collum, haec in crines.* Virgil. Aen. 7, 664. *pila manu saevosque gerunt in bella dolones.* Aen. 7, 13. *urit odoratum nocturna in lumina cedrum.* i. e. ut praeberet lumina. Vellei. Pat. 2, 41, 2. *qui denique semper et somno et cibo in vitam, non in voluptatem uteretur.*

Liv. 33, 30, 10. *in haec obsides accepti.* *Nasci in aliquid* illustrat exemplis Cort. ad Lucan. 7, 643. Vellei. Pat. 2, 13, 1. *meliore in omnia ingenio animoque.* Ovid. Her. 15, 197. *non mihi respondent veteres in carmina vires.*

Liv. 26, 18, 4. *ut populus proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet.* 26, 18, 6. *ut nemo audeat in Hispaniam imperium accipere.*

Iustin. 18, 1, 3. *Alexandro et Heleno in solatia longinquae secum expeditionis adductis.* Quod in Phaedr. 1, 9, 8. defendunt: *lepus semianimus mortis in solatio*, ne latinum quidem videtur. Scribendum est *in solatia.*

Longa est disputatio, qua Fr. Vavassor in Antibarbaro p. 549. Kapp. demonstrat, nec Ciceronem, nec ante eum quemquam scriptorem dixisse *in honorem*, *in gratiam alicuius facere*, sed hunc usum pertinere ad posteriora tempora. Senec. Epist. 79, 2. *ut in honorem meum Aetnam quoque adscendas.* Plin. Epist. 7, 24. Velleii locum iam attulimus. Val. Max. 4, 8, 2. Livius dixit *ad honorem eius* 2, 27, 6. vid. Drakenb. ad 8, 14, 10. qui ad 39, 26, 12. exponit, Livium 28, 21, 4. 35, 2, 6.

et multis aliis in locis dixisse *in gratiam alicuius.* Vavassorem sequitur Eichstadius in Inscript. Arenar. p. 10.

Poetae liberiori compositione verborum utuntur. Lucan. 8, 589. *an tantum in fluctus placeo comes?* Senec. Agam. 99. *placet in vulnus maxima cervix.*

27. Hoc consilium atque finis rerum quum etiam pro caussa rei agendae haberi possit, interdum *in* ponitur, ubi caussale nomen *propter*, *ex* substituere licet. Id enim, quod consequuturi sumus, impellit nos ad agendum.

Tacit. Agr. 5. *nihil appetere in saevitiam.* Ann. 15, 44. *unde — miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur.* Vid. Wissowae Lect. Tacit. 1. p. 32. Walther. ad Histor. 1, 12. Senec. de Benef. 4, 1. *inveniuntur, qui honesta in mercedem colant.* Liv. 21, 43, 7. *in hanc opimam mercedem — arma capite.*

Tacit. Agr. 24. *partem Britanniae, quae Hiberniam adspicit, copiis instruxit in spem magis quam ob formidinem.*

28. Sed etiam conditio intelligitur, qua supposita aliquid fiat. Germani dicunt *auf etwas hin.* Et dicitur ita de rebus exspectatis, vel desideratis, vel appetendis.

Liv. 34, 35, 1. *conditiones, in quas cum tyranno pax fieret, has conscripsit.*

Tacit. Germ. 18. *in haec munera uxor accipitur.* i. e. sub conditione talium munerum: ἐπὶ τούτοις τοῖς δώροις. Kiefslingius explicuit: his muneribus examinatis et approbatis: nescio qua ratione.

Tacit. Ann. 11, 13. *ne in mortem parentum pecunias filiis familiarum foenori darent.* Liv. 44, 25, 10. *malebat in spem romanae pacis non recusare impensam.*

29. Verba *polliceri*, *fidem dare* et quae sunt huius generis, sequitur *in*, ut declaretur, quam ad rem pertineat pollicitatio.

Iustin. 11, 12, 1. *deprecatur redimendarum sibi captivarum potestatem faciat, inque eam rem magnam pecuniam pollicetur.*

Liv. 32, 24, 7. *fide in haec data.* 32, 30, 8. *in id data fides consuli est, ut in acie — quiescerent.* 28, 17, 9. *in id modo fide ab rege accepta.* vid. Drakenb. ad Liv. 44, 25, 6.

30. Huius rationis etiam ea sunt, quae ostendunt, quo nomine aliquid accipiatur aut valeat, et cui rei praestandae aliquid sit constitutum. Eadem sententia

potest appositionis forma exprimi: nam *esse in exemplum*, quod explicamus verbis *ut sit exemplum*, etiam dicitur *exemplum esse*. Hinc saepe factum est, ut librarii adderent praepositionem. Vid. Duker. ad Liv. 32, 38, 2. Gronov. ad Iustin. 22, 3, 4.

Iustin. 11, 12, 2. *Alexander in pretium captivarum regnum omne, non pecuniam petiit.* 12, 10, 6. *ibi in monumenta rerum a se gestarum Barcen condidit.*

Quintil. 10, 2, 2. *rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur.* i. e. ut exemplum.

Tacit. Ann. 6, 13. *silentium — in superbiam accipiebatur.* 1, 14. *muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens. In omen accipere.* vid. Drakenb. ad Liv. 21, 63, 14.

Columell. 4, 3, 6. *cuius* (fundi) *partem tertiam nubenti maiori filiae dedisse in dotem.* Liv. 28, 37, 4. *in supplementum classis iuventus armaque data.* ubi vide Drakenborch. Cornel. Timoth. 3, 2. *huic in consilium dantur duo usu sapientiaque praestantes.* Cim. 2, 2. *eoque decem millia Atheniensium in coloniam misit.* Bremius haec eiusdem generis putat redditque *um eine Colonie zu stiften.* Sed *in coloniam* potest ad formam appositionis referri.

31. *In hoc, in id, in quid.* Haec significant rem, propter quam aliquid fiat. Nec repugno, si quis grammaticus hanc sententiam verbis reddat *huius rei caussa*, modo ne intelligatur caussa primitiva, sed quae in efficienda re posita est. Ruhnkenius ad Vellei. Pat. 2, 41, 3. monuit, primos ita loquutos esse poetas graecissantes, et cogitavit hanc unam formulam, non, ut Kritzius ad Sallust. Cat. 50, 2. refert, omnem consilii significationem, quam ille bene novit omnibus scriptoribus fuisse cognitam.

Vellei. P. 2, 114, 2. *in hoc solum importatum instrumentum balinei.* 2, 41, 3. Ovid. Met. 8, 77. *neque in hoc tamen ignibus ullis aut gladiis opus est.* ubi vid. Burm. 10, 409. *et in hoc mea — sedulitas erit apta tibi.* Senec. Hipp. 1213. *in hoc redimus?* ubi Gronov. bene monet *in hoc* esse *ideo.* Walch. ad Tacit. Agr. 9. p. 177. Multa exempla vides notata in Bonelli Lex. Quintil. p. 410. Cf. Burmann. ad Lotich. T. 1. p. 209.

Liv. 21, 42, 2. *quum — deiecta in id sors esset.* 28, 17, 9. Vellei. P. 2, 27, 4. *a dispositis in id ipsum interemtus est.* Florus 4, 7, 13. *speculator in id missus.* i. e. speculandi caussa. ubi vid. Duker.

Horat. Epod. 17, 63. *ingrata misero vita ducenda est in hoc, novis ut usque suppetas laboribus.* Seneca Epist. 16, 3. *nec in hoc adhibetur, ut aliqua oblectatione consumatur dies.* de Ira 2, 26, 3. *alius non in hoc, ut offenderet, fecit.* Cons. ad Marc. 16. Quintil. 4, 5, 16. *etiamsi ipsa sunt dura, in id tamen valent, ut ea molliant, quae sequuntur.* Gaius Institut. 3, 90. Vellei. P. 2, 41, 3. *ita se per omne spatium — apud eos gessit — in hoc scilicet, ne, si quando aliquid ex solito variaret, suspectus his, qui oculis tantummodo eum custodiebant, foret.*

Senec. de Benef. 3, 15, 2. *in quid isti viri ornati adhibiti sunt?* 4, 13, 1. *mundus in quid vices suas absolvit?* Iustin. 38, 3, 4. *in quod tum missi.* ubi vide Beneckium.

32. Eventum cernimus in iis, quae in aliquam rem evadunt, vel aliquam formam induunt, vel aliquem effectum habent. His omnibus propria est praepositio *in*. Concisa vero structura nominum imprimis recentiores scriptores utebantur et technici: elegantiores non consueverant coniungere nomina per praepositionem simpliciter.

Hanc rem bene perspexit Gronovius ad Tacit. Ann. 2, 16. ubi: *intentus paratusque miles, ut ordo agminis in aciem adsisteret.* i. e. ut ordo agminis, quando adsisteret, aciem formaret. Plin. Hist. n. 18, 29, 69, 4. *acini in callum praecoquuntur.* 17, 24, 37, 6. Tacit. Ann. 15, 54. *pugionem asperari saxo et in mucronem ardescere iussit.* Plin. Hist. 18, 28, 67, 4. *mox insequente anno frumento, rursusque in prata tertio relinqui.* Claudian. IV. Cons. Hon. 617. *in civem rubuere genae.* i. e. genis alapa percussis factus est civis.

Cic. p. Cluent. 66, 188. *denique in familiae luctum atque in privignorum funus nupsit.*

De verbis *in frontem dirigere, instruere* Drakenborch. ad Liv. 37, 29, 5.

Virgil. Ge. 2, 448. *ityracos taxi torquentur in arcus.* Aen. 6, 42. *excisum euboicae latus ingens rupis in antrum.* 3, 533. *portus ab euroo fluctu curvatus in arcum.*

Plin. Hist. n. 33, 7, 40. *exustique tunduntur in farinam.* Stat. Silv. 3, 3, 104. *quae divum in vultus igni formanda liquescat massa.* Claudian. in Cons. Probr. 122. *immensa cornus in hastam porrigitur.* quod Burmannus male interpretatur: in usum hastae.

Finem simul intelligas in his Iustin. 3, 2, 9. *populum in obsequia principum, principes ad iustitiam imperiorum formavit.*

i. e. ut obsequerentur. Audaciori dictione Sallust. apud Arusianum Messum p. 240. *omnium partium decus in mercedem corruptum erat.* i. e. ut esset merces.

33. Eiusdem rationis sunt verba, quae mutationem indicant. Exeunt enim res in aliam formam, aut transferuntur in aliam conditionem.

Cic. de Fato 9, 17. *nec magis commutari ex veris in falsa ea posse, quae futura sunt, quam ea, quae facta sunt.* 9, 18. *nec magis immutabile ex vero in falsum.* Curt. 3, 8, 20. *in sollicitudinem versa fiducia est.*

De verbis *in melius mutare* Burmann. ad Lucan. 6, 60.

34. Eventum significant etiam *exardere in aliquid, accendere in iram.*

Virgil. Aen. 7, 445. *exarsit in iras.* Auct. Pan. Constant. 18. *in gaudia et vindictam populus romanus exarsit.* Orosius 6, 5. *in scelera exarsit.* Hegesipp. 3, 9. *irruptiones, quas in iram accendebat pudor.* Haec Cortius ad Lucan. 3, 133.

35. Poetae per praepositionem indicant, quid ex agendis rebus proveniat, quemve exitum habeat negotium: quod tamen saepe et ad finem et ad modum referri potest.

Stat. Theb. 5, 200. *vigilant nuptaeque nurusque in scelus.* Senec. Phoen. 298. *certant in omne facinus.* Lucan. 1, 5. *certatum totis concussi viribus orbis in commune nefas.*

36. Vtilitatem et commodum indicant verba *in rem esse*, hoc est prodesse, utile esse. Vid. Arusian. Messum p. 529. Similiter *e re esse*, quod caussam in ipsa re ponit, et *ob rem:* at non dixerunt Latini *in re esse*, quamquam id librarii supponere solebant. vid. Kritz. ad Sallust. Cat. 20, 1. Contrarium est *contra rem esse.* Alia ratione dicitur *usui esse in aliquam rem* et *fieri in aliquam rem* pro in usum alicuius rei.

Plaut. Aul. 2, 1, 10. *ut aequom est, quod in rem esse utrique arbitremur.* Terent. Hec. 2, 2, 7. *quod tu si idem faceres, magis in rem et nostram et vostram id siet.* 1, 2, 27. *si in rem est Bacchidis.* Andr. 3, 3, 14. Phorm. 1, 3, 9. Plaut. Pers. 3, 1, 14. *utrum hercle magis in ventris rem videbitur.* Liv. 26, 44, 7. *hortatur, imperat, quae in rem sunt.* 35, 35, 13. Vid. Gronov. ad 30, 4, 6. Drakenb. ad 22, 3, 2. Cortius ad Sallust. Cat.

20, 1. Ruhnken. ad Terent. Andr. 3, 3, 14. Exempla multa collegit Hadrian. Cardin. de Modis lat. loq. p. 238. (81.).

Beneckius ad Iustin. 13, 7, 13. observavit Latinos non dixisse *in rem publicam esse*, sed *e re publica.*

Liv. 37, 15, 7. *in duas res magnas id usui fore.* 34, 6, 6. *in navis administratione alia in secundam, alia in adversam tempestatem usui sunt.*

Virgil. Aen. 7, 13. *urit odoratam nocturna in lumina cedrum.* i. e. in usum luminum. *In hos usus* Aen. 4, 647. coll. Ovid. Met. 5, 111.

37. Modus, qui aliquam rem agendam moderatur aut regit aut format, cogitari potest ut exemplum, quod sequimur, vel ut res, in quam quasi ingredimur, et ad quam id, quod agimus, adhibemus et accommodamus. Illud Latini designant praepositione *secundum*, hoc praepositione *in:* Germani dicunt *auf* et *in* cum ablativo compositum.

Vbi nomen *modi* cum adiectivo iungitur, addita praepositione, notio exprimitur adverbii.

Plaut. Trin. 3, 3, 39. *is homo exornetur graphice in peregrinum modum.* Most. 4, 3, 41. *in perpetuum modum.* Cic. Verr. Act. 1, 5, 13. *cives romani servilem in modum cruciati et necati.* 5, 28, 73. de Prov. cons. 3, 5. *miserandum in modum milites populi romani capti, necati — sunt.* Sueton. Cal. 56. *in obscoenum modum.* Vbivis obvia sunt: *mirum in modum, mirabilem in modum, mirandum in modum.*

38. Cum genitivo nominis componuntur verba *in modum*, ut declaretur similitudo vel aequalitas. *In hunc modum* idem est quod *ad hunc modum.* Quare librarii saepe haec commutarunt. Vid. Oudendorp. ad Caes. B. gall. 5, 27. Tacitus dicit *in hunc modum esse.*

Liv. 5, 15, 4. *senior quidam Veiens — vaticinantis in modum cecinit, priusquam ex lacu albano aqua emissa foret, numquam potiturum Veiis Romanum.* 37, 46, 8. *in modum fugientium.* ubi Drakenb. Sallust. Cat. 12, 3. *quum domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas.* Sueton. Caes. 61. *in modum digitorum ungulis fissis.* Calig. 45. Apulei. Met. p. 126, 21. *in modum superbi iuvenis.* 116, 14. *in speluncae modum.*

Tacit. Ann. 1, 58. *verba eius in hunc modum fuere.* 3, 52. *quarum sententia in hunc modum fuit.*

39. Hinc in usum venerunt dictiones similes etiam hic a nobis notandae *in formulam*, *in formam*, *in faciem*, *in speciem*, *in habitum*, *in exemplum*, *in haec verba*, *in leges*.

Cic. p. Rosc. Com. 5, 15. *perinde ac si in hanc formulam omnia iudicia legitima — sint.*

Tacit. Ann. 15, 24. *legati — litteras in eamdem formam attulere.* 16, 1. *magna vis auri — non in formam pecuniae, sed rudi et antiquo pondere.*

Sueton. Cal. 19. *aggere — directo in appiae viae formam.*

In speciem pro *in formam* recentiores dixerunt. Columell. 9, 9, 7. *animadvertito, an totum examen in speciem unius uvae dependeat.* Scribon. 190. *buprestis — inflat totum corpus in speciem hydropici.* Veteres aut intellexerunt speciem externam et falsam: quod notum est. Cic. Verr. 5, 33, 86. *praeclara classis in speciem.* Liv. 3, 9, 13. *dilataque in speciem actione, re ipsa sublata.* vid. Drakenb. ad 3, 40, 7. et ad 4, 42, 4. Aut de pulcritudine speciosa: Propert. 2, 31 (23), 3. *tota erat in speciem poenis digesta columnis.*

Tacit. Hist. 5, 23. *amnis palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit.* Virgil. Ge. 4, 82. *haud unam in faciem nascuntur olivae.* ubi Cerda. Vid. Oudendorp. ad Apulei. Met. 3. p. 233. Ibi Apuleius suo more barbaro: *in asini faciem frena rodebam.*

Sueton. Aug. 45. *cui in puerilem habitum circumtonsam matronam ministrasse compererat.*

Sueton. Claud. 20. *superposuit altissimam turrim in exemplum alexandrini phari.*

Cic. p. Quint. 20, 63. *iudicium quin acciperet in ea ipsa verba, quae Naevius edebat, non recusasse.* Liv. 30, 43, 9. *senatusconsultum in haec verba factum est.* 38, 38, 1. *ibi ex decem legatorum sententia foedus in haec verba fere cum Antiocho conscriptum est.* 31, 9, 9. *vovit in eadem verba consul.*

Plaut. As. 1, 3, 81. *in leges meas dabo.* Terent. Heaut. 5, 2, 45. *tam facillime patris pacem in leges conficiet suas.* Liv. 33, 30, 1. *pax data Philippo in has leges est.* 23, 34, 1. *in has ferme leges — ictum foedus.* 42, 62, 5. *mitteret ad consulem, qui foedus in easdem leges renovarent.*

40. Sed modus agendi etiam in eo poni potest, quo agens tendit, aut quod actione efficitur. Quare *in* ita usurpatur, ut significetur, quomodo res formetur et

quali specie se offerat oculis vel animo. Hoc interdum adverbii instar est.

Liv. 3, 36, 1. *novosque collegas iam prius, quam inirent magistratus, in suos mores formare* (coepit). i. e. ut suos mores imitarentur.

Huc refero Quintil. 8, 3, 45. *ultima prioris syllabae littera — continuata cum insequente in naturam eius corrumpitur.* i. e. ut recipiat insequentis syllabae naturam, ut idem sonet.

Stat. Silv. 1, 5, 42. *vario fastigia vitro in species animosque nitent.* i. e. in species animosque repraesentandos, quasi quis dicat, speciose et animose.

41. Vtrumque hoc consociatum videmus in quibusdam formulis: sicuti *in hanc sententiam* esse potest secundum hanc sententiam, et ut appareat haec sententia, sive ut declaretur sententia, sive ut confirmetur ea. *In vota* est vel secundum voluntatem, vel ut votis satis fiat.

Cic. de Div. 2, 10, 25. *hoc idem significat graecus ille in eam sententiam versus.* ad Fam. 9, 15, 12. *quod in meam sententiam factum esse dicatur.* Caes. Bell. civ. 1, 1. *in eamdem sententiam loquitur Scipio.* Cic. ad Att. 12, 21. *quorum scripta omnia quaecumque sunt in eam sententiam, non legi solum, — sed in mea etiam scripta transtuli.* Caes. B. gall. 1, 45. *multa ab Caesare in eam sententiam dicta sunt.* Cic. ad Fam. 2, 4, 7. *in hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse confiderem.* ad Att. 2, 22. *haec et in eam sententiam quum multa dixisset, aiebat* etc.

Ovid. Amor. 1, 13, 45. *ipse deum genitor, ne te tam saepe videret, commisit noctes in sua vota duas.* Met. 9, 628. *multum est in vota, in crimina parvum.*

42. Ipsam similitudinem hac praepositione ita exprimi dicunt grammatici, ut *in* pro *instar* ponatur. Vide Salmas. Exercit. Plin. p. 156. 248. 368. Pricaeum ad Apulei. Met. p. 186. Oudendorp. ad Met. 3. p. 191. Burmann. ad Anthol. T. 1. p. 271. Ruhnken. in Lexic. Praef. p. 512. Friedem. quos praeivit Servius ad Virgil. Aen. 11, 771. *in plumam vero, in similitudinem plumae, ut* 6, 42. *excisum euboicae latus ingens rupis in antrum, id est, in antri similitudinem.* Quae verba non similitudinem, sed ipsam formam designant: nam rupes mutata erat in antrum. Poetis vero licuit omit-

tere notionem similitudinis, et Virgilius dixit Aen. 11, 771. *quem* (equum) *pellis aenis in plumam squamis auro conserta tegebat.* quod Sallustius in Fragm. Hist. apud Servium: *quae lintea ferreis laminis in modum plumae annexuerant.* Eumque usum poetarum suum fecerunt posterioris temporis scriptores. Neque enim ad totam latinitatem pertinet, neque ullum exemplum antiquius non pertinet ad eam observationem, quam exposui n. 33. Praeterea qui ex Plinii libris afferuntur loci, ipsi sunt dubii: in iis, quae in Apuleii Metam. leguntur, duo tantum exempla constant auctoritate codicum. Koelerus quum in Wolfii Analect. p. 332. per *in* exprimi dicit accessionem, sequutus Ruhnkenii doctrinam, non satis usum, nec rationem perspexit. Schwarzius haud probabili modo comparat Gallorum *en prince, en philosophe.*

Plin. Hist. n. 12, 17, 37. *hunc glomerari pulvere.* Frustra Oudendorp. defendit scripturam edit. parm. *in pulverem.* 13, 15, 30. *mensis praecipua dos in venam crispis vel in vortices parvos.* h. e. in formam venae. Albinov. in mortem Maecen. 87. *fudit Aloidas postquam dominator Olympi, dicitur in nitidum procubuisse bovem.* Non intelligitur in modum bovis, sed ipse Iupiter factus est bos. Quare pertinet hoc exemplum ad n. 33. *Procumbere* de transmutato corpore Iovis, et eo modo, quo Nemes. Cyneg. 29. ait: *ivit in arboreas frondes:* sed aptius illud naturae bovis videtur. Sic Philostrat. de vita Sophist. 2. p. 593. *Πρωτεὺς — ἐς λέοντα θυμοῦται, καὶ ἐς σῦν ὁρμᾷ, καὶ εἰς δράκοντα χωρεῖ, καὶ εἰς πάρδαλιν ἅττει.*

Apulei. Met. 3. p. 135, 36. *fixus in lapidem steti gelidus.* Omnes codd. habent *lapide.* Illud est, defixus, ut lapis factus viderer. 2. p. 116, 25. *lapideus Actaeon — in dorsum proiectus, iam in cervum ferinus.* non abest notio progressionis: quod nos *bis zur Hirschnatur.* 3. p. 139, 38. *iamque alternis conatibus libratis brachiis, in avem similem gestiebam.* Hic *in avem* pendet ex verbo *gestire*, ut sensus sit: cupiebam avis fieri. 4. p. 144, 23. *iacensque in mortuum non fustibus, non stimulis — tentavit exsurgere.* Sed codices alii, inter quos Pithoei, *in modum mortui:* quae dictio saepissime usurpatur ab Apuleio. 6. p. 185, 34. *quodsi vere Iupiter mugivit in bovem: potest in asino meo latere aliquid vel vultus hominis vel facies deorum.* Etiam hic alii codd. *in bove* praebent. Sed illud accipi debet pro *in modum bovis.*

Iustinian. Cod. 9, 9, 31. *quum vir nubit in feminam viris porrecturam, quid cupiatur ubi sexus perdidit locum?* i. e. quum vir nubit instar feminae se viris dediturae. Sed Cod. Theodos. 9, 7. ad Leg. Iul. de adulter. *in femina nubere.*

43. Recentissimae aetatis scriptores adiectivis, quae qualitatem hominis vel rei indicant, addere solebant nomen cum praepositione *in*, ut significarent, quem modum sive speciem attingeret illa qualitas. Vid. Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 22. Nos Germani id dicimus vocabulo *nach* post substantivum posito. Veteres Latini ablativum nudum posuerunt.

Apuleius Met. 1. p. 104, 2. *puer in mollitiem decorus insurgit.* p. 111, 2. *argento vel vitro aemulus in colorem.* i. e. *der Farbe nach.*

44. Nomen *partis* cum praepositione *in* coniunctum eamdem significationem exhibet accusativo casu quam ablativo. Quare *in utramque partem*, *magnam in partem*, idem est quod *in utraque parte*, *magna in parte*, etiam ubi verbum non accessum, nec effectum significat. Dicebatur etiam *in partem* pro ex parte. Cicero *in eam partem* scripsit, ubi posteriores *in id* scripsissent.

Cic. ad Att. 3, 21. *te oro, ut, si quid erit quod perspicias quamcumque in partem, quam planissime ad me scribas.* 11, 6. *Brundisii iacere in omnes partes est molestum.* ad Fam. 4, 10, 3. 13, 1, 4. *id quod mea intelliges, tua nullam in partem multum interesse, ita mihi des* etc. Vatin. ad Cic. 5, 10, 10. *te rogo — me tibi in omnes partes defendendum putes.*

Cic. de Off. 3, 23, 89. *in utramque partem disputat.* 2, 6, 19. 2, 12, 43. de contrariis exemplis. de Fin. 3, 4, 12. *qui omnia sic exaequarunt, ut in utramque partem ita paria redderent, uti nulla selectione uterentur.* de Off. 1, 23, 81. *constituere, quid accidere possit in utramque partem.*

Cic. de Off. 2, 13, 46. *facillime et in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros et sapientes viros — contulerunt.*

Inscriptio apud Murator. 587, 2. Orell. n. 4041. HESITATIONI PVBLICAE IN PARTEM MORAM ADEMERIT. Plaut. As. 3, 3, 89. *agesis tu in partem nunc iam hunc delude.* i. e. κατὰ μέρος, in suam partem.

Cic. ad Att. 16, 1. *has* (litteras) *scripsi in eam partem, ne me motum putares.*

Ceterum dictionem *in partem vocare*, i. e. participem reddere, illustrat Drakenb. ad Liv. 5, 21, 5. *in partem accipere* ad 10, 11, 10. *in partem venire* ad 6, 40, 18. et Burmann. ad Gratii Cyneg. 247.

45. *In numerum.* Mirabilia opinionum commenta de hac formula tradiderunt viri docti. Nam praeterea quod dicitur de mensura sonorum *(nach dem Tacte)*, apud Virgil. Ge. 4, 175. Ecl. 6, 27. Oudendorpius ad Lucan. 1, 111. eam arbitratur, interdum poni de iis, qui sine intermissione sequantur: ut apud Auson. Epist. 25, 24. *nec Dodonaei cessat tinnitus aheni, in numerum quoties radiis ferientibus ictae respondent dociles modulato verbere pelves*, et apud Virgil. Ge. 4, 175. Cortius autem ad Lucan. 1, 111. cum Grotio explicat verbis *ad augendum* sive *ad supplendum numerum.* Quo modo loci ab Oudendorpio memorati ad sonorum modum referantur, facile perspicitur. Scholiastae in Lucani loco vel adverbium fecerunt *innumerum*, i. e. sine numero, vel explicarunt *ut multi post bellum numerarentur occisi*, vel *ut numerus occisorum augeretur.* Graecos imitati sunt Latini. *Εἰς ἀριθμὸν* et *in numerum* dicebatur et de toto numero, *im Ganzen*, et de indefinito atque indiscreto numero, *im Haufen*, ut tantum turbam faciant.

Senec. de Clem. 1, 5. *princeps alios ex civibus suis, quia utiles bonique sunt, libens videat, alios in numerum relinquat.* Lucan. 2, 111. *in numerum pars magna perit.*

In vices idem valet quod *in vicem*, e quo factum adverbium *invicem:* quod vide suo loco.

Ovid. Met. 12, 160. *pugnam referunt hostisque suamque, inque vices adita atque exhausta pericula commemorare iuvat.* 4, 191. *inque vices illum, tectos qui laesit amores, laedit amore pari.* Iuvenal. 6, 311.

46. Divisione res discedunt in singulas partes. Hoc significatur praepositione *in.*

Caes. B. gall. 1, 1. *Gallia omnis divisa est in partes tres.* Cic. Partit. orat. 9, 33. *quae quidem in confirmationem et reprehensionem dividuntur.*

47. Eadem est ratio in distributione rerum. Notatur enim hac praepositione, quibus singulis aliquid sive aliqua pars tribuatur. Omittitur interdum nomen *singulus*. Graeci εἰς et κατὰ, Germani *in* et *auf* dicunt.

Cic. p. Flacc. 26, 62. *adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, fruges, iura, leges ortae atque in omnes terras distributae putantur.* in Verr. 2, 53, 133. *describebat censores binos in singulas civitates Timarchides.* p. Balb. 21, 48. *qua lege Saturninus C. Mario tulerat, ut in singulas colonias ternos cives romanos facere posset.* Sueton. Caes. 38. *veteranis legionibus praedae nomine in pedites singulos super bina sestertia, quae initio civilis tumultus numeraverat, vicena millia nummum dedit.* Cic. in Verr. 4, 26, 58. *ut in singula conclavia — tricenos lectos optime stratos — quaereret.*

Plaut. Aul. 1, 2, 30. *dividere argenti dixit nummos in viros.* i. e. viritim. Liv. 34, 50, 6. *quod Polybius scribit, centum talentis eam rem Achaeis stetisse, quum quingenos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, statuissent.* Virgil. Aen. 5, 61. *bina boum vobis Troia generatus Acestes dat numero capita in navis.* Cf. Burmann. ad Sueton. Caes. 54. Alia apud Hadrianum p. 255. (87.).

Cic. ad Q. Fratr. 3, 1, 3. *is se ternis nummis in pedem tecum transegisse dicebat.*

48. Neque aliter in numeranda et designanda pecunia vel pretio, ubi dicitur, quantum contingat cuique vel quantum exigatur a singulis. Germani *auf*. Hinc formula *in capita*, i. e. *kopfweis*.

Cic. in Caec. Div. 10, 30. *quaeritur Sicilia tota, C. Verrem aratoribus — pro frumento in modios singulos duodenos sestertios exegisse.* in Font. 5, 9. *itaque Titurium Tolosae quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse.*

Caes. B. civ. 1, 52. *iamque ad denarios quinquaginta in singulos modios annona pervenerat.*

Liv. 2, 33, 11. *extulit eum plus sextantibus collatis in capita.*

49. Quod alias dicitur *inter aliquos dividi*, id quidam scriptores etiam per *in* expresserunt.

Tacit. Ann. 2, 67. *Thracia in Rhoemetalcon filium — inque liberos Cotyis dividitur.*

50. Singulari modo Tacitus scripsit Ann. 1, 55. *spes incesserat dissidere hostem in Arminium et Sege-*

stem. ubi Wopkensius corrigi iubet *inter.* Est vero discedere hostem in partes Arminii et Segestis.

51. In mensura definienda additur altitudinis vel latitudinis nomen. Sed dici poterat et *in altitudine* et *in altitudinem.* Libri scripti utramque formam fere ubique exhibent, nec certo argumento constitui poterit, utrum praestet. cf. Oudendorp. ad Caes. B. gall. 2, 6. et ad 7, 46. Vtraque forma apta videtur iis, quae de exstruendis operibus vel muris vel fossis dicuntur. Haec enim in longitudinem etiam perducuntur, in altitudinem extolluntur.

In Caes. B. gall. 2, 5. codices omnes: *castra in altitudine pedum duodecim vallo fossaque duodeviginti pedum munire iubet.* 1, 8. *murum in altitudinem pedum sedecim fossamque perducit.* 7, 46. *medio fere colle in longitudinem, ut natura montis ferebat — murum — praeduxerant Galli.* 2, 7. *amplius millibus passuum octo in latitudinem patebant.* vide Drakenb. ad Liv. 38, 59, 6. Plin. Hist. n. 6, 27, 32. *emunito situ iuxta, in longitudinem III mill. pass. in latitudinem paullo minus.*

Existimabant grammatici dici posse *tres pedes in longum:* et Iacob. Gronovius id concludit ex verbis Melae 1, 20. *obliqua tunc regio et in latum modice patens:* quae ad ea referri debent, de quibus nos n. 13. Apud Liv. 21, 8, 11. olim legebatur: *ferrum autem tres in longum habebat pedes.* Sed meliores libri *in* omittunt, ut *ferrum* sit accusativus casus. Saeculo postremo tamen illud etiam usurpabatur.

52. Adiectivis praefixa praepositio format notionem modalem, quae etiam adverbio exprimi potest. Hic usus ad seriora maxime tempora attinet, in quibus novae formae inventae sunt ad minuendam linguae inopiam, aut ex graeca lingua translatae. Graeci enim ἐς μέσον (Theogn. 679.), εἰς κοινόν, similiaque habent. Sic dicitur *in universum*, *in totum*, *in commune*, *in plenum.* Sallustius iam *in maius celebrare* dixit, quod Thucydides 1, 21. ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμεῖν. Apud Tacitum etiam nova quaedam invenies, ut *in barbarum.*

Arusianus Messus p. 530. *in maius audivit pro plus quam.* Conf. Oudendorp. et Cortius ad Lucan. 1, 89. Koelerus in Wolfii Analect. 4. p. 332.

Liv. 9, 26, 8. *non nominatim, qui Capuae, sed in universum qui usquam coissent coniurassentve adversus rem publicam, quaeri*

senatum iussisse. Columell. 4, 24, 4. *haec in universum: illa per partes custodienda sunt.* 3, 12, 6. *nobis in universum praecipere optimum visum est, ut in locis frigidis meridiano vincta subiiciantur.* Tacit. Germ. 5. *terra etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda.* 6. *in universum aestimanti plus penes peditem roboris.*

Celsus 1, 3. extr. *aestate in totum, si fieri potest, abstinendum est* (venere). Quintil. 3, 6, 32. *cui ab infitiando nomen alii in totum dederunt, alii in partem.* 4, 1, 72. *Aristoteles quidem in totum id necessarium apud bonos iudices negat.* 8, 6, 8. vid. Spalding. ad 3, 8, 58. et ad 4, 1, 63. Plinius in Historia Nat. frequentissime utitur his verbis et Senec. de Ira 1, 16, 11. Columell. 2, 1, 2. *quod ipse quoque confiterer, si in totum nullae fruges provenirent.* 2, 11 (12), 8. 12, praef. 10.

Senec. Ep. 95, 53. *habeamus in commune, quod nati sumus.* ubi Gronov. 48, 2. *in commune vivitur.* Tacit. Hist. 1, 25. *erant quos memoria Neronis ac desiderium prioris licentiae accenderet: in commune omnes metu mutandae militiae terrebantur.* 1, 36. *quos adhuc singulos exstimulaverat, accendendos in commune ratus.* 1, 85. Ann. 15, 12. *his atque talibus in commune alacres iter properabant.* Germ. 27. cf. de Orat. 26. Claudian in IV. Cons. Hon. 296. *in commune iubes si quid censesve tenendum, primus iussa subi.* in Eutrop. 2, 602. Vid. Cort. ad Lucan. 2, 390. 1, 89. De verbis *in commune consulere* vid. Kreyssig. apud Beierum ad Cic. Fragm. p. 263.

Plin. Hist. n. 16, 40, 79. *in plenum dici potest, utique quae odore praecellant, ea aeterhitate praestare.* 23, 1, 18. 12, 16, 35. *in plenum autem probatio est minutis glebis.*

Sallust. Iug. 73, 5. *Mari virtutem in maius celebrare.* ubi vid. Kritz. et Drakenb. ad Liv. 28, 31, 4. Cortius ad Plin. Epist. 3, 11, 1. ubi multa exempla verborum *in maius extollere, in maius augere,* aliaque. Celsus 2, 2. *aliter se corpus habere atque consuevit, neque in peius tantum, sed etiam in melius.* Virgil. Aen. 1, 285. *consilia in melius referet.* vid. Markland. ad Stat. Silv. 1, 6, 65. Senec. Hippol. 408. Tacit. Hist. 3, 7. *in maius accipitur.* Ann. 14, 43. *in deterius.* Sallust. Hist. 1. apud Arusianum p. 530. *haec postquam Varro in maius more rumorum audivit.*

Tacit. Ann. 14, 39. *cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata.* Quintil. 1, 3, 1. *in peius notabile.*

Senec. de Ira 2, 11, 3. *quid enim est iracundia in supervacuum tumultuante frigidius?* Consol. ad Marc. 1, 6. De verbis *in*

reliquum vid. Gronov. ad Liv. 23, 20, 6. Sallust. Iug. 42, 4. *plusque in reliquum sibi timoris quam potentiae addidit.* ubi Cortius. Liv. 41, 23, 15. *cogitare iubet, quomodo in reliquum hoc munere non egeatur.* 36, 10, 14. *ad confirmandos in reliquum sociorum animos.* Sueton. Aug. 41. *qui cavere in duplum possent.*

Lexic. Cyrilli apud Vulcan. p. 444. *εἰς μάτην, gratis, in vacuum.* Quo modo Salmasius aliique explicuerunt locum Sueton. Claud. 9. *ut in vacuum lege praediatoria pependerit. In immensum* modo cum verbis procedendi vel exeundi, modo augendi componitur. Ovid. Amor. 3, 12, 4. *exit in immensum fecunda licentia votum.* Met. 4, 660. *partes auctus in omnes crevit in immensum.* Apulei. Met. 10. p. 245, 13. *video in immensum damni querelam procedentem.* Plin. Hist. n. 10, 36, 52. *in multum velociores.* Tacit. Ann. 6, 42. *civitas septa muris neque in barbarum corrupta.* Hist. 5, 2. *aucto in barbarum cognomento.* 12, 69. *nullo in diversum auctore.*

De omissa praepositione in verbis *immensum*, *aeternum* vid. Oudendorp. ad Apuleii Met. p. 45.

53. *In tantum* et *in quantum* formulae sunt, de quarum probitate multae exstant grammaticorum disputationes. Dubitarunt enim, num latine et eleganter ita loquerentur. Vide Flavii Coniect. 77. Ios. Mercer. ad Septim. 2, 32. Vossium de Vit. Serm. 9, 11. Daumium de Caussis amiss. lat. ling. radicum p. 130. Schurzfleisch. ad Tacit. de Orat. p. 128. Gronov. ad Liv. 37, 57. Cellar. Curae Post. p. 370. Borrichii Append. ad Curas post. p. 85. Ruhnken. ad Vellei. Pat. 1, 9, 3. Burmann. ad Ovid. Met. 11, 71. et ad Vellei. Pat. 2, 53. et ad 1, 13. et ad Quintil. 2, 10, 4. et ad Claudian. IV. Cons. Hon. 412. Significationis nulla est difficultas. Sed antiqui scriptores elegantiores dixerunt *tantum*, *quantum.* Livius et poetae augustei aevi *in* addiderunt, eosque sequuti sunt recentiores plurimi. Cerda ad Virgil. Aen. 6, 177. narrat nonnullos scribendum censuisse uno verbo *intantum.* Sed vide Burmann. ad Vellei. P. 2, 53.

Liv. 22, 27, 4. *in tantum suam felicitatem virtutemque enituisse.* Ibi tamen unus cod. Iovel. *in* omittit. Virgil. Aen. 6, 876. *nec puer iliaca quisquam de gente Latinos in tantum spe tollet avos.* Iustin. 41, 1, 11. 43, 3, 13. Plin. Hist. n. 8, 16, 21. *male credi libertas ei, cui in tantum cessisset etiam feritas.* 7, 30, 31. Tacit. Germ. 45. Senec. Quaest. nat. 3, 24, 1. *quare quaedam aquae caleant, quaedam etiam ferveant in tantum, ut non*

possint esse usui. 6, 29. Epist. 95. Plin. 6, 27, 32. 34, 12, 30. 10, 53, 74. Columell. 1, 8.

Vellei. Pat. 1, 9, 3. *tum senatus populusque rom. L. Aemilium Paullum — virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus potest, consulem creavit.* 2, 43, 4. *viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest.* 2, 114, 5. 1, 9, 3. Tacit. de Orat. 2. *in quantum satis erat.* ubi Eckstein.

Ovid. Met. 11, 71. *quippe pedum digitos, in quantum quaeque sequuta est, traxit.* Vellei. Pat. 2, 8, 1. 2, 120, 3. Senec. Controv. 3. Prooem. p. 221. Elsevir. Cf. Barth. Adversar. 16, 6. 24, 3. Burmann. ad Rutil. Itin. 1, 46.

Dictys Cret. 2, 32. *in aliquantum tracto certamine.* de quo usu Wopkens. in Miscell. Observ. Nov. Vol. 2. p. 36.

54. *In publicum* est publice, nec tantum cum verbis deponendi conferendive, sed etiam cum aliis coniungitur. Cf. Oudendorp. ad Caes. B. civ. 1, 23. Quomodo *in commune* dicatur, expositum est p. 330. Nec differt *in medium*, quod est vel in communem usum, vel publice. Et ad idem genus referri debet *in vulgus* pro *vulgo* positum.

Caes. B. civ. 1, 23. *sestertium sexagies — in publicum deposuerat.* 2, 22. *frumentum in publicum conferunt.*

Caes. B. civ. 2, 21. *pecunias in publicum polliciti.* Quae si cognita habuissent critici, non dubitavissent de loco Quintil. 10, 7, 1. *vix enim bona fide viro convenit auxilium in publicum polliceri, quod in praesentissimis quibusque periculis desit.* Tacit. Ann. 2, 48. *magnificam in publicum largitionem auxit Caesar.* 13, 56. *haec in publicum Ampsivariis respondit.* De verbis *in publicum dare, redimere, sumere, referre* Gronov. ad Liv. 2, 9, 6. Verba *in publicum addicere* illustrat Herzog. ad Caes. Bell. civ. 2, 18.

Sallust. Fragm. Histor. IV. 16. *dissidere inter se coepere neque in medium consultare.* Virg. Ge. 1, 127. *in medium quaerebant.* 4, 157. Senec. Agam. 666. *iuvat in medium deflere suos.*

Cic. ad Att. 9, 5. *alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus.* Liv. 9, 33, 5. Tacit. Ann. 2, 59. *in vulgus grata.* 1, 28. 6, 45. *tanto acceptius in vulgum.* Liv. 22, 3, 14. *milite in vulgus laeto ferocia ducis.*

55. *In primum* errant qui accipiunt pro *primum, primo.* Nam apud Livium per ellipsin usurpatur pro *in primum agmen.* 10, 46, 7. *sic in primum infestis hastis provolant.* 3, 62, 8. Vide Gronov. ad 10, 14, 17.

56. *In omnia* est prorsus, vel in omnibus rebus, *in jeder Rücksicht.*

Vellei. Pat. 2, 97, 1. *homine in omnia pecuniae quam recte faciendi cupidiore.* 2, 13. *meliore in omnia ingenio animoque quam fortuna usus.* 2, 117, 3. vid. Heins. ad 2, 69. Quintil. 11, 3, 25. *ut simul in omnia paremur.* Culex 232. *densentur in omnia poenae.*

57. *In antecessum dare, accipere, solvere,* de argentariis dicitur, ut sit dare ante tempus legitimum vel constitutum. Tum etiam de quacumque re praesumpta. Gloss. vet. *εἰς προχρεῖαν.*

Senec. Epist. 7, 8. *ex quibus unum haec epistola in debitum solvet, duo in antecessum accipe.* 118, 1. *bene credi tibi scio: itaque in antecessum dabo.* de Benef. 4, 32, 4.

58. Adiectiva *obliquum, rectum, transversum* et quae sunt alia nomina praepositionem *in* recipiunt, ut directio et forma significetur: quod Germani eodem modo exprimunt.

Plin. Hist. n. 37, 9, 53. *alba nigraque macula in transversum distinguente crystallum.* 27, 9, 55. *radices utrique longae in obliquum.* 18, 22, 51. *quaterna cubita eius soli in quadratum.* 19, 6, 31. *cepe et allium non nisi in rectum radicantur.*

59. *In incertum* est in incertum eventum, *aufs Vngewisse.*

Liv. 43, 12, 2. *priusquam id sors cerneret, in incertum, ne quid gratia momenti faceret, in utramque provinciam, quod res desideraret supplementi, decerni.* cf. Gronov. Observat. 1, 25. extr.

V. 1. Temporis nomina accusativo casu posita praepositionem *in*, qua introitus quasi significatur, non uno modo assumunt. Nam primum dicitur progressus in tempore, veluti *in lucem, in noctem.* Quod tantum in quibusdam formulis usurpatur. Tum vero intelligitur, quam diu res sit perduratura, sive quod tempus res sit expletura, veluti *in decem annos*, quod est decennium. Graeci *ἐν πέντε ἡμέραις.* Sed Latini prospiciunt ad temporis terminos, et antiquo quidem usu semper in his rationem habuerunt futuri et instantis temporis. Germani dicunt *auf zehn Jahre, zehn Jahre lang.* Recentiores scriptores autem et poetae simpliciter *in* usurpabant pro *per.*

Horat. Epist. 1, 18, 34. *dormiet in lucem.* quod non est usque ad lucem, sed quod Germani dicunt *in den Tag.* De verbis *in noctem* vide infra.

Liv. 9, 37, 12. *inducias in triginta annos impetraverunt.* 7, 20. 8. *inducias in centum annos factas in senatusconsultum referri placuit:* Tibull. 4, 2, 23. *hoc solemne sacrum, multos hoc sumet in annos.* Lucan. 7, 640. *in totum mundi prosternitur aevum.* 8, 782. *quo te fama loquax omnis accepit in annos.*

Vlpian. in Digest. 7, 3, pr. *aliter atque si cui in menses vel in dies vel in annos singulos quid legetur: tunc enim per dies singulos vel menses vel annos dies legati cedit.* Celsus 4, 20. *circumcidendum vinum est in totum annum, etiam si casus idem non revertitur.* i. e. per totum annum. Horat. Art. p. 60. *ut silvis folia pronos mutantur in annos.* i. e. per autumnalia tempora.

In omne tempus est *für alle Zeit.* Cic. ad Fam. 5, 15, 1. *nisi id verbum in omne tempus perdidissem.* Ovid. ex Pont. 4, 5, 39. *iurat, se fore mancipium tempus in omne tuum.*

Deinde non diuturnum tempus intelligitur, sed certum tempus, quod vel ad rem agendam constituitur, vel cui aliquid est destinatum aut reservatum. Germani *auf* et *für* dicunt. Qui hodie scribunt *pro hoc die, pro hoc anno*, audiant Hadrianum Cardin. de Modis lat. loq. p. 250. (85.).

Plaut. Stich. 3, 2, 24. *alium convivam quaerito tibi in hunc diem.* 4, 1, 12. *ille heri me iam vocaverat in hunc diem.* Cic. de Leg. Agr. 1, 2, 4. *audistis auctionem populi romani proscriptam a tribuno plebis constitutam in mensem Ianuarium.* de Off. 3, 14, 58. *ad coenam hominem in hortos invitavit in posterum diem.* p. Deiot. 7, 21. *in posterum diem distulit.* de Div. 2, 6, 17. *solis defectiones itemque lunae praedicuntur in multos annos ab iis, qui siderum cursus et motus numeris persequuntur.* i. e. *auf viele Jahre.* Liv. 2, 42, 7, *nec in praesens modo, sed in venientem etiam annum M. Fabium — et L. Valerium consules dedit.* 3, 38, 3. *iubent acciri omnes senatumque in diem posterum edicunt.* Cic. p. Mil. 9, 24. *subito reliquit annum suum, seque in annum proximum transtulit.* Alia vide apud Hadrian. Cardin. l. l.

Caes. B. gall. 1, 20. *monet, ut in reliquum tempus omnes suspiciones vitet.* 3, 16. *in quos eo gravius Caesar vindicandum statuit, quo diligentius in reliquum tempus a barbaris ius legatorum conservaretur.* 1, 53. *utrum igni statim necaretur, an in aliud tempus reservaretur.*

Tum etiam ipsum tempus futurum, ad quod quid pertineat, aut in quo quid fiat seu eveniat, significatur. Eumdem in modum Germani loquuntur *für* et *auf*.

Cic. p. Sext. 8, 20. *habebit senatus, in hunc annum quem sequatur.* Plaut. Stich. 4, 2, 55. *nusquam edepol me vivum quisquam in crastinum prospiciet diem.* Cic. Tusc. 1, 38, 91. *quo minus in omne tempus rei publicae suisque consulat.*

Denique *in* extremum terminum temporis indicat et pro *usque ad* usurpatur, interdum ipso vocabulo *usque* addito. Cicero non ita loquutus est, nec puto antiquiores. Nam quod afferunt Epist. 2, 3, 4. *omnem hanc disputationem in adventum tuum differo.* aliam habet caussam in verbo *differre*, nec est nomen temporis. Veteres tamen *in* posuerunt, ubi sermo erat de re ad aliquod tempus protracta et extensa.

Columell. 2, 10, 17. *seritur* (semen lini) *a calendis octobribus in ortum aquilae, qui est VII idus decembris.* 2, 10, 18. *ab aequinoctio autumnali serenda sunt in idus octobr.* 3, 14, 1. *ab idibus octobr. in cal. decembres.* Alia vide apud Drakenb. ad Liv. 5, 17, 10. et ad 1, 43, 5. Iustin. 31, 2, 3. *igitur quum tota die in oculis principum legatique romani in foro Carthaginiensium obversatus in supremum fuisset.* Gronovius bene emendavit *in supremam.*

Horat. Epist. 1, 17, 6. *si te grata quies et primam somnus in horam delectat.*

Quintil. 12, 11, 20. *neque illi didicerunt haec usque in senectutem.* 8, 3, 68. *male in illum usque diem servati fato senes.* Sueton. Oth. 11. *in serum usque patente cubiculo, si quis adire vellet, potestatem sui praebuit.* Aug. 17. Ner. 22. Silius 11, 392. *regnum trahat usque in tempora fati.* Lucan. 6, 300. *usque in pacem.* i. e. usque eo, ut bellum conficerent pace.

2. Formae usitatae sunt *in posterum*, *in futurum*, *in perpetuum*, *in aeternum* et *in praesens*. Illa plerumque de tempore dicuntur instante, cui aliquid destinatum est, vel cui quid impendet: *für die Zukunft*, *für immer: in praesens* de eo, quod praesenti tempori adsignatur ideoque terminis praesentis temporis includitur: *für jezt:* quod etiam ad ea refertur, in quibus acquiescimus aut reliqua differimus: *vor der Hand.*

Cic. in Catil. 4, 5, 10. *sancit in posterum, ne quis huius supplicio levando se iactare possit.* p. Cluent. 44, 123. *videte, quid*

agatis, ne in unumquemque nostrum censoribus in posterum potestatem regiam permittatis. Cic. ad Fam. 10, 12, 8. *res in posterum dilata.* Caes. B. Gall. 7, 11. *in posterum oppugnationem differt.*

Liv. 34, 27, 10. *id aegre et in praesentia hi passi et in futurum etiam metum ceperunt.* 30, 17, 1. *ingenti omnium et in praesens laetitia et in futurum spe.* Tacit. Hist. 1, 71. *effugio in futurum, — diffidentia praesentium mutationem pavens.*

Cic. in Verr. 1, 30, 77. *quod enim eum tibi quaestoris in locum constitueras, idcirco tibi amicum in perpetuum fore putasti.* ad Fam. 13, 4, 6. Sueton. Caes. 26. Aug. 16.

Liv. 34, 6, 4. *quae* (leges) *non in tempus aliquod, sed perpetuae utilitatis caussa in aeternum latae sunt.* 6, 21, 2. *hostes novi praeter Volscos velut sorte quadam prope in aeternum exercendo romano militi datos — subito exorti.* De verbis *in aeternum non* pro *numquam* positis, sed ab antiquo usu alienis Vorstius de Lat. merito susp. c. 5.

Cic. in Catil. 1, 9, 22. *video — quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens, — at in posteritatem impendeat.* Horat. Art. 44. *ut pleraque differat et praesens in tempus omittat.*

Sed ex iis, quae paullo ante monui, intelligitur, quo modo *in futurum* etiam significet *futuro tempore*, et apud recentiores scriptores *in praesens* id quod *in praesentia*, *praesenti tempore.* Sic certe Sallustius, Livius aliique. vid. Cort. ad Sallust. Cat. 16, 3. Doederlinus autem in Synonym. T. 1. p. 142. id negare videtur, quum subtilius distinguat: *in praesens* significare futurum tempus proximum, quod una cum praesenti tempore comprehendatur: *für jezt und die nächste Folgezeit:* atque ita non id indicari, quod ipsum nunc fiat, sed id, quod ratione futuri temporis habita interim fieri dicatur. At haec redeunt ad ea, quae modo exposui. Nam accusativus non indicat futurum tempus una comprehendi aut cum praesenti connecti, sed id, quod fiat, tempori praesenti assignari.

Sallust. Cat. 16, 3. *si caussa peccandi in praesens minus suppetebat, nihilo minus insontes sicuti sontes circumvenire.* Liv. 25, 35, 7. *his anxius curis id modo esse salutare in praesens credebat.* 42, 47, 8. conf. Drakenb. ad 7, 30, 1. Tacit. Ann. 3, 28. Gellius 12, 12. *quum pecuniam in praesens non haberet.* Apud Ciceronem frustra quaeres eiusmodi exempla.

3. Recentiores scriptores *in tempus* dixerunt pro *in praesens tempus*, sed ita, ut vel breve, non perpetuum tempus intelligeretur, vel consilio terminatum, ubi Germani *für den Augenblik*. Hinc de rebus non diuturnis, sed interim faciundis. Ambiguitas vero ipsi nomini temporis innata interdum permittit, ut *aliquod tempus* intelligamus. Arusianus Messus interpretatur p. 529. *processu temporis*. Vid. Cort. ad Lucan. 1, 181.

Tacit. Ann. 4, 66. *quod unum urgentium malorum suffugium in tempus erat.* 1, 37. *sensit miles in tempus conficta.* 6, 11. *ne urbs sine imperio esset, in tempus deligebatur, qui ius redderet et subitis mederetur.* 14, 20. *quippe erant qui Cn. quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent, quod mansuram theatri sedem posuisset: nam antea subitariis gradibus et scena in tempus structa ludos edi solitos.* Quintil. Decl. 246. *hoc quid est, quod tu vis vocari in tempus venenum, quo mens aufertur?* Quae verba corruptela non laborant. Intelligitur venenum non efficax et in breve tempus soporem iniiciens.

Sallust. apud Arusianum p. 529. *itaque cetera ex licentia, aut odio, aut avaritia in tempus arsere.*

4. *In praesentiam*, quod sit *in praesens*, criticorum nemo agnovit, donec Doederlinus Synonym. T. 1. p. 144. hanc formam in antiquis libris servatam, nec analogia destitutam, vindicare conatus est apud Tacit. Agr. 31. *nos integri et indomiti et* (alii *etiam*) *libertatem non in praesentiam laturi, primo statim congressu unde* (Doederlinus eleganter, sed non probabiliter coniecit *uno die*) *ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.* Quodsi alia exempla in promptu essent, de veritate sententiae numquam dubitaremus.

5. Formula *in praeteritum* accommodatur aliis verbis ita, ut intelligi possit: quod ad praeteritum attinet: sed intelligimus valere in praeteritum tempus.

Quintil. 7, 4, 30. *quos* (mores) *quanto magis in praeteritum laudaverit, tanto facilius probabit morbo esse mutatos.* 2, 4, 37. *in rebus* (quaeritur), *an lex sibi ipsa consentiat, an in praeteritum ferri debeat.*

6. *In annum* intellige vel in tempus anni, quovis anno, *jährlich*, vel de proximo anno, qui sequitur: de qua re Gronov. et Drakenb. ad Liv. 4, 54, 6.

Sueton. de Gramm. 17. *sestertia centena in annum accepit.*

Liv. 44, 17, 1. *in sermonibus homines habebant, quos in annum consules ad finiendum tandem id bellum crearent.* 41, 14, 3. 27, 6, 12.

7. *In noctem* dicunt de rebus ultra diurnam lucem protractis: *in die Nacht hinein*, usque in noctem. Saepe idem est quod *in nocte:* quocum librarii commutare solent. vid. Oudendorp. ad Sueton. Aug. 33. Distinguit Plinius Epist. 4, 9, 14. *dixit in noctem atque etiam nocte, illatis lucernis.* ubi edit. roman. omittit nomen noctis secundo in loco. Alibi exprimitur consilium destinatae rei.

Cic. de Rep. 3. apud Arusianum Messum p. 239. Lindem. *sermonem in multam noctem produximus.* Sueton. Tib. 74. *exarsit prima vespera atque in multam noctem luxit.*

In Sueton. Aug. 33. *ipse ius dixit assidue et in noctem nonnumquam.* codices praebent *in nocte.* Celsus 7, 27. *si febris non desinit eaque in noctem augetur.*

Virgil. Aen. 7, 8. *adspirant aurae in noctem.* quod Servius explicat *circa noctem.* Virgilius vero imaginem poeticam expressit, non tempus cogitavit. Nocturnas auras descripsit. *Lüfte wehten in die Nacht.* Hoc non sensisse videtur Burmannus. Sed Ge. 4, 189. *siletur in noctem.* Intelligo *für die Nacht:* se componunt in noctem silentes. Sallust. apud Arusian. Messum p. 239. *ut si iliam fugam innocentem in noctem componerent.*

8. *In tempora, in saecula.* Intelliguntur diuturnum tempus, multa saecula. Sic *in longum, in aevum.*

Lucan. 1, 181. *avidumque in tempora foenus.* ubi Oudendorp. et Cortius. 5, 621. *lassatum in saecula fulmen.* 8, 608. ubi idem Cortius.

Tacit. Ann. 1, 69. *odia in longum iaciens.* 11, 20. *unde tenuis fructus, nec in longum fuit.* Hist. 4, 79.

Lucan. 7, 131. *qui fatum rebus in aevum conderet humanis.*

9. *Dies* quum et certum temporis spatium et breve tempus significet, utroque modo dicitur *in diem*, de eo quod vel per unum modo diem valet, vel quod cum quovis uno die redit, ut sit aut in unum diem, *auf einen Tag*, aut in breve tempus. Alia significatio complectitur futurum tempus, cui aliquid praesens reservatum sit. Sic loquimur de eo, quod differtur, sed etiam

de eo, quod cum futuro tempore exstiturum putatur. Praeterea *in diem* pro *in dies* ponitur de eo, quod quotidie fit. Vide n. 10. Iurisconsulti autem verba *in diem* usurpabant in formulis contractis, velut *in diem emere*, i. e. emere in diem solvendum, nec tantum de certo die solvendae pecuniae, sed de tempore, quo quid fieri debebat, aut quo usque aliquid valebat. Denique *in diem vivere* dicitur de eo, qui ultra unum et praesentem diem nihil curat, nec id, quod futurum est, consulit: idque transfertur ad eum, qui inconsiderate agit, nec vitae suae rationes instituit. cf. Heusinger. ad Cic. Phil. 2, 34. Inest igitur aliqua negligentiae et incuriae significatio. vid. Ernestii Clav. Cicer. p. 468. Nam quod Germani loquuntur *in den Tag hinein leben*, ex ipsa hac latina dictione ortum videtur.

Ovid. Met. 2, 47. *currus rogat ille paternos inque diem alipedum ius et moderamen equorum. auf einen Tag.* Lactant. 2, 9, 12. *sicut sol, qui oritur in diem, licet sit unus — tamen quia verum ac perfectae plenitudinis lumen est, et calore potissimo et fulgore clarissimo illustrat omnia.* Alia videtur haec significatio esse, qua Lactantius dicit solem oriri ad diem efformandum. At *in diem* pro *in dies* posuit, quod est *quotidie*, quoque die. Plin. Hist. n. 5, 15, 17. *in diem ex aequo convenarum turba renascitur.* i. e. quovis die.

Plin. Hist. n. 21, 1, 1. *flores vero odoresque in diem gignit.* Intellige breve tempus.

Cic. de Petit. cons. 12. *id si promittas, et incertum est et in diem et in paucioribus.* Opponitur *statim.* Senec. de Prov. 4, 13. *nulla illis domicilia, nullae sedes sunt, nisi quas lassitudo in diem posuit.*

Liv. 31, 29, 15. *natura enim, quae perpetua est, non mutabilibus in diem caussis, hostes sunt.*

Liv. 22, 39, 13. *in diem rapto vivit.* 22, 40, 8. *nihil ex raptis in diem commeatibus superabat.*

Cic. p. Coel. 24, 58. *cur interdum in hominum sceleribuss maximis aut connivetis, aut praesentis fraudis poenas in diem reservatis?* Terent. Eun. 5, 7, 19. *sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse, quod minitare.* quod alii de hodierno die, aut de brevissimo tempore interpretantur: at de futuro dicitur. Phorm. 5, 2, 16. *praesens quod fuerat malum in diem abiit.* Paullus in Dig. 17, 1, 1, 3. *mandatum et in diem differri, et sub conditione contrahi potest.*

Quintil. Declam. 3, 9. *in diem sperare etiam processus potest.*

Cornel. Attic. 9, 5. *quum illa fundum secunda fortuna emisset in diem.*

Vlpian. in Dig. 23, 3, 43. *sin vero obligatio in diem fuerit* etc. 5, 3, 16. *quodsi in diem sit debitor vel sub conditione* etc. *In diem stipulari* et alia vd. in Brisson. de Verb. signif. p. 588. b.

Plin. Pan. 40, 3. *qui eiusmodi ex caussis in diem edicti vicesimam debeat.* Paullus in Dig. 26, 7, 53. *si in diem finitae tutelae idonei permansissent tutores.*

Quintil. Declam. 13, 17. *non ut ferae volucres, non praesentis modo cibi memores, in diem vivunt: duraturus hiemi reponitur victus et repletis vere cellis tutus annus est.* Colum. de Re r. 3, 3, 6. *fructum plerique quam uberrimum consectantur, nec provident futuro tempori, sed quasi plane in diem vivant, sic imperant vitibus et eas multis palmitibus onerant, ut posteritati non consulant.* Cic. de Orat. 2, 40, 169. *si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.* Hoc est nullam habere curam futuri temporis. Plin. Ep. 5, 5, 4. *nam qui voluptatibus dediti quasi in diem vivunt, vivendi caussas quotidie finiunt: qui vero posteros cogitant —, his nulla mors non repentina est.* His demonstrari potest transitus in metaphoricum usum. Cic. Phil. 2, 34, 86. *iamiam minime miror, te — cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem vivere.* de quo loco vide Heusingerum et nos Tom. 2. p. 206. Phil. 5, 9, 25. *at hi qui in horam viverent, non modo de fortunis et de bonis civium, sed ne de utilitate quidem sua cogitaverunt.*

Cic. Tusc. 5, 11, 33. *tu quidem tabellis obsignatis agis mecum et testificaris, quid dixerim aliquando aut scripserim: — nos in diem vivimus: quodcumque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus.* Wolfius monet *in diem vivere* hic esse libere philosophari, *frei forschen.* At Cicero etiam hoc loco opponit rationem, et se Academicum nullam certorum praeceptorum habere rationem, sed *quodcumque animum probabilitate percusserit, id dicere*, nec curare, quid alias statutum sit.

Cellarius, Hadrianum Cardinalem sequutus, in Cur. post. p. 298. exposuit formulam *ex die in diem* non fuisse Latinis usitatam, sed ex Hebraeorum lingua desumptam.

10. *In dies* et *in singulos dies* distributionis ratione dicitur, ut contrarium sit *in perpetuum, in longum tempus.* Intelligitur enim, rem pertinere ad singulos

dies vel ad unum diem, vel ad unumquemque: quo *in dies* proxime accedit ad *quotidie*. Hinc Arusianus Messus p. 530. *in dies pro quotidie*. conf. Lambin. ad Horat. Sat. 2, 6, 47. Priscianus p. 1187. comparat graeca καθημέραν et καθ' ἑκάστην ἡμέραν. Sed Laur. Valla Elegant. 3, 68. acute perspexit discrimen verborum *quotidie* et *in dies*, quorum hoc rei accrescentis certum modum proprie indicat: nec non vidit, vulgari usu haec non distingui, sed *in dies*, non addito nomine *singulos*, etiam pro *quotidie* usurpari. Quando vero comparativus additur vel verbum, quod augendi vel accrescendi notionem exprimit, *in dies* et *in singulos dies*, *in horas* et *in singulas horas* significant res cum quoque die auctas: *von Tage zu Tage*, *von Stunde zu Stunde*. Livius et Plinius et alii eodem modo dixerunt *in diem*, ut esset aut *von Tage zu Tage*, aut *quotidie*, quod L. Valla fieri posse negavit. Vid. Drakenb. ad 21, 11, 11. Ceterum saepe *in dies* pro *in singulos dies* ponitur.

Cincius in iureiurando militari apud Gellium 16, 4. *pluris nummi argentei in dies singulos.* Cic. ad Att. 12, 13. *cura, ut excuser morbi caussa in dies singulos.* 12, 15. *apud Apuleium quoniam in perpetuum non placet, in dies ut excuser, videbis.* Multa alia exempla collegit Hadrian. Cardinal. de Modis lat. loq. p. 252. (86.).

Plaut. Epid. 1, 1, 51. *id adeo argentum ab danista apud Thebas sumpsit foenere, in dies minasque argenti singulas nummis.* Sallust. Iug. 44, 5. *panem in dies mercari*, i. e. *auf Tage.* ubi Valla *in diem* scribendum censuit, reprobatus a Kritzio, qui tamen omittere debebat locum Sallust. Hist. fragm. apud Nonium 4, 62. Ibi varia et incerta est scriptura.

Liv. 34, 11, 4. *signis collatis dimicandum sibi in dies exspectet.* Sallust. Iug. 74, 1. *itinera praefectosque in dies mutari.*

Cic. ad Att. 5, 7. *quotidie vel potius in dies singulos breviores litteras ad te mitto: quotidie enim magis suspicor te in Epirum iam profectum.* i. e. non modo breves sunt et breviores quam olim, sed cum unoquoque die breviores: *mit jedem einzelnen Tage werden sie kürzer.* ad Fam. 6, 4, 5. *illa in dies singulos magis magisque opinio hominum confirmatur.*

Cic. in Cat. 1, 2, 5. *crescit in dies singulos hostium numerus.* ad Att. 2, 22. *nunc ita nos gerimus, ut in dies singulos et studia in nos hominum et opes nostrae augeantur.*

Cic. ad Fam. 2, 18, 1. *mihique scito in dies maiori curae esse dignitatem tuam.* Trebon. ad Cic. 12, 16, 7. *cohortari non in-*

termittemus, quo in dies longius discendo exercendoque se procedat. ad Att. 6, 2. *quem mehercule plus plusque in dies diligo.* Phil. 1, 2, 5. Sueton. Tib. 13. *contemptior in dies.*

Cic. Top. 16, 62. *ut vitium in dies crescat.* de Fin. 4, 24, 65. *hi curatione adhibita levantur in dies: alter valet plus quotidie, alter videt.* de Sen. 14, 50. *quod ait* (Solon) *versiculo quodam —: senescere se multa in dies addiscentem.* Planc. ad Cic. 10, 9, 2. *in dies meritorum meorum fieri accessiones.*

Liv. 2, 12, 10. *proinde in hoc discrimen, si iuvat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo.*

Cic. ad Att. 14, 20. *consilia temporum sunt: quae in horas commutari vides.* Horat. Art. 160. *mutatur in horas.* Sat. 2, 7, 10. *vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas.* i. e. *auf Stunden, für kurze Zeit.* Sed Plin. Epist. 3, 17, 3. *ipse valeo, si valere est suspensum et anxium vivere exspectantem in horas.* Virgil. Ecl. 10, 73. *cuius amor tantum mihi crescit in horas.* i. e. *von Stunde zu Stunde.*

Phaedr. 3, 15, 14. *ut exspectarem lanium in horas singulas.*

De formula *in dies magis magisque* vide Cortium ad Sallust. Cat. 5, 7.

Recentissimo tempore scribae unum fecerunt vocabulum *indies*, uno accentu in praepositionem retracto: quod ipsum improbari non poterat. Cf. Cort. ad l. l.

Liv. 21, 11, 11. *interiora tuendo minorem in diem urbem Saguntini faciunt.* ubi Valla *in dies.* 31, 29, 15. *natura enim, quae perpetua est, non mutabilibus in diem caussis hostes sunt.* Horat. Sat. 2, 6, 47. *per totum hoc tempus, subiectior in diem et horam invidiae noster.* Bentleius acute perspexit in verbis Carm. 3, 29, 42. *cui licet in diem dixisse: vixi.* intelligi *quocumque transacto die, quotidie*, uti apud Lactantium. vid. p. 340. Cf. Vossius ad Vellei. P. 1, 52.

11. Cum temporis ratione, ut fere fit, convenit numerus. Itaque *in* cum nominibus numeri compositum significat ad hunc numerum.

Liv. 1, 43, 5. *tertiae classis in quinquaginta millium censum esse voluit.* ubi Drakenb.

12. Quod vulgo dicebatur *ter in anno*, de quo p. 281. dixi, id etiam accusativo exprimitur: *ter in annum.* Refertur enim numerus ad tempus definitum: *aufs Jahr gerechnet.*

Tacit. Ann. 3, 71. *dum ne diebus publici sacrificii, neu saepius quam bis eumdem in annum.*

VI. 1. Restant ea, quae in accusativo cum hac praepositione coniuncto aut dubiae aut propriae sunt constructionis. Atque p. 291. expositum est a me, quomodo grammaticorum observationes, quibus demonstrabant, Latinos promiscue adiecisse huic praepositioni casum ablativum pro accusativo, ad certas rationes reduci deberent. Id iterum comprobandum erit in accusativo. Nam quod vitiosum recte censemus, non solum a cultiore, ut aiunt, latinitate, sed ab omni Latinorum usu abhorret: quamquam non unus Gebhardus exstitit, qui contenderet Livium 3, 69, 6. scribere potuisse *quum consules in concionem pronuntiassent*, et 6, 21, 8. *neque in senatum solum per eos legatio impedita est:* quae errores sunt scribarum aperti. Cortius ad Sallust. Cat. 42, 3. Wassius ad Cat. 19, 2. Ruddimannus Tom. 2. p. 326. adeo affirmarunt latine dici posse *in agris abire, in senatu venire:* de quo vide p. 298. Et fuere, qui priscam venustatem grammaticis legibus non obnoxiam, sed a librariis indoctis oblitteratam, admirarentur et ubique restituendam existimarent. vid. Künöl. ad Propert. p. 103. Quae Klenzius ad Fragm. Legis Servil. p. 23. nuperrime adnotavit, rem non ratione, sed exemplis declarant adhuc distinguendis. Oudendorpius ad Frontin. 1, 3, 5. et interpretes Curtii 3, 1, 1. vera cum falsis, antiqua cum novissimis miscent. Saniore iudicio utuntur Clarkius et Davisius ad Hirtii B. Afr. 47. Drakenborchius ad 2, 14, 6. scripsit: „toties Livius aliique optimi scriptores regulas grammaticorum de regimine praepositionis *in* neglexerunt, ut priscorum patriciorum exemplo eos his plebiscitis non teneri existimari possit.“ Attamen ipse ille vir doctus prudenter nos monet, ne in vindicandis his loquutionibus nimii simus: et Zumptius ad Cic. Verr. p. 308. ne in formulis quidem consuetudine comprobatis, nisi codicum auctoritas cogat, recedendum censet a grammatica lege. At ipsa haec auctoritas codicum non semper tantum valet, quum librarii in restituendis formulis antiquam elegantiam affectare solerent: immo iam antiquiores grammaticos nimia subtilitate lapsos esse, testatur Gellius 1, 7. cf. Beneckius ad Cic. de Imp. Pomp. p. 211. Kritzius, qui ad Sallust. Iug. 112, 2. omnibus subtilius et doctius de hac re disputavit, iure refutavit archaismi excusationem et in ipsam rei caussam inquisivit, recurrens ad confusionem illam notionum, quae

multis admodum placuit: contrahi duas enuntiationes in unam, et *in potestatem esse* qui dixerit, cogitasse *in potestatem venire et in ea esse.* At non supprimitur cogitatio, neque accusativus pendet ex alieno verbo substituendo in allatis exemplis: quin potius perpauca sunt, in quibus praeceps cogitatio notionem aliquam exprimendam transmittit: veluti quum Liv. 8, 20, 7. dixit: *Vitruvium in carcerem asservari iussit:* id est in carcerem coniici et ibi asservari. Sed varia sunt harum dictionum genera. Ante omnia igitur secludendi sunt loci, in quibus indocti librarii vel aliorum verborum similitudine decepti, vel properante calamo litterae *m* notam apposuerunt: qui multi admodum sunt: et ii etiam, in quibus seduli scribae antiquitatis colorem orationi addere studuerunt. Vide Schwarz. ad Plinii Paneg. p. 63. et p. 150. Tum non modo depravatae latinitatis recentissimae usum, in quo nec casuum nec praepositionum legitimus modus constabat, non ad bonos scriptores pertinere censebimus, sed ne id quidem concedemus Klenzio, antiquiorum libertatem sive negligentiam nullis certis finibus circumscriptam fuisse. Inscriptiones lapidum fere nihil probant, quippe quae aut male descriptae aut ab indoctis artificibus factae sint. Quae restant vindicanda exempla non destituta esse videntur caussis ac ratione, neque decet ad antiquissimorum scriptorum negligentiam provocare, ubi lex et natura linguae decrevit. Quae enim Catonis et Varronis exempla afferuntur, sic sunt comparata, ut, quod testimonio gravissimorum auctorum defensurus es, potius librariorum negligentiae aut inscitiae tribuendum videatur. Nec omnium verborum una est ratio. Verbum *esse* potest cum *in* et accusativo componi, ubi non tam status et conditio indicatur, quam progressus ac directio, et ubi dicitur rem ad aliquid pertinere aut alicui rei inservire vel destinatam esse. Sic fit, ut *esse* pro *venire*, εἶναι pro ἔρχεσθαι poni videatur. *Esse in potestatem alicuius* significat, esse aliquid alicuius potestati traditum: *esse alicui in mentem* idem fere significat quod venire in mentem, *einfallen*, sed dativus addatur necesse est: *esse in iudicium* pro sistere se in iudicium ferendum: *in conspectum esse*, intelligimus, ut veniant in conspectum, ad conspectum: similiter *in usum esse.* Alias formulas, veluti *rem esse in vadimonium* apud Cic. p. Quint. 5, 22. *in controversiam esse* apud Pe-

tron. 15. quibus dicitur esse ad aliquam rem praestandam vel in aliquid efficiendum, eas nemo a legibus grammaticis aberrare putabit. Qua ex caussa etiam verbum *habere* recte coniungitur cum accusativo, qui effectum, consilium, finem designat: *in potestatem habere*, *in custodiam habere*, *in memoriam h. in matrimonium h.* Et in hunc modum etiam *retinere in potestatem.* Praeterea potest oratio, uti iam dixi, contrahi, duabus notionibus in unam coniunctis, et poetis licet liberiori cogitatione id, quod factum aut statum erat, designare quasi demum res conditionem aliquam ineat, vel aliquo moveatur. Quae reliqua sunt exempla, aut pertinent ad mutatae orationis genus, aut sunt recentissimae latinitatis depravatae, aut corruptela laborant.

Cic. de Leg. Man. 12, 33. *quum vestros portus atque eos portus, quibus vitam et spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestatem sciatis.* Gellius 1, 7. narrat suo tempore iam aliis *in potestatem* visum esse soloecismum, ab aliis defensum et certa ratione et auctoritate veterum scriptorum, cui ipse addit sonum et posituram. In libris scriptis hodie legitur *in potestate.* Vid. Steinmetzius. Eadem est res in Orat. in Verr. 2, 27, 67. Sed 5, 38, 98. *in eorum potestatem portum futurum intellegebant.* de Leg. 3, 17, 37. *eam optimam rem publicam esse dico, — quae sit in potestatem optimorum.* ubi conf. Goerenz. Quintil. 6, 2, 29. *neque enim sunt motus in nostram potestatem.* In Caes. B. civ. 1, 25. codices consentiunt in verbis *in potestate:* neque aliter in Liv. 45, 6, 12. sed 2, 14, 4. *quae* (auctio fortunae regiae) *ne in potestatem quidem populi romani esset.* et 24, 1, 13. optimi libri: *ut — portus in potestatem Locrensium esset.* Val. Max. 1, 6, 3. *sic enim Veios in potestatem populi romani futuros.*

Sallust. Ing. 112, 3. *quum talem virum in potestatem habuisset.* Auct. Bell. Hisp. 36, 1. Omitto nomina criticorum, qui de hac verborum constructione disputarunt: sunt innumeri: pauci meliores. In Cic. Phil. 3, 4, 8. *pollicetur enim se provinciam Galliam retenturum in senatus populique romani potestatem.* Differunt quidem libri, tamen etiam accusativum vindicabimus explicatione: ut esset in potestate.

In manus esse nemo dixit, etiamsi Cortius codicum quorundam auctoritate id comprobaturus erat in Sallust. Cat. 51, 36.

Plaut. Amph. 1, 1, 25. *numero mihi in mentem fuit.* Bacch.

1, 2, 53. *ecquid in mentem est tibi.* conf. Critici ad Amph. 2, 2, 34. Sciopp. Lect. Suspect. 1, 17. p. 40. Liv. 33, 10, 4.

Sueton. Aug. 16. *militibus in conspectum fuisse.* Nec tamen credam quibusdam libris, qui in Curt. 6, 5, 26. praebent *ut primum rex in conspectum fuit*, nullo dativo adiecto. Liv. 22, 20, 6. *quod satis in usum fuit.*

Caton. Dist. 24. *in iudicium adesto.* ubi vid. Arntzen. p. 23. Cic. Phil. 5, 7, 19. *adesse in senatum iussit.*

Cic. Div. in Caec. 20, 66. *ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi romani ditionemque essent, iniurias propulsare.* Liv. 6, 2, 3. *numquam ambigua fide in amicitiam populi romani fuerant.* Leg. Thoriae Fragment. *quei eorum in amicitiam pop. romani bello poinicio proximo manserunt.* unde idem restitui iusserunt in Cic. de Sen. 12, 41.

In custodiam habere legitur in optimis libris apud Liv. 22, 25, 6. in quibusdam 34, 27, 6. apud Tacit. Hist. 1, 87. *In memoriam habere.* Plaut. Poen. 5, 4, 108. *facito in memoriam habeas tuam maiorem filiam mihi te despondisse.* Liv. 33, 10, 4. *parcere victis in animum habebat.* Iustin. 7, 6, 11. *Troadem in matrimonium habebat.* non sine varietate lectionis.

Petron. 15, 3. *res — quae viderentur in controversiam esse.* vid. Voss. de Construct. 65. Ovid. Her. 16, 138. (140.) *in dubium Veneris palma futura fuit.*

Propert. 3, 9, 60. *quod feror in partes ipse fuisse tuas.* Non tantum in partibus patroni stantem, sed videmus etiam in partest eius agentem clientem.

Lucret. 1, 888. *herbarum genera et fruges frundeisque videri dispertita ac in terram latitare minute.* i. e. *in die Erde verkriechen.*

Quod apud Varron. de Re rust. 1, 54. exstat, *in vindemiam diligentius uva legitur*, et idem in fragm. apud Nonium 17, 16. (vid. not. ad Gronov. Diatr. p. 139.), si auctoritas librorum accesserit, equidem non reprehenderim, sed explicuerim, in usum vindemiae, *zur Weinerndte.*

Multi sunt loci, in quibus codicum discrepantia non ante admittebat iustum iudicium, quam meliorum librorum testimonio grammaticae rationes confirmatae essent. Huius generis est Cic. ad Fam. 12, 4. *fama nuntiabat te esse in Syriam.* Liv. 37, 56, 6. *in libertatem esse.* 2, 33, 6. *in stationem Marcius fuit.* Terent. Eun. 2, 2, 29. *me esse in tantum honorem:* ubi codd. *in tanto honore.* Adde Sueton. Caes. 7. Plin. Pan. 37, 3. Nemo audiet Bothium, qui Plautum scripsisse

existimat Aul. 4, 10, 73. *iam esse in vadum salutis res videtur.* In Cic. p. Quint. 30, 92. quaedam editiones habent: *ea res enim nunc in discrimen versatur.* Quod adeo invenit suos defensores: tanta erat inopportuna credulitas. Librarii in Cic. Phil. 5, 12. scripserunt *qui in exercitum Antonii sunt:* critici defenderunt, nec minore temeritate, quam in orat. p. Scaur. 2, 24. *ego mihi provinciae caussam in provinciam ipsam cognoscendam et discendam putavi.* Aut accusativus casus, aut verbum erat mutandum.

Plaut. Capt. 1, 1, 2. *invocatus soleo esse in convivium.* Ita in codd. legi Scioppius tradit. Sed recte dicitur *adesse in convivium.* Quemadmodum Varro de L. L. 5 (6), 5 (40). *quorum in partum memoria adfuerit nostra.* Graeci *παρεῖναι εἴς τι.*

In Cic. ad Att. 15, 4. *ut certior fieret, quo die in Tusculanum essem futurus.* Comparant critici *in conspectum esse*, quod omnino alienum. Libri Malaspinae praebent *venturus:* bene, nisi quis dicat, talia vitia non dedecori esse familiari sermoni, sicuti nostrum vulgus loqui audimus: *ich war nach Leipzig geworden.*

Narrant in Plauti Epid. 2, 2, 7. legi: *nam ego illum audivi in amorem haerere apud nescio quam fidicinam.* At in edit. princ. legitur *nam ego illum adivi iuniorem haerere* etc. Tamen verbum *haerere* recte cum accusativo componitur. Liv. 1, 14, 11. *haerens in terga Romanus.* Ammian. Marc. 14, 9, 2. *cautela nimia in peiores haeserat plagas.*

Mutata orationis forma aut ellipsis in caussa est interdum, ut praepositio cum accusativo casu componatur. Sueton. Tiber. 38. *sequenti tempore, praeterquam in propinqua oppida, et quum longissime, Antio tenus, nusquam afuit.* Facile intelligitur, quo modo vocabula *in oppida* aliud verbum, quod Suetonius omisit, requirant. Cic. ad Att. 12, 37. *maxima est in Scapulae celebritas, propinquitas praeterea, ubi sis, ne totum diem in villam.* Itineris nomen omittitur. Contractae sunt notiones in verbis Liv. 1, 18, 3. *fama in Sabinos.* Tacit. Ann. 11, 6. *fama in posteros.* Varro de Re r. 88. *eam muriam in labella vel in patinas in sole ponito.* Cic. p. Arch. 7, 9. *nullam lituram in nomen A. Licini videtis.* i. e. inductam. Quae Stürenburgius comparat, ut adversativam significationem declaret, non apta videntur. Non potest huc referri, quod legitur in Dig. 1, 2, 31. *et quia magistratibus vespertinis temporibus in publicum esse inconveniens erat.* Nam *in publicum* pro adverbio ponitur.

Alia reguntur verbi notione. Plaut. Rud. 5, 1, 6. *nunc alte-*

ram illam, quae mea est, visam huc in Veneris fanum. Cas. 2, 3, 26. *ubi in lustra iacuisti?* Nam lustra sunt libidines, et sententia haec est: ubi iacuisti lustris studens (Asin. 5, 2, 17.). Similiter Lucan. 9, 116. *composita in mortem iacuit*: de Cornelia, quae se morti praeparavit. conf. Cort. ad Plin. Epist. 5, 5, 5. Sed cum aliis Kritzius interpretatur illa: ubi in lustra incidisti in iisque iacuisti. Senec. Cons. ad Marc. 2, 1. *scio a praeceptis incipere omnes, qui monere aliquem volunt, et in exempla desinere.* Nam desinere est ad terminum progredi. vid. II. 1. Plaut. Most. 1, 2, 2. *argumentaque in pectus multa institui ego.* Terent. Ad. 1, 1, 13.

Sed haec non tantum valent, ut etiam corrupta verba defendamus. Cic. p. Scauro 24. *tamen ego mihi provinciae caussam in provinciam ipsam cognoscendam et discendam putavi.* Quae Beierus affert, nihil efficiunt: sententia manet falsa et inepta. Scribendum est *in provincia.* Sallust. Cat. 11, 5. *exercitum quem in Asiam ductaverat.* Ita ediderunt ii, qui opinabantur *in Asiam* eleganter dici pro *in Asia* de commoratione. *Ductare* enim hic est ducem esse. Vide Kritzium.

Technicorum lingua etiam apud Romanos magnam licentiam habuit concessam: tamen ne inepta dicta negligentiae nomine excusemus, cavendum erit. Formulae technicae videntur hae apud Catonem de Re r. 39, 2. *inde laterculos facito, coquito in fornacem.* 156, 5. *brassicam in aquam macerare oportet.* In 39, 2. *per imbrem in villam quaerito quid fieri possit.* veteres editiones habent *in villa.* 52, 1. *eum qualum aut calicem terra impleto calcatoque bene, in arborem relinquito.* Scribendum est *religato.* Varro de Re r. 2, 1, 21. *cuius scientiae genera duo, unum, ut in hominem, ad quem adhibendi medici.* Verba *ut in hominem* a glossatore adscripta esse censuit Vrsinus: sed integra videntur. vide p. 311. 3, 14, 3. *si rivus non prohibet, in parietes stantes invenit.* Scribendum videtur *in parietes reptantes invenit.* i. e. *die Wände hinan.* vide p. 303, 5. Gellius refert 10, 24. Coelium in Historiar. libro secundo scripsisse: *die quinti Romae in Capitolium curabo tibi coena sit cocta.* atque haec verba ex Origine M. Catonis desumpta esse, in quo ita scriptum fuisset: *die quinti in Capitolio tibi coena cocta erit.* Quid inde? Coelius ipsa verba magistri equitum carthaginiensis non modo afferre, sed etiam servare voluit barbari hominis loquelam.

Inscriptiones, quae non usum scriptorum, sed inscitiam artificum comprobant, exstant apud Murat. 177, 1. (Orelli n. 2446.) BATHYLLVS AEDITVS TEMPLI DIVI AVG ET DIVAE AV-

GVSTAE. QVOD EST IN PALATIVM IMMVNIS ET HONORATVS. quod tamquam exemplum optimi aevi Garatonius affert ad Cic. p. Quint. 30. Tabula apud Caeretes reperta (Gruter. p. 214. Orelli n. 3787.) IN CVRIAM FVERVNT. Tabula Neap. apud Gruter. p. 208. (Orell. n. 4405.) *quamquam non iure facta emtione semper in possessionem fuerint.* Hanc elegantiam sibi vindicant iurisconsulti. vid. Dig. 22, 3, 14.

Postremi saeculi scriptores non puduit soloecismi. Iul. Obseq. Prodig. 100. *avis incendiaria et bubo in urbem visae.* Hygyn. Fab. 82. *ob id dicitur ad inferos in aquam media fine corporis stare.* Aut ineptiunt, aut corrigenda haec sunt verba.

Quam seduli fuerint grammatici in commendando archaismo, vide in Burmanni notis ad Sueton. Tiber. 6. et apud Arntzen. ad Aurel. Vict. de Illustr. Vir. 6, 9. Arntzenius dubitabat, an Aurelius scripsisset: *quod in proelium hostem percussisset.* Quod Cortius elegantiae nomine vindicavit in Sallust. Cat. 51, 36. *cui item exercitus in manus sit.* scripserunt etiam librarii in Apulei. de Dogm. Plat. p. 254. Oud.

Ex iis, quae exposui, facile intelligetur, esse etiam in latina lingua verba, quae utrique rationi et status et locationis conveniant, nec opus esse in iis explicandis artificiosa criticorum interpretatione. Sic *in medium relinquere* haud probabiliter demonstrant in se habere *in medium vocare ibique relinquere:* significat enim relinquere, ut sit in medio, *für die Mitte.* Hoc modo etiam *haerere in aliquid, adesse in aliquid, condere, includere in aliquid, desinere in aliquid* dicuntur.

Considere, quod cum ablativo componitur, etiam accusativum assumit, ubi occupandi notio inest activa. Curt. 7, 3, 23. *permissum in novam urbem considere.* Sic Graeci καθέζεσθαι εἴς τι. vid. Taylor ad Lysiam p. 72.

Tacit. Ann. 4, 25. *truci clamore aderant semisomnos in barbaros.*

Cic. Verr. 5, 55, 144. *in praedonum hostiumque custodias tu tantum numerum civium romanorum includere ausus est?* Liv. 35, 30, 12. *incluso tyranno in urbem.* 30, 21, 31. *hominibus acceptis et in carcerem conditis.* Multa alia memorat Burmann. ad Virgil. Aen. 2, 24. et Drakenb. ad Liv. 38, 59, 10. et ad 23, 2, 9.

Novum argumentum Oudendorpius invenisse sibi visus est, ut defenderet apud Frontin. 1, 3, 5. *Hasdrubal — in Hispaniam victum exercitum — per urbes divisit:* sicuti *intra Hispaniam*, ita etiam *in Hispaniam* dici, ut illud ipsum exprimeretur. At in hac quidem re

vehementer fallitur. Iustinus et qui istius aetatis fuere scriptores, dicebant *bellum gerere in Graeciam.* 3, 1, 1. 42, 5, 6. id est, adversus Graeciam: sed non potuit scribere, nec scripsit de bello in Sicilia gesto 5, 1, 1. *dum Athenienses in Siciliam bellum — gerunt.* nec 2, 13, 6. *satis multos hostes in Graeciam remanere dictitans,* nec Curtius 3, 5, 13. *Darium quinto die in Ciliciam fore nuntiatur.* etiamsi codices quidam, non omnes nec meliores id exhibent. Vid. Davisius ad Hirt. B. Afr. 47. Frontinus potuit Stratag. 2, 4, 4. scribere: *aciem, quam is in Achaiam per angustias Thermopylarum direxerat:* non potuit in loco supra memorato *in Hispaniam:* nec consentiunt libri. Klenzius certissimum huius usus documentum reperiri existimabat in inscriptionibus tabulae heracleens. lin. 50. IN VRBEM PROPIVSVE VRBEM ROM. et in Lege Servil. p. 23. QVEIVE IN VRBEM ROMAM — HABITET. Quae quibus auctoribus tribuamus, antea innuimus.

Quae Burmannus ad Sueton. Caes. 54. affert, nihil comprobant, nec ibi scribi potest *in Italiam.* Meliores codices ablativum habent etiam in Hirtii B. Afr. 47, 4.

2. Praetermittere quaestionem de omissa praepositione a multis iam institutam nos non licebit propterea, quod quaedam inveniuntur huic uni particulae propria. Saepe enim a librariis praepositionem temere adiectam esse critici contendunt: at non raro etiam omissa ea est vel casu vel falso iudicio. Sed usus etiam multas dictiones servavit, quarum modum non ad alias eiusdem generis adhibitum videmus. Dicebant veteres *in manu tenere*, *in oculis*, *in auribus tenere*, sed *animo tenere*, *memoria tenere*, non praefixa praepositione. In aliis multis utraque forma aequale ius obtinet, veluti *in animo volvere* et *animo volvere.* vide Cort. ad Sallust. Cat. 32, 1. Ablativi, qui absoluti vulgo appellantur, saepissime succedunt in vicem praepositionis, iique non tantum participiis formantur, sed etiam adiectivis et pronominibus et genitivo substantivis adiecto, Apud scriptores posterioris saeculi saepe etiam simplici substantivo exprimitur conditio rerum. Illius generis sunt Cic. p. Mil. 10, 28. *magno et impedito et muliebri et delicato ancillarum puerorumque comitatu.* Agrar. 1, 8, 24. *hoc motu atque hac perturbatione animorum atque rerum.* 2, 21, 55. *hac nostrum frequentia.*

de Leg. 3, 16, 37. *non quid hoc populo obtineri possit — tibi dicendum puto.* ad Att. 10, 11. *sed ea sunt tolerabilia, quid enim dicam? hac iuventute.* Cassius ad Cic. 12, 13, 8. *delectum remigum magna contumacia civitatum, tamen satis celeriter habuimus.* in Catil. 1, 3, 7. *discessu ceterorum.* Multa alia collegit exempla Wunderus ad Cic. p. Planc. 6, 15. Sed poetae Propert. 1, 17, 20. *illa meo caros donasset funere crines.* Lucan. 9, 615. *morsu virus habent.* Quae licentia sunt facta. De praepositione non omittenda in gerundio adiecto dictum est p. 286. Tamen Cic. ad Fam. 3, 9, 11. *negligens scribendo.* 2, 1, 2. *scribendo impiger.* Critici utroque loco inserunt *in.* Alia aliis rationibus reguntur. Quintil. 10, 3, 31. *scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi.* Spaldingius necessariam putabat praepositionem, quae in cod. florent. adscripta est. Frotscherus autem hanc sententiam reprobat loco 11, 2, 32. allato: *illud neminem non iuvabit iisdem, quibus scripserit, ceris ediscere.* quo certe ipsa res non satis demonstratur. Nam illud *quibus* potest per attractionem esse formatum, et ipsum pronomen relativum maiorem habet licentiam. At 8, 6, 64. *neque alio ceris Platonis inventa sunt quatuor illa verba.* Quare de formula usu confirmata cogitare licet. Sic in aliis non paucis. Quae quum ita sint, critico maxime erit animadvertendum, ne vitiosa reiiciat, quorum rationem usu oblitteratam viderit, neu defendat, quae in veterum scriptis facile poterant corrumpi.

Ex multis aliis, quorum nonnulla iam p. 247. commemoravi, haec notanda videntur: Cic. ad Fam. 5, 11, 1. *quamobrem reliquis tuis rebus omnibus pari me studio erga te — cognosces.* Martyni Laguna scripsit *in reliquis.* Celsus 1, 2. *habitare aedificio lucido, hibernum solem habente.*

Ovid. Her. 1, 21. *quisquis erat castris iugulatus Achivis.* Met. 3, 313. *furtim illum primis Ino matertera cunis educat.* cf. Lennep. ad Her. 9, 86. Virgil. Aen. 3, 16. *litore curvo moenia prima loco.* 3, 147. *terris animalia somnus habebat.* 6, 71. *te quoque magna manent regnis penetralia nostris.* Ovid. Met. 7, 746. *montibus errabat.* Sed I. H. Vossius novum praeceptum commentus est ad Tibull. 2, 5 (4), 8. ubi legitur: *quam mallem in gelidis montibus esse lapis*, poetarum neminem *in montibus* dixisse, ut *in* occuparet arsin. Id vero poetae in omnibus praepositionibus, si fieri potest, evitare solent. Num igitur

corrigamus Ovid. Met. 14, 38. ubi: *Glaucus et in summis nascentur montibus algae:* et cetera huius generis?

Horat. Sat. 1, 3, 7. *modo summa voce, modo hac resonat quae chordis quatuor ima.* Scholiastes: *supple in, ut sit, quae est ima in chordis quatuor, hoc est, in tetrachordo.* Nemo Latinorum ita umquam loquutus est. Horatius vero dicit cantasse Tigellium modo summa, modo ima voce resonantis lyrae. *Quae quatuor chordis resonat* est, quae vox e chordis prodit, per chordas sonat. Ablativum videmus caussalem vel instrumentalem.

Critici caussam omissae praepositionis saepe quaesiverunt in cautione, ne eadem vocula bis poneretur. Ita Spaldingius ad Quintil. non uno loco. Sed haec elegantia non potest ratione destitui, nec convenit cum eo usu, quem n. 6. notabimus.

Vitruv. 6, 1, 11. *ita divina mens civitatem populi romani egregia temperataque regione collocavit, uti orbis terrarum imperio potiretur.* Sed codd. habent *egregiam temperatamque regionem.* quare non dubitaverim anteponere praepositionem.

Cic. Tusc. 5, 35, 102. *est enim earum rerum omnium nostra urbe summa in publico copia.* Wolfius cum Schützio bene intellexerunt scribendum esse *in nostra urbe.* Et Orellius, qui praepositionem non necessariam putaverat, postea de hac re p. 436. aliter sensisse videtur.

Cic. de Am. 8, 26. *saepissime igitur mihi de amicitia cogitanti maxime illud considerandum videri solet, utrum propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia, ut dandis recipiendis meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio vicissimque redderet.* Ita codices, et Klotzius exposuit sententiam de caussa ac ratione, qua acciperet ab alio vicissimque redderet: sicuti dicitur de Offic. 2, 4, 15. *dando et accipiendo.* tamen difficultas quaedam remanet: eaque videtur tantum in hac formula verborum admissa.

Quintil. 1, 4, 5. *quae vel sola omni studiorum genere plus habeat operis quam ostentationis.* Wassius et Spaldingius *in* addiderunt. Lucretius saepe dixit *quo genere.*

Vsitata sunt nomina librorum, in quibus quid scriptum, omissa praepositione. Quintil. 2, 4, 42. *alio quoque libro.* 1, 7, 22. *C. Caesaris inscriptione.* 12, 4, 1. *quae conscripta sunt historiis.*

De nominibus temporis sine praepositione positis supra diximus.

Quae verba utramque rationem admittant ita, ut, si non

adest praepositio, eam non possimus omissam putare, ex usu intelligitur. Sic verbum *tenere*, *se tenere*, et cum praepositione dicitur et sine ea. Liv. 4, 35, 5. *in aeterno se ipsa teneret servitio.* 22, 41, 9. *falsa imagine castrorum — tenere in locis consules voluisse.* vid. Drakenb. ad utrumque locum. Sed 22, 18, 1. *suos munimentis tenuit.* 24, 17, 8. *Poenus — castris se tenuit.* Vide alia apud Drakenb. ad 3, 2, 1.

3. In relativo pronomine omitti potest praepositio, quae in priori enuntiationis parte nomini praefixa est. Id maxime observatur in praepositione *in*. Graecorum usum illustravit Schaeferus ad Sophocl. Oed. Col. 749. Vid. Matthiae Gramm. p. 1192. edit. sec.

Cic. de Leg. 3, 15, 33. *nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio.* de Fin. 1, 15, 49. *in eadem caussa sunt, qua antequam nati.* Senec. de Benef. 6, 29, 1. *opto in eo statu sit, quo semper beneficia distribuat.* Cf. Wopkens. Lect. Tull. I, 1. p. 6. (4.) Moser. ad Cic. de Leg. l. l. Cuius rei si memor fuisset Wolfius, non fecisset falsum iudicium de loco Tusc. 4, 31, 66. Vid. Heusinger. ad Cornel. Cim. 3, 1. et ad Vechneri Hellenolex. p. 322. et in Emendat. p. 67. et p. 80. et p. 135. Wopkens. Advers. in Miscel. Obs. T. 8. p. 23.

Quaerere licet, an praepositio in relativo possit substitui, quae in nomine omissa sit. Quintil. 10, 3, 31. vide p. 352. 4, 2, 92. *est tamen quibusdam scholasticis controversiis, in quibus ponitur, aliquem non respondere ad quae interrogatur.*

4. Haec praepositio in iis numeratur, quae semel positae in secundo nomine facile omitti possunt: idque fit apud poetas adeo in nomine priore. Vide Bentlei. ad Horat. Carm. 3, 25. Wopkens. Lect. Tull. p. 15. (21.) ibique annotat. Miscell. Observ. T. 8. p. 384.

Sueton. Caes. 35. *ab Alexandria in Syriam et inde Pontum transiit.* Cic. Acad. 1, 10, 39. *quum — alia in parte animi cupiditatem, alia rationem collocarent* etc. de Nat. d. 1, 15, 39. *ait enim vim divinam in ratione esse positam et universae naturae animo atque mente.* ubi Heindorfius adiecit alterum *in*. Tacit. Germ. 20. *tamquam et in animum firmius et domum latius teneant.* de Off. 1, 31, 112. Liv. 3, 19, 4. *non in plebe coercenda quam senatu castigando vehementior fuit.* Claudian. IV. Cons. Hon. 207. *in utroque relucent frater, utroque soror.* Cic. de Leg. 2, 9, 22. *popularem laetitiam in cantu et fidibus et tibiis moderanto.* hoc est *in cantu et in fidibus.* Male censebant critici eiiciendam praepositionem. Est in cantu adhibendo.

Horat. Carm. 3, 25, 2. *quae nemora et quos agor in specus.* Epist. 2, 1, 31. *nil intra est olea, nil extra est in nuce duri.* quemadmodum locum restituit Bentleius.

Exempla copulatae notionis, veluti *in manu et tutela* apud Liv. 34, 7, 13. proprietatem nullam habent: de quo usu cf. Vindic. Minut. in Stoschii Mus. crit. p. 139.

5. Aliam ellipsis formam grammatici observarunt in praepositione cum genitivo coniuncta. Vocabulum *impraesentiarum* non esse huius generis diximus p. 235. Sed legebatur apud Vitruvium 1, 5, 1. *quum ergo his rationibus erit salubritatis in moenium collocandorum explicatio* etc. Nunc tamen e codicibus revocatus est ablativus. Gellius 1, 25. *quid enim dicemus, si induciis in mensium aliquot factis in oppida ex castris concedatur?* Gronovius recte eiecit praepositionem *in.* Alia exempla magis certa non exstant. Verba *in Veneris* si apud Plautum Poen. 1, 2, 120. scribenda essent, nemo haereret in formula omnibus nota. Vide quae contra Sanctium disputuvit Perizonius in Minerv. 2, 3. p. 202.

6. Nulla in praepositione minus offendit repetitio quam in hac, sive locus definitur accuratius, alio nomine addito, sive adduntur nomina alius rationis. cf. Observ. Miscell. T. 8. p. 32. et p. 366. Drakenborch. ad Liv. 3, 13, 2. et ad 31, 42, 6.

Pollio ad Cic. 10, 34, 7. *penitus in Lusitania legiones in hibernis collocaram.* Cic. de Lege agr. 2, 5, 12. *quibus in rebus quanto in metu fuerimus.* ita codd. et recte. Curt. 3, 13, 6. *quos Darius velut in arce tutissima in proditoris reliquerat manibus.*

Liv. 42, 36, 2. *in aedem Bellonae in senatum introducti ita verba fecerunt.* ubi Drakenborch. 32, 4, 7. *in Macedoniam in hiberna copias reduxit.* 3, 13, 2. *se haud multo post, quam pestilentia in urbe fuerat, in iuventutem grassantem in Subura incidisse.* Curtius 9, 3, 22. *discordes — Porum et Taxilem — firmata per affinitatem gratia reliquit in suis regnis, summo in aedificanda classe amborum studio usus.* 4, 10, 20. *in tabernaculum, in quo mater erat Darii — venit.*

7. Critici, qui praepositiones a poetis transponi tradunt, etiam exempla huius praepositionis invenisse sibi visi sunt. Quae Gronovius Observat. 3, 19. p. 457. et

Weichertus in Diss. de versibus Virgilii suspect. p. 85. afferunt, non recedunt ab usu vulgari poetarum. Sed Lucret. 4, 473. *qui capite ipse suo in statuit vestigia esse.* Virgil. Ge. 3, 313. *usum in castrorum.* Avien. Arat. 403. *longis hoc tempore in anni otia sunt remis.* Quod vero Waddelius in Horat. Epist. 2, 1, 32. coniecit *nil intra est olea in, nil extra est in nuce duri.* abhorret ab omni usu.

*) In libris scriptis commutata cum *in* videmus haec vocabula: *en.* vd. Cortium ad Lucan. 3, 21. *et.* vd. eumdem ad Lucan. 1, 254. 2, 151. 6, 153. 8, 184, *e, ex.* vd. Miscell. Observ. T. 7. p. 382. Orelli. ad Cic. Epist. 1, 6. *ad.* vd. Miscell. Observ. T. 8. p. 374. Cort. ad Lucan. 2, 712, 3, 190. *de.* vd. criticos ad Cic. Epist. 1, 9, 10. *an.* vd. Beier. ad Cic. de Off. T. 1. p. 337. *cum.* vd. ad Cic. de Sen. 1, 1. *id.* vd. Cort. ad Lucan. 3, 156. 4, 366. 5, 121. *ab.* vd. eumdem ad 1, 660. 4, 61. *vi* i. e. *ui.* Lambin. ad Cic. Epist. 14, 24. Drakenb. ad Liv. 3, 49, 6. 7, 9, 1. 7, 33, 8. et al. Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 38. *ni.* vd. Drakenb. ad Liv. 38, 50, 1. *hi.* vd. Eckstein. ad Tacit. German. 20. *inter* et *intra* per compendium *int'.* Drakenb. ad Liv. 38, 57, 6. 7, 11, 10. Walther ad Tacit. Ann. 15, 34. Hist. 3, 80. *tamen.* Drakenb. ad Liv. 32, 25, 8. *ut* idem ad 3, 5, 14. littera *m* finalis. Lambin. ad Cic. p. Quint. 5, 19. ad Epist. ad Att. 7, 1. p. 718. Drakenb. ad Liv. 5, 28, 12. 23, 34, 5. Cort. ad Lucan. 4, 244. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 21, 67. et initialis: *in ore* et *more.* vd. Walther. ad Tacit. Hist. 3, 63. Oblitteratum est *in* saepe ante similem syllabam: vd. Drakenb. ad Liv. 37, 26, 8. 37, 29, 5. 22, 55, 3. 37, 1, 2. 34, 28, 3. 8, 33, 6. Beier. ad Cic. Off, T. 2. p. 86. et 333. post *i* praecedentis vocabuli: Drakenb. ad Liv. 8, 33, 6. 30, 43, 9. 35, 8, 9. ante *i* sequentis: ad Liv. Epit. 85. Zumpt. ad Cic. Verr. p. 506. 603. 607. Interceptum ab *i* finali: Drakenb. ad Liv. 5, 23, 5. 10, 13, 3. ab *an:* Beier. ad Cic. Off. T. 2. p. 338. Natum ex *i* finali vocis praecedentis: Drakenb. ad Liv. 35, 8, 9. Saepe a librariis addi aut omitti solet. Heusing. ad Cic. Off. 1, 45, 4. Interpret. ad Cic. de Sen. 17, 60. Arntzen. ad Aurel. Vict. de Viris ill. 2, 3. Ruhnken. ad Vellei. P. 2, 26, 4. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 87. 132. 242. 449. 601. 631. Wunder. Lect. cod. erfurt. p. 118. Beier. ad Cic. Off. T. 1. p. 70.

INANTE.

Praepositiones duas in usum adverbialem componere Latini solebant vulgari sermone, e quo in libros scriptorum quaedam pervenerunt. Cf. Burmann. ad Anthol. T. 1. p. 157. Dixerunt *inante*, sed nemo veterum. Nam quae apud eos legitur formula *in ante diem*, aliam caussam habet, de qua Tom. 1. p. 378. Reliqua exempla aut falsa aut non recte accepta sunt. Quod bene perspexerunt Gronovius Observ. 1, 15. Drakenborch. ad Sil. 6, 580. Burmann. ad Sueton. Tiber. 33. Cf. Oudendorp. ad Apulei. T. 1. p. 20. Gesnerus ne recentissimis quidem scriptoribus concessit hunc usum: quem omnibus vindicaturi erant Auson. Popma de Vsu antiq. 1, 14. Gebhardus Crepund. 2, 5. Vnum Vegetium militarem auctorem cognovi, qui *inante* pro *ante* sive *in anteriore parte* dixit. Vnde Graevius in notis ad Cic. p. Mur. 12, 26. attulerit *exinante*, me fugit. Scip. Gentilis Parerg. ad Pandect. 1, 14. comparat idiotismum Italorum.

Nemo huc referet Lucret. 5, 173. *tempore in ante acto.* aut Vlpian. in Dig. 11, 4, 1. *veniam in ante actum dedit.* At retulit Bernartius ad Stat. Silv. 1, 6, 36. Prop. 2, 3, 41. *si quis vult fama tabulas anteire vetustas, hic dominam exemplo ponat in ante meam.* Haec quorumdam codicum scriptura suos nuper invenit defensores Lachmannum et Iacobum. Ille construit verba hoc ordine: hic ante meam dominam ponat, in exemplo: quod miror tali viro in mentem venisse. Recte vero alii libri *in arte.* Ovid. Met. 2, 524. *argolica quod et ante Phoronide fecit.* Quod in nonnullis libris legitur ex scribarum usu *inante*, non modo defendit Gebhardus, sed etiam coniectura intulit in Met. 9, 323. ubi vulgo legitur: *nostrasque domos tu et ante, frequentat.* Nec melior facta est emendatio a Dausqueio in Silii 6, 580. Scaligerum, qui apud Liv. 26, 23, 4. *quae inante fixae erant* pro *in antefixis* scripsit, nemo est sequutus praeter Bernartium.

Veget. de Re mil. 1, 21. *sciendum praeterea, quum missilibus agitur, sinistros pedes inante milites habere debere.* 1, 24. *ita ut inante sit fossa.* vide Besselii Miscellan. p. 161. Miscell. Observ. T. 7. p. 149.

INCASSVM. Vide CASSVM.

INCIRCVM.

INCIRCVM legebatur olim apud Macrum in Dig. 11, 7, 37. *si amplum quid aedificari testator insserit, veluti incircum porticationes, eos sumptus funeris caussa non esse.* Nunc legitur *in circuitu.* Sed apud Varr. de L. L. 4, 5. (5, 25.) nunc e codd. florent. et havn. restituerunt critici: *quod incircum eum locum aquae frigidae et caldae multae:* ceteri libri *sint circa.* Quo illud vindicarent, non exposuere. Et dubito vehementer de usu praepositionis non adverbiali: sed exspecto adhuc defensionis argumenta, nondum a viris doctis exposita.

INCORAM.

Apulei. Met. 7. p. 197, 21. (147. Pric.) *festivus ille amasius humo sordida prostratam mulierem ibidem incoram omnium gestiebat inscendere.* Met. 9. p. 221, 17. (183.) *nec defuit, qui — incoram omnium aureum depromeret cantharum.* p. 223, 32. (186.) *insistens iubebat incoram sui plagas mihi quam plurimas irrogari.* 10. p. 241, 5. (213.) *nam et iuniorem incoram sui funerari videbat.* 10. p. 249, 33. (227.) *quae mecum incoram publicam populi caveam frequentaret.* quae corruptione laborant. Roaldus, Elmenhorstius aliique hoc, quem vocarunt, archaismo admodum delectati, ubi occasio se obtulerat, Apuleio assignabant, etiam auctoritate codicum deficiente. Ex iis vero locis, ubi consentiunt libri, uti iam Tom. 2. p. 131. demonstravi, colligi potest, Apuleium *coram* de praesentia dixisse, cum genitivo coniungens, *in coram omnium, in coram sui.* Sed Symmachus Epist. 10, 7. *quomodo enim praeciperes, quod incoram positus improbasti?* 3, 3. *certe illud spondeo tuam eximietatem incoram reperire posse multa, quae tacui.*

INDE.

Primum de origine vocabuli INDE. Ac tres sunt a viris doctis expositae opiniones. *Inde* enim alii putant compositum ex *in* et *de*, quasi dicas, de eo loco, in quo quid est. Quae dictionis sive cogitationis brevitas omni ratione destituitur. G. Vossius igitur factum esse dixit ex graeco ἔνθεν, quemadmodum θεὸς fieret *deus.*

Id vero nostris grammaticis doctis hodie non poterat placere. *Im* demonstrant enim esse vocabulum locativum, in verbis *olim*, *interim* adiectum, in verbis *inde*, *inibi* praemissum. Quo autem modo *deinde*, *perinde* composita sint, non satis declarant. Vide Max. Schmidtium de Pronom. p. 79. Lindemannus de Adverb. 2. p. 21. acquievit in eo, ut diceret *in* derivari debere ab *is*, uti *quin* factum sit ex *quis*. At his omnibus nihil magis efficitur, quam ut cognoscamus, syllaba *i*, sive in terminatione sive in praepositionis aliorumque vocabulorum conformatione adhibita, demonstrativam notionem exprimi eamque ad locum referri. Quare *in* reddi potest per *da*, *dort*. Sed Hartungius, *n* litteram non paragogicam esse demonstraturus, in libro de Casibus p. 228. comparat πόθεν et germanicum *hin*, atque opinatur *n* sive *m* significare motum ex aliquo loco. Qua in doctrina notiones verborum *hin* et *her* eaedem esse videntur. Neque argumenta ab Hartungio supposita quidquam probant. Syllaba *de* autem non ipsa est praepositio traiecta, sed vox ea, quae in ἔνθεν occurrit et *her* significat, et in praepositionis usum transiit. Nam ἔνθεν etiamsi Carol. Gottl. Schmidtius de Praeposit. graec. p. 23. ex ἐνθ sive ἐνδ factum censeat, tamen necesse erit duarum syllabarum statuas stamina. *Inde* igitur est *daher*, et praefixo adverbio *deinde von daher*. Hartungius p. 171. et de Particulis graec. 1. p. 275. nova ac mirabilia captans docet, *de* esse suffixum nullius significationis, uti in *quamde*, nec differre ab *dem* in *idem*, *quidem*, nec ab graeco δέ. Caussa vero, quapropter θεν et *de* comparari posse negat, prorsus est nulla.

1. Demonstrativa notio, quae inest, per omnem usum particulae manet, quae proprie de loco dicitur, ut sit *ex illo loco*, unde aliquid exit vel emittitur: *daher*, *von da*. Nec tamen construitur cum praepositione *a*, sed cum aliis.

Plaut. Stich. 1, 2, 9. *ad meam maiorem filiam inviso domum: si quis me quaeret, inde vocatote aliqui.* **Terent. Andr. 2, 2, 31.** *etiam puerum inde abiens conspexi Chremi.* **1, 1, 110.** *redeo inde iratus.* **Cic. ad Att. 12, 15.** *quumque mane me in silvam abstrusi densam et asperam, non exeo inde ante vesperum.* **Liv. 5, 41, 6.** *inde rursus ipsa solitudine absterriti.* **Sueton. Caes. 34.** *ire se ad exercitum sine duce et inde reversurum ad ducem sine exercitu.* **Quintil. 2, 11, 5.** *ad alia deinceps atque inde alia — devertunt.* **Liv. 5, 43, 2.** *prima luce signo dato multitudo omnis in foro in-*

struitur: inde, clamore sublato et testudine facta, subeunt. Stat. Silv. 5, 4, 16. *inde veni.* Vide Drakenb. ad Liv. 1, 19, 6.

Cic. ad Att. 7, 21. *mansi Calibus: inde has litteras postridie ante lucem dedi.* p. Sext. 4, 9. *venit cum exercitu Capuam: — et inde M. Aulanum, tribunum militum Antonii Capua praecipitem eiecit.* de quo loco ad Wopkens. Advers. p. 163. Hanovius in Ephemerid. halens. 1832. n. 216. *inde* non posse cum nomine urbis Capuae conciliari existimans, coniecit scribendum esse *proinde.* Est vero aucta vi orationis *und von da vertrieb, von Capua vertrieb er den M. A.*

Liv. 22, 4, 2. *deinde paullo latior patescit campus: inde colles adsurgunt.* 23, 10, 2. *brevi caput Italiae omni Capuam fore iuraque inde cum ceteris populis Romanum etiam petiturum.* Quintil. 5, 7, 32. *illae vero pessimae artes, testem subornatum in subsellia adversarii mittere, ut inde excitatus plus noceat.*

Caes. B. gall. 1, 33. *quin — in provinciam exirent atque inde in Italiam contenderent.* De verbis *inde in* vide Oudendorp. ad Sueton. Vespas. 5. et 4. ubi multa exempla, et Drakenborch. ad Liv. 37, 31, 4.

Stat. Silv. 2, 3, 2. *quae* (arbor) *robore ab imo curvata in nodos redit inde cacumine recto ardua.* i. e. ex aquis. Curt. 6, 5, 14. *inde velut ex alia radice laetiores virent trunci.*

2. Designari potest hoc vocabulo distantia loci. Quare componuntur verba *procul inde* pro procul ab eo loco. Sed utuntur hac particula recentiores scriptores, quando terminus loci constituitur, ut distantia aut situs cognoscatur.

Curtius 3, 8, 24. *Darium triginta inde stadia abesse praemissi indicabant.*

Liv. 8, 22, 5. *Palaepolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis sita est.*

Curt. 4, 5, 1. *dotem fore omnem regionem inter Hellespontum et Halym amnem sitam: inde orientem spectantibus terris contentum se fore.* i. e. ab hoc termino. 8, 9, 6.

3. Cum verbis componunt particulam poetae et *inde vocare* dicunt pro *avocare* vel *evocare, inde ire* pro *abire.*

Valer. Flacc. 3, 62. *triplici pulsans fastigia crista inde ciere virum.* ubi inepte intelligeretur *deinde*, aut etiam locus, in quo Bellona adstitisset.

Stat. Theb. 4, 116. *maior at inde novis it doricus ordo sub armis.*

Cic. de Leg. 2, 15, 39. *si quidem illa severa Lacedaemon ner-*

vos iussit, quod plures quam septem haberet in Timothei fidibus, inde demi. Ita codices, ab uno Davisio nescio an recte comprobatum. Liv. 25, 35, 7. *salutare in praesens credebat cedere inde.*

4. Haec designatio loci attinet ad ea, quae quis in aliquo loco ita agit, ut ex hoc loco agere videatur. Inde enim exit, quod apparet. Quemadmodum igitur *ab hac parte* et *hinc* Latini dicunt de rebus in aliquo loco constitutis et ex eo apparentibus, veluti *hinc stare* apud Lucan. 7, 360. sic etiam *inde* pro *in eo loco.* Potest etiam assimilatio accedere et orationem formare, ut *inde* pro *ibi* ponatur.

Curt. 3, 8, 26. *alii in iugum montis evaserunt, ut hostium agmen inde prospicerent.* Liv. 8, 6, 12. *comparant inter se, ut ab utra parte cedere Romanus exercitus coepisset, inde se consul devoveret pro populo romano.* Lucan. 4, 708. *qua stetit, inde favet.*

Liv. 8, 13, 15. *licet delere omne Latium, vastas inde solitudines facere, unde sociali egregio exercitu — saepe usi estis.* pro *ibi — unde* sive *ubi.*

5. Vt reliqua adverbia loci, etiam *inde* genitivum adiunctum habet substantivi instar. Et *inde loci* vel de loco vel de tempore pro *ab illo tempore* dicitur.

Ennius apud Festum s. v. *lituus: inde loci lituus sonitus effudit acutos.* Lucret. 5, 789. *inde loci mortalia corda creavit multa modis multis.* 5, 438. *diffugere inde loci partes coepere.* 5, 740. Cic. Arat. 327. (573.) *humidus inde loci collucet Aquarius orbe.* Apud Nonium 4, 105. in Lucilii verbis incerta est scriptura.

Ernestius ad Cic. p. Mur. 12. narrat latine etiam dici *inde loco*, atque adeo pro eo *inde ibi.* Somniasse videtur.

6. Relativa ratio, quae subest, exprimitur pronominibus et adverbiis relativis appositis. Hinc componuntur *inde — unde*, *inde — ubi*, *inde — quo.*

Cic. ad Att. 13, 39. *nec enim inde venit, unde mallem.* Rhet. ad Heren. 9, 14. si *inde incipiemus narrare, unde necesse erit.*

Cic. p. Caec. 12, 35. *nunc vero deiectum nullo modo esse inde, ubi non fuerit.* Liv. 8, 22, 5. vide nr. 2. Virgil. Aen. 6, 201. *inde ubi vexere ad fauces graveolentis Averni.* 3, 69. *inde ubi prima fides pelago* etc.

Caes. B. civ. 3, 45. *si — legiones Caesaris sese recepissent inde, quo temere essent progressae.*

7. Ad res refertur. Nam intelligitur res, ex qua aliquid progrediatur vel originem ducat, aut ea, unde quid capiamus vel hauriamus.

De origine et initio: Cic. p. Rosc. Am. 27, 75. *inde omnia scelera ac maleficia gignuntur.* Liv. 2, 32, 8. *placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam facundum virum et quod inde oriundus erat, plebi carum.* de Inv. 1, 20, 28. *brevis erit* (narratio), *si unde necesse est, inde initium sumetur.* p. Leg. Man. 2, 4. *ut inde oratio mea proficiscatur.*

Plaut. Bacch. 4, 9, 83. *inde a principio iam impudens epistola est.*

Plaut. Amph. 1, 1, 273. *cadus erat vini: inde implevi hirneam.* Liv. 3, 37, 1. *inde libertatis captare auram, unde servitutem timendo in eum statum rempublicam adduxerant.* Ovid. Am. 1, 230. *est aliquid, praeter vina, quod inde petat.* Liv. 1, 18, 5. *rege inde sumpto.* i. e. ex Sabinis. Curt. 8, 10, 12. *inde Graeci mentiendi traxere licentiam.*

Curt. 8, 9, 15. *terra lini ferax: inde plerisque sunt vestes.* Edit. Snakenb. *unde.*

Virgil. Ge. 3, 489. *aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos, inde neque impositis ardent altaria fibris.* i. e. inde sumptis et impositis. Martial. 7, 18, 14. *et si adeo muta es, disce vel inde loqui.*

Quintil. 3, 2, 18. *hi diversas opiniones tradiderunt, appellatique inde Apollodorei.* 6, 2, 8. *inde pars quoque illa philosophiae ἠθικὴ moralis est dicta.*

In derivandis vocabulis saepe Quintilianus, veluti 1, 14, 13. *a lavando lotus et inde rursus illotus.* 1, 5, 69. 9, 4, 39. Liv. 2, 8, 2. *inde cognomen factum Publicolae est.*

8. Contrarium quum *hinc* sit, *inde* potest interdum explicari, quasi significet *ab altera illa parte.* Quod proprie usurpatur de adversarii parte. Vide Gesner. ad Quintil. 6, 1, 6. et quae disputarunt critici ad Tacit. Ann. 13, 14.

Quintil. 7, 1, 6. *transibam ergo ad responsum partis alterius, idem intuebar: nonnunquam etiam, quod inde obtinebatur, confessum erat.* 6, 1, 6. *nam provocare quae inde sint fortia, non arguentis est, sed monentis.*

9. Neque aliter de hominibus, ut significet *ab eo, ex eo.* In sermonibus autem brevitatis caussa quamcumque rationem ad homines pertinentem etiam ad lo-

cum referebant Latini cum aliis populis, qui loci nomine comprehendunt res in loco sitas.

Plaut. Pseud. 2, 2, 28. *quia videre inde esse.* i. e. ab illo milite, illius militis.

Plaut. Curc. 5, 3, 43. *ad trapezitam meum, ad praetorem. Nam inde rem solvo omnibus, quibus debeo.* i. e. apud praetorem. Germani *von da aus.*

10. Hac ratione poetae et, ut videtur, vulgus in sermone familiari componunt *inde* non modo cum verbis bibendi et edendi, sed etiam cum aliis, quae significant aliquid fieri adhibita alia re alicunde petenda.

Ovid. Fast. 3, 273. *defluit incerto lapidosus murmure rivus: saepe sed exiguis haustibus inde bibes.* Sallust. Cat. 22, 1. *fuere ea tempestate qui dicerent, Catilinam — humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse. Inde quum post exsecrationem omnes degustavissent, — aperuisse consilium suum.* Quo in loco explicando Kritzius iniuriam fecit Gerlachio, qui *inde* interpretatus erat *ex quo:* nam quo minus ita accipiamus, nec constructio verbi *degustare* impedit, nec orationis iunctura, in qua illud *deinde*, quod Kritzius in *inde* videt, vehementer displicet. Asyndeton enim nullum est, sed oratio bene progreditur. De usu verbi *degustare* vide Plin. Hist. n. 31, 2, 19. Et Apulei. Met. 10. p. 251, 26. (p. 229. Pric.) *indidem de potione gustavit amplius.* Ovid. Fast. 2, 257. *inde satur nigris longum rapit unguibus hydrum.* Martial. 9, 60, 7. *inde satur.* In Met. 6, 650. praestat *ipse*, cui Burmannus temere substituit *inde.* Sed vide Burmann. ad utrumque locum.

Virgil. Aen. 3, 661. *ad aequora venit, luminis effossi fluidum lavit inde cruorem.* h. e. aqua ex aequore sumpta. Vide Burmann. Florus 2, 18, 14. *sic conserta manu plurimi occisi: et quum urgeret fames, aliquantisper inde vixere.* i. e. *sie lebten davon.*

11. Quemadmodum *hinc* de genere rerum, ad quod quid referendum sit, usurpatur, ita etiam *inde* pro *ex hoc genere.* Sic adeo particula genitivi vicem explet. Nam quae a parte alicuius rei esse dicuntur, ipsius rei videntur esse.

Quintil. 9, 4, 39. *inde belligerare, po' meridiem.* ubi Spalding. 6, 1, 42. *inde est enim, tendit ad genua* etc.

Liv. 6, 9, 4. *quum ea loca opposita Etruriae et velut claustra inde portaeque essent, — Romanis recuperandi tuendique cura erat.*

12. Antiqui poetae, quos etiam posteriores imitati sunt, componere solebant *inde* cum nominibus, ubi alicuius rei vel numeri pars erat describenda ita, ut particula pro genitivo aut pro *ex illis* posita videretur. Nos germanice etiam *davon zwei.*

Lucret. 5, 201. *principio, quantum coeli tegit impetus ingens, inde avidam partem montes silvaeque ferarum possedere.* h. e. eius magnam partem. Terent. Ad. 1, 1, 21. *nati filii duo: inde ego hunc maiorem adoptavi mihi.* ubi Donatus: *mire inde subiungit, quum personam praetulerit. Inde pro ex quibus.* Quae Loersius ad Ovid. Her. 2, 54. attulit, praeter hunc Terentii locum omnia sunt aut falsa aut aliena. Sed Ovidius: *parte satis potui qualibet inde capi:* Burmannus interpretatur ex illis, Arntzenius illorum. Esset *durch jeden Theil davon.* Dubito equidem et ob structuram verborum, et ob sententiam, cui aliquid deesse videtur. Quare vide n. 19. Sed Fast. 5, 509. *stant calices. Minor inde fabas, olus alter habebant.* Martial. 1, 44, 11. *nihil inde datum est.* i. e. *nichts davon.*

Liv. 36, 11, 12. *quadraginta inde millia cecidisse.*

13. His cognata notio est caussae. Et dicitur *inde* pro *ex hac caussa,* et in adiungendis rebus, quae ex aliis proficiscuntur. Rariora inveniuntur exempla apud veteres. Recentioris usus est formula *inde est quod.*

Cic. de Nat. d. 2, 23, 61. *inde virtutis templum, inde honoris a Marcello dedicatum.* Cic. p. Mur. 12, 26. *inde ego ibi te ex iure manu consertum voco.* Vide p. 164. Ovid. Met. 2, 152. *invito grates agit inde parenti.* i. e. propter datas habenas. Martial. 1, 86, 5. *servos ubi perdidit omnes et pecus et fructus, non amat inde locum.* i. e. propterea. Quintil. 2, 4, 9. *inde fiunt humiles statim.* 11, 1, 17. *inde invident humiliores.* 10, 1, 94. *nam eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abundantia satis.*

Liv. 1, 1, 6. *duplex inde fama est.* Quintil. 3, 6, 9. *atque inde erit status caussae, quod et orator praecipue sibi obtinendum et iudex spectandum maxime intelligit.*

Plin. Pan. 73, 1. *testis ipse es, quae in omnium ore laetitia. Non amictus cuiquam, non habitus, quem modo extulerat. Inde resultantia vocibus tecta.* Correctio, quam fecit Behrius *adde* pro *inde* scribens, non tam insulsa videtur, quam interpretatio, quae vulgo fertur, *inde* esse *deinde.* Est vero: ex hac laetitia. Sed falsa videtur lectio apud Sueton. Aug. 80. *coxen-*

dice et femore et crure sinistro non perinde valebat, ut saepe etiam inde claudicaret. Nam libri scripti *inclaudicaret*, *iter incl.*

Plin. Epist. 7, 5. *inde est, quod magnam partem noctium in imagine tua vigil exigo.*

14. Livius nominibus adiunxit *inde*, ut indicaret rem ex alia natam aut consequutam.

Liv. 6, 40, 1. *adversus tam obstinatam orationem tribunorum quum prae indignitate rerum stupor silentiumque inde ceteros patrum defixisset* etc. 3, 47, 6. *primo stupor omnes admiratione rei tam atrocis defixit: silentium inde aliquamdiu tenuit.* ubi etiamsi accipias pro *tum*, tamen consequentiam agnosces.

15. Quum *hinc* et *illinc* ex adverso poni atque etiam de rerum praesentia sive de rebus apparentibus pro *hic — illic* (vide p. 88.) dici solerent, idem etiam factum est in *inde*, quod non tantum de motu, sed de statu etiam rerum usurpatur, tamen non antiquo more. Nam qui sic loquuti sunt, non attingunt tempora Augusti. Cf. Arntzen. ad Aurel. Vict. de Viris illustr. 2, 9.

Plin. Hist. n. 2, 66, 67. *sic maria circumfusa undique dividuo globo partem orbis auferunt nobis: nec inde huc, nec hinc illo pervio tractu.*

Martial. 3, 58, 19. *gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.* 9, 55, 9. *inde salutatus picae respondet arator: hinc prope summa rapax milvus in astra volat.* Tacit. Ann. 12, 28. *illi metu, ne hinc Romanus, inde Cherusci — circumgrederentur, legatos in urbem et obsides misere.*

Tacit. Ann. 2, 80. *hinc militum, inde locorum asperitas.* Hist. 1, 84. *sic fit, ut hinc res publica, inde hostes rei publicae constiterint.* Ann. 6, 34. 15, 11. 15, 42. Hist. 2, 70. Quintil. 5, 7, 33. *saepe inter se collidi solent inde testatio, hinc testes, locus utrimque.* Vide Spalding. ad 5, 13, 2. Aurel. Vict. de Vir. illustr. 2, 9. *tunc raptae in medium processerunt, et hinc patres, inde coniuges deprecatae pacem conciliarunt.*

16. Eodem modo dicunt *hinc et inde*, *hinc atque inde*, quo veteres *hinc et illinc.*

Martial. 1, 118, 11. *scriptis postibus hinc et inde totis.* 2, 37, 1. *quidquid ponitur hinc et inde, verris.* Petron. in Antholog. 3, 7, 3. *moto levis hinc et inde vento ibat.* Sueton. Caes. 39. *tricenis equitibus hinc et inde commissis.* Aug. 96. *aquila — duos corvos hinc et inde infestantes afflixit.* Plin. Pan. 22, 4. *vide-*

res — alacrem hinc atque inde populum, ubique par gaudium paremque clamorem. cf. Schwarz. p. 598.

17. Supra p. 87. tradidimus, Terentium dixisse *hinc illinc* pro *hinc vel illinc.* Plinius, Suetonius, Tacitus recentioresque *hinc inde* formulae instar usurpabant, ut esset: diversis ex locis, a quacumque parte, undique.

Sueton. Tib. 21. *ex quibus in exemplum pauca hinc inde subieci.*

Plin. Epist. 9, 13, 8. *longum est omnia quae tunc hinc inde iactata sunt.* Sueton. Ner. 49. *unoquoque hinc inde instante.* 27. Tacit. Hist. 4, 62. *revolsae imperatorum imagines, inhonora signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis.* Palladius 1, 18, 1. 1, 20, 2. 3, 25, 30. 9, 9, 2.

18. Poetae *inde — inde* pro *hinc — inde* dixerunt. Ratio in promptu est.

Lucan. 7, 511. *inde sagittae, inde faces et saxa volant.*

19. Elegantem particulae usum critici videntur ignorasse. *Inde* enim, quod dicitur pro *ab illa parte* sive *ab hac parte*, etiam ad modum refertur. Quo fit, ut interpretari possimus *hac via, hoc modo, ita:* sed ratio alicunde deducitur.

Caes. B. civ. 1, 86. *id vero militibus fuit pergratum et iucundum, ut ex ipsa significatione potuit cognosci, ut, qui aliquid victi incommodi exspectavissent, ultro inde praemium missionis ferrent.* Omiserunt librarii quidam et critici *inde.* Ovid. Her. 2, 54. *parte satis potui qualibet inde capi.* de quo loco p. 364. Dicit Phyllis: quid me iuvant tot pignora. Potui ab unoquoque capi amoris caussa. Nos *von dieser Seite, auf diesem Wege.*

20. De tempore usurpatur *inde*, a loco translatum, atque primum significat *ex eo tempore.* Sic in temporis distantis definitione pro *abhinc*, i. e. *seitdem.*

Liv. 3, 36, 1. *hic finis Appio alienae personae ferendae fuit: suo iam inde vivere ingenio coepit.*

Stat. Theb. 1, 180. *an inde vetus Thebis extenditur omen, ex quo — Cadmus exsul hyantheos invenit regna per agros.* Sueton. Tib. 11. *amoenitate et salubritate insulae iam inde captus, quum ad eam ab Armenia rediens appulisset.* Quintil. 1, 5, 21. *inde durat ad nos usque vehementer.* Martial. 7, 102. *Milo domi*

non est, peregre Milone profecto arva vacant: uxor non minus inde parit.

Liv. 21, 57, 9. *paucorum inde dierum quiete sumta.* 21, 58, 1. *haud longis inde temporibus.*

21. Tum continuum et universum tempus notatur, quum dicitur, ex quo tempore ad aliud usque res permanserit, aut quod temporis spatium una comprehendamus. Sic *inde* componitur per praepositionem *ab* cum nominibus, quae tempus notant longissimum: *inde ab ineunte aetate*, *inde a pueritia:* vel initium: *inde a principio.* Tom. 1. p. 21. Atque ita distinctius describitur longinquitas vel diuturnitas temporis: quae vis orationis augetur adiectis nominibus *iam* et *usque.* Nemo Latinorum dixit *inde ex aliquo tempore.* Vide p. 119.

Cic. Tusc. 1, 3, 5. *inde ita magnos nostram ad aetatem* (fuisse traditum est), *ut non multum — Graecis cederetur.* Ita codd. optimi: alii *deinde.* vide Wolfium.

Plaut. Trin. 2, 2, 24. *qui homo cum animo inde ab ineunte aetate depugnat suo.*

Plaut. Cas. Prol. 4. *ut vos mihi esse aequos iam inde a principio sciam.* Pseud. 4, 2, 14. Cic. de Nat. d. 2, 48, 124. *in quo admirandum est, congressune aliquo inter se an iam inde ab ortu natura ipsa congregatae sint.* Sic enim Walkerus eleganter emendavit. de Prov. Cons. 13, 33. *nemo sapienter de re publica nostra cogitavit iam inde a principio huius imperii, quin* etc. Liv. 4, 36, 5. *Claudium — praefectum urbis relinquunt — iam inde ab incunabulis imbutum odio tribunorum plebisque.*

Liv. 1, 2, 3. *iam inde ab initio minime laetus novae origine urbis.* 6, 40, 3.

Terent. Heaut. 1, 2, 9. *nam mihi cum eo iam inde usque a pueritia fuit semper familiaritas.* Cic. p. Arch. 1, 1. *nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video mihi principem — exstitisse.* Stuerenburgius hunc locum unicum putans mirabili decreto raritatem dictionis refert ad singularem imitationem Isocratis, qui Panath. 134. Bekk. ἐντεῦθεν ἀρξάμενος. Ceterum cf. Matthiae notam.

22. *Inde quod* designant tempus, ex quo quid factum sit, quando caussa rei respicitur simul. Vnde nata est opinio *inde* significare *ob id.*

Terent. Heaut. 1, 1, 1. *quamquam haec inter nos nuper notitia admodumst, inde adeo quod agrum in proxumo hic mercatus es.* His enim et tempus et caussa exprimitur: *scitdem dafs.*

23. Vulgaris est usus, quo *inde* pro *deinde* ponitur, et ut ordinem atque consequutionem rerum tempore factarum indicet, et ut significet *tum, postea.* Graeci ἔνθα. Saepe reddi debet *von da an, von nun an.* Qua ratione saepe in continuata narratione sequuntur *tum, deinde,* et componuntur verba *deinceps inde, inde postea.* Vide Drakenb. ad Liv. 2, 45, 14. ad 27, 23, 5. ad 2, 47, 11. Servius ad Virgil. Aen. 2, 2. *inde aphaeresis est pro deinde vel, ut quidam volunt, tunc.* ad 8, 587. *inde hic deinde significat: et est polysemus sermo.* In aphaeresi nemo hodie caussam quaeret, quum constet, *deinde* ex *inde* ortum esse, idque pro illo poni posse sua natura.

De ordine: Liv. 1, 3, 9. *Agrippa inde Tiberini filius: post Agrippam Romulus Silvius — regnat.* Caes. B. civ. 3, 9. *his expugnatis eodem impetu altera sunt adorti, inde tertia et quarta, et deinceps reliqua.* Sueton. Tiber. 9. *exin raeticum vindelicumque bellum, inde pannonicum, inde germanicum gessit.* Tacit. Hist. 1, 19. *inde apud senatum non comptior Galbae — oratio.* Ann. 1, 44. 1, 29.

Livius saepe *inde* dixit in consulibus sequentis anni nominandis et in praetoribus novis subiungendis. Vide exempla apud Drakenb. ad 2, 49, 9. et ad 40, 35, 2.

De rerum consequutione: Liv. 21, 33, 11. *castellum inde, quod caput eius regionis erat, viculosque circumiectos capit.* 25, 11, 19. *iumenta inde et homines contracti.* 21, 46, 6. 2, 39, 4. *inde Lavinium recepit: tunc deinceps Corbionem.* Ita saepissime Livius. vide Drakenb. ad 42, 55, 6. et ad 6, 6, 8. 2, 62, 5. *id satis consuli visum, cur pro victo relinqueret hostem, integro inde decedens bello.* 21, 2, 4. *gener inde ob altam indolem provecto annis adscitus.*

Liv. 40, 50, 2. *extemplo inde rebellatum.* i. e. *gleich darauf.* 1, 2, 6. *secundum inde proelium Latinis — fuit.*

Liv. 5, 20, 2. *ne quam inde aut militum iram ex malignitate praedae partitae, aut invidiam apud patres ex prodiga largitione caperet.*

Locus est Quintil. Prooem. 4. *nam ceteri fere, qui artem orandi litteris tradiderunt, ita sunt exorsi, quasi perfectis omni alio genere doctrinae summam inde eloquentiae manum impone-*

rent. in quo Spaldingius et Gernhardus *inde* pro *deinde* accipiunt, et *eloquentiae manum* interpretantur esse summam eloquentiae peritiam. Vtrumque hoc abhorret ab usu latino: nam non potest dici *eloquentiae manus*, neque *inde* sine significatione apta addi. Egregia et latina est emendatio, etiam codicum auctotate confirmata, *summam in eloquentia manum.* i. e. manum, quae in eloquentia summa est.

Cic. Brut. 90, 312. *itaque prima caussa publica pro Sex. Roscio dicta, tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, quae non digna nostro patrocinio videretur: deinceps inde multae, quas non minus diligenter elaboratas — afferebamus.* Liv. 1, 44, 3. *inde deinceps auget Esquilias.* 5, 37, 6. *sed antecedente fama nuntiisque Clusinorum, deinceps inde aliorum populorum, plurimum terroris Romam celeritas hostium tulit.*

Liv. 44, 24, 9. *hic prius ad Amphipolim cum Chimaro quodam populari suo, militante apud Persea, inde postea ad Demetriadem semel cum Menecrate quodam — colloquutus fuerat.*

24. Poetae latini, quando in enarrandis rebus pergunt, utuntur hac particula, ut nexum rerum significent. Id imitati sunt etiam historici *inde* pro *tum*, *iam* dicendo. Idque in animo habuit Gronovius, quum in Diatrib. p. 159. (269.) verbis *nunc vero, ab hoc momento* explicabat. Livius cum poetis composuit hac ratione *et inde.*

Ovid. Met. 1, 181. *talibus inde modis ora indignantia solvit.* Stat. Silv. 3, 2, 50. *vocat ipse ratem nautasque morantes increpat: inde meum timido iam frigore pectus labitur.* Ita codd. ubi vulgo *ecce meum.* Marklandus comparat 4, 4, 26. *certum est: inde sonus geminas mihi circuit aures.* Valer. Flacc. 5, 225. *inde canens.*

Liv. 25, 35, 7. *id modo esse salutare in praesens credebat cedere inde quantum posset: et inde una nocte — aliquantum emensus est iter.* Stat. Theb. 1, 302. *hinc caussae irarum: certo reliqua ordine ducam. Paret Atlantiades dictis genitoris et inde summa pedum propere plantaribus illigat alis.*

25. *Inde* quando consequutionem rerum factarum notat, saepe simul complectitur caussam. Intellige *quod quum factum sit, hac de caussa.* Nos *daher.* Ita incipiunt narrationis novam partem verbis *inde quum, inde ubi.* quod fere est *quum igitur, als nun.*

Liv. 25, 15, 16. *Atinius tamen cum paucis receptus. Seditio inde paullisper tenuit.* 1, 32, 1. *Ancus Marcius — longe antiquissimum ratus, sacra publica, ut ab Numa instituta erant, facere: omnia ea ex commentariis regis pontificem, in album relata, proponere in publico iubet: inde et civibus otii cupidis et finitimis civitatibus facta spes, in avi mores atque instituta regem abiturum.*

26. Gronovius ad Liv. 25, 15, 16. docet *inde* significare *nunc tandem*, et in Diatribe, ut modo dixi, esse *nunc vero*. Sed in locis, qui ab ipso afferuntur, particula significat *von nun an*, *von jezt*. Temporis notio magis distinguitur praemissa particula *iam*. Quare *iam inde* vel significat ab hoc quidem tempore, non postea demum, vel de perpetua re ex superiore tempore repetunda.

Liv. 25, 15, 16. *seditio inde paullisper tenuit, quum alii urbem tuendam, inde alii cedendum fortunae et tradendam urbem victoribus censerent.* Sed verba *alii urbem tuendam* absunt ab omnibus codicibus. Quare eiicienda videntur et *inde* ad *censerent* referendum; *da von nun an Andere meinten.* Aug. Guil. Ernestius pro *vicissim* accipiendum putat: nescio qua ratione. In Tacit. Agr. 31. emendatio *inde ostendamus*, a Gronovio facta, admodum est incerta.

Liv. 9, 16, 1. *convenit, iam inde per consules reliqua belli perfecta.* Sed 21, 31, 5. *incolunt prope Allobroges, gens iam inde nulla gallica gente opibus aut fama inferior. Tum discors erat.* Stat. Theb. 4, 42. *volucres portis auriga sub ipsis comit equos et iam inde iugo luctatur Arion.*

27. In constituendo aliquo ordine rerum recentiores scriptores *inde* usurpabant.

Quintil. 7, 1, 24. *Primum id est genus, —. Ultima species est, — —. Generale est, —. Inde, An ex privato?*

Plin. Hist. n. 19, 5, 25. *palma Romae amiternini datur: inde nursinis: tertia nostratibus.*

28. Drakenborchius ad Liv. 5, 20, 7. *inde* ait saepe copularum vicem praestare ideoque pro *que* vel *et* poni. Id vero non iis, quos affert, locis demonstrari potest. Nam Liv. 38, 29, 11. legitur: *inde postero die*, et 5, 20, 7. *Licinius contra suspectam et invisam semper eam pecuniam fore aiebat, caussasque criminum ad plebem, seditionum inde ac legum novarum praebitu-*

ram. Intelliguntur seditiones e criminibus ortae, aut quae illa sequutae erant.

29. Memoratu non indignum videtur in hac particula brevi intervallo repetita non offendisse Latinos. Intelligo enim non locos, quos Cortius ad Lucan. 7, 230. comparavit, ubi *inde — inde*, pro *ab hac parte — ab illa parte* ponitur, neque eos, in quibus *inde — inde* pro *deinde — dein* dictum est, sed alios, in quibus repetitio si displicuisset, facile potuisset evitari. Vide Liv. 3, 41, 5. 3, 36, 1. 25, 36, 7. ubi Gronovius et Creverius alterum abiici iusserunt.

*) *Inde* et *unde* commutarunt librarii saepe. Oudendorp. ad Sueton. Calig. 10. Drakenb. ad Liv. 39, 33, 5. Saepius *inde* et *deinde*. Drakenb. ad Liv. 8, 13, 15. 36, 24, 10. 42, 55, 6. 1, 2, 6. Oudendorp. ad Sueton. Ner. 13. et *vide* h. e. *uide*. Beier. ad Cic. Off. T. 2. p. 242. et *uim*. Drakenb. ad Liv. 5, 20, 2. et *idem* ad 1, 20, 7. ad 31, 38, 9. et ob compendium praepositio *in*. Idem ad 25, 22, 6. et 10, 20, 6. Spalding. ad Quintil. Pro. 4. Commutantur compendia tū, tn̄, īn. vid. Drakenb. ad 2, 21, 1. ad 5, 18, 8. Librarii nectendae orationis caussa addere solebant particulam. vid. Drakenb. ad Liv. 39, 49, 12. *Inde* natum vel interceptum ab antecedente *m* notat idem Drakenb. ad 4, 21, 1. ad 30, 27, 9. ad 10, 20, 6.

INDIDEM.

1. *Inde* cum *dem* coniunctum fit INDIDEM, quod significat *eodem ex loco*. Cf. Priscian. 15. p. 1013. Glossae ἐντεῦθεν. Saepe additur nomen ipsius loci. vid. Drakenb. ad Liv. 25, 15, 7. Sunt vero scriptores, qui usu huius vocabuli omnino abstinuisse videntur: Livius eum creberrime adhibuit.

Cic. p. Rosc. Am. 27, 74. *quos homines? indidemne Ameria, an hosce ex urbe sicarios?* **Liv. 27, 12, 5.** *additi erant Bruttiorum indidem perfugae.* **i. e. ex eadem Sicilia. 28, 1, 6.** *ducibus indidem ex Celtiberia transfugis.* **39, 12, 1.** *socrum rogat, ut Hispalam, indidem ex Aventino libertinam — arcesseret ad sese.* **23, 46, 12.** *civis indidem erat, longe omnium Campanorum fortissimus eques.* **Cornel. Epam. 5, 2. Taurus philosophus apud Gell. 6, 10.** *Euclides qui indidem Megaris erat.*

Plaut. Pseud. 2, 4, 49. *ecquid habet is homo aceti in pectore?* CH. *Atque acidissumi.* PS. *Quid, si opus sit, ut dulce promat indidem, ecquid habet?* Mil. 3, 1, 72. *hilarissimum convivam hinc indidem expromam tibi.*

Apulei. de Mund. p. 64, 36. *nam quibusdam sub terris occulti sunt spiritus et flantes incendia indidem suspirant.*

De regione Frontin. Stratag. 2, 4, 5. *iussit muliones clam in montes cum mulis abire, et indidem conserto proelio velut equis insidentes ostentare se repugnantibus.* i. e. ex ipsorum montium regione.

2. Item de rebus, sive intelligitur origo, sive res, unde quid sumptum aut petitum. Vid. Oudendorp. ad Apulei. Met. 2. p. 83.

Pacuv. apud Cic. de Div. 1, 57, 131. *indidemque eademque oriuntur de integro, atque eodem occidunt.* Liv. 39, 8, 8. *venena indidem intestinaeque caedes.* Catull. 61, 212. *non decet tam vetus sine liberis nomen esse: sed indidem semper ingenerari.* i. e. ex eadem stirpe. Gellius 2, 22. *oritur enim sol non indidem semper.*

Cic. de Orat. 3, 40, 161. *unde enim simile duci potest (potest autem ex omnibus) indidem verbum unum, quod similitudinem continet, translatum lumen affert orationi.* Varro de L. L. 6, 2. (7, 13.) *etiam indidem illud Enni.*

Cato de Re r. 25. *indidem, si voles, lavito paullatim.* Apulei. Met. 1. p. 110, 29. *ipse aliquid indidem sumo.* 10. p. 248, 32. *de stagneo vasculo multo sese perungit oleo balsamo meque indidem largissime perfricat.* 3. p. 139, 2. *impartire nobis unctulum indidem.* i. e. ex eadem pyxide. 2. p. 114, 40. *ut — lapides quos offenderem de homine duratos, et aves quas audirem indidem plumatas — crederem.*

3. In altera parte orationis *unde* ponitur non alia ratione, quam ut *indidem* eumdem locum aliis rebus communem notet. Per attractionem fit, ut *indidem* cum *unde* coniungatur, ubi *ibidem* est dicendum.

Cic. de Orat. 3, 40, 161. *unde enim simile duci potest, — indidem verbum unum, quod similitudinem continet, translatum lumen affert orationi.*

Plaut. Cist. 1, 1, 64. *indidem, unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem.* i. e. eodem loco, in animo.

4. Ponitur *indidem*, quando dicendum est, rem

rursus vel iterum ex aliquo loco reverti. Hinc cum nomine *rursus* consociatur.

Cic. de Nat. d. 2, 46, 118. *quibus* (vaporibus) *altae renovataeque stellae atque omnis aether refundunt eodem et rursum trahunt indidem.*

Herzogius ad Caes. B. gall. 7, 63. iniuriam fecit Oudendorpio. Ille enim non male coniecit Caesarem scripsisse: *hoc negotio confecto Labienus revertitur Agendicum —: indidem cum omnibus copiis ad Caesarem pervenit.*

*) Librarii peccare solebant scribendo *eidem*, *in diem*, *in idem*, *itidem*. Vid. Oudendorp. ad Caes. B. gall. 7, 63. Drakenborch. ad Liv. 39, 8, 8. Pricae. ad Apulei. Met. 2. p. 20.

INDV.

Ex ἐνδοῖ sive ἔνδοι factum erat *indu*. Nam vocalis *oi* in *u* transire solebat. Vide Schneideri Grammat. 1. p. 83. et Vossii Etymolog. p. 308. Gifanius in Indice Lucret. inveniri usquam negabat *indu:* dixisse veteres *endo*, *endoperator*. Vossius autem illam formam vindicat auctoritate codicum et analogia. Vide Probum p. 1438. Conf. T. 2. p. 374. et Gesneri Thesaur. T. 2. p. 1028. Columna ad Ennium p. 16. Forbiger. ad Lucret. 1, 83. Exstant certa exempla, quae monstrant *indu* pro *in* praepositione antiquissimo tempore dictum esse. Quando obsoleverit, non constat, nec omnibus communis fuisse videtur usus. Quare Lindemannus recte iudicavit ad Plauti Amph. Prol. 125. abstinendum esse hac forma in Plauto emendando, qui an eam in usu habuisset, nondum esset exploratum.

Ennius apud Macrob. Sat. 6, 2. *concurrunt veluti venti quum spiritus austri imbricitor aquiloque suo cum flamine contra indu mari magnos fluctus extollere certant.* Ennius apud Gell. 12, 4. *indu foro lato.* Lucil. apud Lactant. 5, 9, 20. *populusque patresque iactare indu foro se omnes.* Plurimi codices consentiunt in littera *i*, etiamsi quidam *inde*, alii *forum* praebent. Lucret. 2, 1095. *quis habere profundi indu manu validas potis est moderanter habenas?* 5, 103. *nec iacere* (possis) *indu manus.* 6, 891. *indu mari.*

Lucil. apud Non. s. v. micare: *omnia tumendo mucro videas fervente micare.* Laurenbergius in Antiquar. p. 228. *omnia tum indu mari v. f. m.* Bongarsius *tum endo mari.*

INFRA.

Infra adverbium, ex *infera* factum, in usum praepositionis transiit, et accusativum post se habet. Nam opinio quorumdam de ablativo coniungendo expers est argumento. Rariora sunt exempla adverbii. Quod in inscriptione apud Gruterum p. 171, 8. apud Orell. n. 3892. legitur: *haec quae infera scripta sont*, debetur cum multis aliis in hoc lapide corruptis aut vitiosae pronuntiationi, aut inscitiae artificis. Adverbium comparativum servat primitivam formam *inferius*. Sed quod in *super* factum videmus terminatione omissa, non pertinet ad *infer*, quod quum apud Catonem de Re r. 149. legatur: *ubi super inferque vicinus permittet*, adiectivum statuamus necesse est in modum verborum *citer*, *exter*. G. Vossius mira opinione *inferum* derivavit ab *inferre*. Alii graecum ἔνερ comparaverunt, sive digamma interposito ἔνϝερ, nec negari poterit similitudo. Latini id, cui contrarium est supra, designabant voce *inf:* vid. p. 219. idque natum est ex *in*.

1. *Infra* de loco infero et de infera parte dicitur. Opponuntur verba *supra* et *altum*. Interdum etiam de eo usurpatur, quod aliquam rem superiorem non attingit. Quo in usu explicando nos hic adverbium et praepositionem una comprehendemus.

Cic. Somn. Scip. 4. *infra autem iam nihil est, nisi mortale et caducum — : supra Lunam sunt aeterna omnia.* Quintil. 11, 3, 138. *nam infra mulierum est, supra centurionum.* Cic. Acad. 2, 40, 125. *innumerabiles supra, infra, dextra, sinistra, ante, post — mundos esse.*

Lucret. 3, 275. *nec magis hac infra quidquam est in corpore nostro.* 2, 312. *omnis enim longe nostris ab sensibus infra primorum natura iacet.* Palladius 5, 8, 5. *acutissima serra idem ramus supra infraque decisus.*

Ovid. Met. 2, 136. *altius egressus coelestia tecta cremabis, inferius terras.*

Cic. de Nat. d. 2, 20, 52. *infra autem hanc propius a terra Iovis stella fertur.* 2, 54, 135. *ipsius autem partes eae, quae sunt infra id, quod devoratur, dilatantur: quae autem supra, contrahuntur.*

Plin. Hist. n. 30, 5, 12. *quo* (lino) *praeligata infra caput vipera pependerit, donec exanimaretur.*

Tacit. Agr. 12. *scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque coelum et sidera nox cadit.* i. e. ita ut coelum clarum appareat supra.

2. Quoniam in hac rerum mensura partes vel loci inter se comparantur, recte dicitur *infra — quam*, quod non est pro *inferius — quam*, ut vulgo existimant. Neque enim alia est ratio atque in *ante — quam*. Nemo tamen elegantiorum scriptorum ita loquutus est, quamquam Heindorfius Ciceronem scripsisse de Nat. d. 2, 54. opinabatur: *quae sunt infra quam id quod devoratur.* Neque ad hoc genus pertinent loci, in quibus *infra*, *qua* legitur. *Qua* enim est *ubi*, *qua parte.*

Varro de Re r. 1, 41, 3. *in qua inserunt, in ea paullo infra, quam insitum est, incidunt.* Plin. Hist. n. 16, 30, 53. *si infra quam rami fuere praecidatur quod superest, vivit: si vero cacumen tantum auferatur, tota moritur.*

Celsus 3, 23. *ferro candente in occipitio quoque et infra, qua summa vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis.* Ovid. Met. 12, 419. *iaculum de parte sinistra venit et inferius, qua collo pectora subsunt, Cyllare, te fixit.*

3. De regionibus et de situ locorum usurpatur, nec tantum de montibus et de fluminibus, sed etiam de iis, quae longius remota aut post alium locum sita sunt. Et proprie dicuntur infra posita, quae ad occasum solis vergunt.

Plin. Hist. n. 34, 19, 15. *Minerva — infra Capitolium a Quinto Lutatio Catulo dicata.* Plin. Epist. 8, 8, 6. *in superiore parte navigare tantum, infra etiam natare concessum.*

Caes. B. gall. 4, 36. *onerariae duae eosdem, quos reliquae, portus capere non potuerunt, sed paullo infra delatae sunt.* i. e. ad occasum solis.

Cic. in Verr. 4, 23, 51. *Archagathum et argentum in lectica cubans ad mare infra oppidum exspectat.* Plin. Hist. n. 6, 20, 23. *infra solitudines.* 6, 27, 31. *infra est Susiane.* 6, 27, 32. *infra Eulaeum Elymais est.*

Ovid. Met. 2, 208. *inferiusque suis fraternos currere Luna admiratur equos.*

4. Proprie usurpatur de ordine accumbentium in triclinio. Qui enim infra cubat, ad dextram alteriùs

medium locum obtinentis, et ultimo loco cubat, qui erat consularis et honoratior: qui supra, summus in primo loco post medium discumbit. Vide Ciacconium de Triclinio p. 24. Salmas. ad Solin. p. 886. Si duo tantum discubuere, alter non tam magis honoratus quam familiaris infra dicebatur cubare, alter supra. Qui infra accumbebant, etiam *in sinu alterius recubare* et *intus accubare* dicebantur. Ita apud Livium 39, 43, 3. mulier dicitur *infra* consulem accubans, et paullo post *in sinu consulis recubans*. Sed haec formula etiam in universum usurpabatur de iis, qui cum aliquo sive prope aliquem accumbebant.

Sallust. apud Servium ad Virgil. Aen. 1, 698. *in summo Antonius et infra scriba Sertorii Versius.* Horat. Sat. 2, 8, 20. *summus ego, et prope me Viscus Thurinus, et infra, si memini, Varius.* Viscus erat medius, Varius imus. Cic. ad Fam. 9, 26, 1. *accubueram hora —. Dices, ubi? Apud Volumnium Eutrapelum, et quidem supra me Atticus, infra Verrius, familiares tui. — Infra Eutrapelum Cytheris accubuit.* Sueton. Cal. 24. *cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit, plenoque convivio singulas infra se vicissim collocabat, uxore supra cubante.* Vxorem decebat accumbere infra et in sinu Caligulae: sed ei locus assignabatur post Caligulam. Plutarch. Sympos. 1, 3. *ὁ μὲν (τόπος) ὑπ' αὐτὸν ἢ γυναικὸς ἢ παίδων ἐστίν.*

Curt. 8, 1, 28. *ad eos, qui infra ipsum cubabant, conversus.*

Falsam opinionem, qua Lipsius pro *infra* reponi *intra* iusserat, refutavit Gronov. ad Liv. 39, 43, 3.

5. Proprie de iis, quae sub terra sita sunt vel aguntur. Hinc de inferis et de orco.

Tacit. Ann. 11, 20. *legionibus cum damno labor, effodere rivos quaeque in aperto gravia, humum infra moliri.*

Tibull. 1, 10, 34. *non seges est infra, non vinea culta.*

6. Scriptores ea, quae sunt post alia scripturi vel enarraturi, designant inferioris loci nomine. Hinc *infra* de eo, quod in oratione sequitur.

Cic. ad Att. 8, 6. Pompeii verba: *earum* (litterarum) *exemplum infra scripsi.* ad Fam. 5, 10, 5. 6, 8, 8. Sallust. Cat. 34, 3. *earum exemplum infra scriptum est.*

Quintil. 8, 4, 9. *augendo enim quod est infra, necesse est extollat id, quod supra positum est.*

Caius in Digest. 9, 2, 2. *Lege Aquilia capite primo cavetur* etc. *Et infra deinde cavetur* etc.

Ovid. Trist. 2, 263. *persequor inferius, — posse nocere animis carminis omne genus.*

7. Ne in hoc quidem vocabulo veteres abstinuerunt, quin localem notionem ad tempus transferrent et posterius tempus significarent.

Cic. Brut. 10, 40. *cuius etsi incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum: siquidem non infra superiorem Lycurgum fuit.* Quintil. 1, 7, 20. *quid quod Ciceronis temporibus paullumque infra — geminabatur?*

8. De mensura et de numero pro *minus quam.* Laur. Valla quum Elegant. 2, 53. distingueret verba *intra viginti dies*, temere negavit *infra* referri ad numerum.

Plin. Hist. n. 17, 8, 4. *terra infra tres pedes effossa.* 6, 6, 6. *latitudo nusquam infra duo iugera.* 18, 26, 62. *in eum diem ternadena subiicito aestate tota, hieme pauciora, non tamen infra novena.*

9. Loco superiore et inferiore designari solet magnitudo et dignitas rerum: et dicitur *esse infra* res, quae aliis postponitur et minoris est pretii. *Infra dignitatem* sunt res dignitate destitutae. *Infra aliquam rem* est, qui se continet, nec supra rem se extollit, sed eam ne attingit quidem. *Infra classem* quomodo usurpetur, explicat Gellius 7, 13. De discrimine verborum *infra* et *intra* vide in hoc vocabulo.

Caes. B. gall. 6, 28. *hi sunt magnitudine paullo infra elephantos.* Plin. Hist. n. 28, 8, 27. *alter illi similis, multum infra magnitudine.* Hirt. B. Alex. 13. *reliquae infra hanc magnitudinem.* De hominum magnitudine: Curt. 6, 8, 7. *Parmenionem — inveterata apud milites tuos auctoritate haud multum infra magnitudinis tuae fastigium positum, scio non aequo animo salutem filii sui debiturum tibi.* Tacit. Ann. 14, 54. *quae quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem iacet.*

Liv. 28, 43, 5. *sic senem se perfunctum honoribus et me infra aetatem filii etiam sui fuit.*

Terent. Eun. 3, 2, 36. *tace tu: quem ego infra esse infimos omnis puto homines.* Cic. Orat. 1, 4. *nam in poetis non Homero soli locus est — aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam*

infra secundos. Plin. Hist. n. 19, 3, 15. *multo infra cyrenaicum.* 25, 7, 38. *multum infra hunc succum est, qui in Gallia fit ex herba chamelaea.* 33, 5, 26. Horat. Sat. 2, 1, 74. *quidquid sum ego, quamvis infra Lucili censum ingeniumque.* Stat. Theb. 1, 415. *sed non et viribus infra Tydea fert animus.*

Tacit. Ann. 2, 43. *liberos eius ut multum infra despectare.*

Quintil. 1, 7, 1. *id quidem infra grammatici officium est.* 2, 5, 4. *illa — multum infra rhetoris officium existimanda est.* Plin. Epist. 8, 6, 2. *infra Pallantis laudes iacebunt.* Quintil. 8, 2, 2. *sunt autem humilia infra dignitatem rerum aut ordinis.*

Plin. Epist. 1, 20, 2. *sed non minus non servat modum, qui infra rem, quam qui supra.*

Propert. 1, 20, 5. *est tibi non infra speciem, non nomine dispar — ardor.* Poeta ita loquitur pro *non infra est specie.* quod Heinsius reponendum temere censuit. Burmannus autem inepte ita accepit, quasi *infra* cum ablativo construi Heinsius existimasset.

10. *Infra aliquem esse* igitur de rebus vilioribus dicitur et *infra se videre, arbitrari*, etiam de despicientibus. Vid. Ruhnken. ad Vellei. Pat. 2, 76, 4. Vbi de subiectis rebus sermo est, accedit per *infra* despicientiae nota. Quemadmodum Tacitus Germ. 37. *quid enim aliud nobis quam caedem Crassi amisso et ipso Pacoro* (ita est scribendum, non *ipse*) *infra Ventidium deiectus oriens obiecerit?* Respicit humilitatem Ventidii.

Quintil. 12, 9, 7. *nec illo fastigio laborabit orator non agendi caussas minores, tamquam infra eum sint.* 12, 11, 30. *multos infra nos videbimus.*

Cic. Tusc. 3, 7, 15. *qui invictus sit, cum res humanas despicere atque infra se positas arbitrari.* de Fin. 3, 7, 25. *ut omnia, quae homini accidant, infra se esse iudicet.* 3, 8, 29. *infra se omnia humana ducens.* Plin. Pan. 76, 6. *nihil infra se putabat, nisi quod infra consulem esset.* Sil. Ital. 15, 107. Vellei. 2, 76, 4. *infra se et Caesarem videret et rem publicam.* Senec. Thyest. 365. *qui tuto positus loco, infra se videt omnia.*

11. *Infra servos* dicitur de eo, qui liberum ingenium exuens non dedignatur se servis submittere aut servis parere.

Tacit. Ann. 13, 12. *neque Neroni infra servos ingenium erat.* Vellei. Pat. 2, 83, 1. *infra servos cliens.*

12. Haec fere omnia de loco, quem res obtinere dicuntur. Sed usurpatur *infra* etiam de motu et descensu. Tum significat *hinunter zu*, vel ubi de regione est sermo, *nach unten*.

Cic. p. Quint. 15, 49. *cuius vero bona venierunt —, is non modo ex numero vivorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur.* ad Quirit. p. red. 4, 10. *spiritu dumtaxat viveret, re quidem infra omnes mortuos amandatus esset.* de quo loco Marklandus et Wolfius.

Liv. 2, 7, 12. *delata confestim materia omnis infra Veliam.* Tacit. Serm. 37. vid. n. 10.

Senec. Epist. 79, 8. *virtutem non flamma, non ruina inferius adducet.*

*) Commutantur *infra* et *intra*. Vide Drakenb. ad Liv. 34, 50, 13. 39, 43, 3. Oudendorp. ad Apulei. Tom. 2. p. 16.

INGRATIIS. INGRATIS.

Gifanius in Ind. Lucret. de v. *omnimodis* tradit *ingratiis* esse adverbium. Eum reprehendit Vossius de Arte Gram. 3, 2. p. 381. et de Anal. 1, 47. p. 646. nam adiectivam naturam declarari addito nomine, veluti *ingratiis nostris*. Hinc reliqui grammatici in duas partes discesserunt. Hodie autem non amplius dubitatur, et nos hanc rem exposuimus in v. *Gratis*. Numquam exstitisse videtur nomen *ingratia*, nisi tempore Tertulliani, qui eo usus est de Poenit. 1. et 2. Sed *ingratiis* negativum accommodabant nomini *gratiis*, adeoque dicebant *tuis ingratiis*. Antiqui enim comici semper *ingratiis* quatuor syllabis pronuntiabant, unde Graevius ad Cic. Verr. 4, 9. comicum appellat cum Pareo in Lex. crit. p. 607. Cf. Bentlei. ad Terent. Ad. 4, 7, 26. Oudendorp. ad Apulei. T. 1. p. 80. Lindemann. ad Plaut. Amph. 1, 1, 13. Posteriores dixerunt *gratis* et *ingratis*, et adverbium ubique agnoverunt. Quare Zumptius se ipse correxit, quum in minore editione Cic. Verr. 4, 9, 18. Scripsisset *ingratiis*. Bremium autem ad Cornel. Them. 4, 4. oportebat non acquiescere in Bosii sententia, sed distinguere tempora diversa. Nam omnibus in locis meliores libri scripturam *ingratis* confirmant: etiam codices Apuleii, qui alias vetustatem imitatur.

Vide Oudendorp. l. l. Apud Gellium 17, 1. critici rursus quaerant de integritate scripturae: legitur enim in antiquis editionibus: *sed ea ingratis in corporibus nostris vi ac necessitate naturae nobis accidant:* in codicibus deesse fertur *corporibus.*

1. Significationem ipsum vocabulum ostendit: nulla gratia, non ultro, praeter voluntatem. Onomasticum a Vulcanio editum: *ἀεκητί.* Et quum comici originem verbi cognovissent, substantivi more dixerunt *tuis ingratiis*, quod est, te invito. Cf. Muret. Var. Lect. 18, 9. Parei Lex. crit. p. 608.

Plant. Cas. 2, 5, 7. *vobis invitis et amborum ingratiis una libella liber possum fieri.* **Merc. 2, 4, 11.** *tuis ingratiis.*

2. Quae igitur inviti et coacti agimus, ingratis agimus. Donatus ad Terent. Eun. 2, 1, 14. *Nam ingratiis non ultro significat, quia ultronea ingrata* (corr. *grata*) *sunt, ingrata quae ab inimicis* (scrib. *invitis*) *fiunt ac recusantibus.* Galli dicunt *malgré.*

Plaut. Cist. 2, 3, 82. *nunc mihi bonae necessumst esse ingratiis, quamquam esse nolo.* **Eun. 2, 1, 14.** *opus faciam, ut defatiger usque, ingratiis ut dormiam.* **Lucret. 3, 1082.** *effugere haud potis est, ingratis haeret et odit.* **Cic. Verr. 4, 9, 19.** *dicent, quae necesse erit, ingratis.* ubi Zumptius. **Apulei. Met. 1. p. 114, 12.** *iam obstinationi suae me ingratis obedientem perducit ad illum suum grabatulum.*

3. Nec vero tantum cum verbis activis componitur, sed etiam cum passivis ita, ut *ingratis* ad eos referatur, quibus invitis aliquid fiat ab aliis. Nec desunt exempla, in quibus adverbium hoc vel accusativo vel dativo adiungitur, veluti *cogere aliquem ingratis.*

Plaut. Curc. 1, 1, 6. *tamen est eundum, quo imperant, ingratiis.* **Mil. 3, 1, 153. Terent. Phorm. 5, 7, 5. (6, 48.)** *nam idem hoc argentum ita ut datumst ingratiis ei datum crit.* **Librarii quidam** *his* **vel** *iis* **pro** *ei* **scripserunt, etiamsi de uno Phaedria sermo erat. Lucret. 5, 44.** *quae proelia nobis atque pericula sunt ingratis insinuandum?*

Plaut. Rud. 3, 4, 66. *haec illa est simia, quae has hirundines ex nido vult eripere ingratiis.* **Men. 5, 8, 5.** *quom ego accurro teque eripio vi pugnando ingratiis.* **Cas. 2, 2, 22.** *quin mihi ancillulam ingratiis postulat, quae mea est.* **Mil. 2, 5, 39. Amph. 1, 1, 10 (13). Terent. Heaut. 3, 1, 37.** *ea coacta ingratiis postilla*

coepit victum volgo quaerere. Cic. p. Tull. 5. *nisi plane cogit ingratiis, ad maledicendum non soleo descendere.* Bene hoc defendit Heinrichius, frustra repugnante Fr. C. Wolffio, qui negabat recte dici *caussa cogit aliquem ingratiis.* vide Beierum p. 232. Cornel. Them. 4, 4. *hoc eo valebat, ut ingratis ad depugnandum omnes cogerentur.* Ita codices. Cic. p. Quint. 14, 47. *extorquendum est invito et ingratiis.* Scrib. *ingratis.* Apulei. Met. 2. p. 123, 39. 6. p. 186, 15. Lactant. 2, 10, 25.

Plaut. Amph. 1, 1, 214 (219.). MERC. *Nunc profecto vapula ob mendacium.* SOS. *Non edepol volo profecto.* ME. *At pol profecto ingratiis.* i. e. etiam nolente te. Codices ibi non pauci *ingratis.*

4. Notanda est compositio verborum *vi* et *ingratiis* sive *ingratis.*

Plaut. Mil. 2, 5, 39. *vi atque invitam ingratiis, nisi voluntate ibis, rapiam te domum.* Scipio apud Isidorum Orig. 2, 21, 4. *vi atque ingratiis coactus cum illo sponsionem feci.* Cf. Gellius 17, 1. vide supra.

*) In libris scriptis saepe legitur *ingratus* pro *ingratiis.* Sic Priscianus habet *ingratus excitavit*, quae sunt Plauti verba Amph. 1, 1, 10. Sic apud Terent. Eun. 2, 1, 14. In Digest. 17, 1, 86, 2. *ingratus eas retineat.* cod. florent. *ingratis.* vid. Parei Lex. p. 608.

INIBI.

Grammatici omnes tradunt INIBI esse *in ibi* et significare *in eo*, *in eodem loco.* Quidam dixerunt maius esse quam *ibi.* Quae omnia ratione destituta videntur. *In* vero non est praepositio, sed illa vox, quam in *inde* p. 359. explicavi. Hinc intelligitur per *in* monstrari locum, et *inibi* duplicatam in se habere notionem, quasi quis germanice loquatur *dortda.* Quare nihil differunt *ibi* et *inibi*, nisi maiore vi demonstrationis. Ac non multa exstant exempla apud antiquos scriptores, plura apud posteriores.

1. De loco usurpatur et de re, ut iam in *ibi* dictum est. Quod Pareus in Analect. Plaut. ad Poen. 2, 45. p. 601. opinatur, etiam *intus* significari, id nec communi usu confirmatur, nec aptum est isti loco Plauti.

Plaut. Pers. 1, 3, 44. *scaphium, soccos, pallium, marsupium habeat, inibi paullum praesidii, qui familiarem suam vitam oblectet modo.* Varro de Re r. 18. *inibi lapides silices.* Paullo post eodem sensu *ibi.* Cic. Agrar. 1, 7, 20. *nata inibi esse haec ex Campanorum fastidio videtur.* i. e. Capuae. Argument. comoed. Plaut. Captiv. 5. *et inibi emit olim amissum filium.* Correxerunt critici ob hiatum *in ibus.* Apulei. 1. p. 111, 41. *inibi iste Milo deversatur.* 6. p. 180, 17. *inibi spiraculum Ditis.* vid. Oudendorp. T. 1. p. 564.

2. Recentiores scriptores usurpabant ita, ut esset *in eodem loco.* Etiam pro *illico* dictum videtur.

Gellius 17, 12. *atque inibi eisdem laudibus non hercle hac sententiola invenuste lusit.* i. e. in eodem libro. 17, 8. *eius coenae omne erat in olla una lentis aegyptiae et cucurbitae inibi minutim caesae.* i. e. in eadem olla.

Gellius 1, 3. *quum die vitae suae postremo eum inibi mors occuparet.*

3. Sed miramur id, quod a quibusdam grammaticis traditur, *inibi* significare *prope iam*, vel, ut Nonius 2, 427. ait, *sic et mox.* Quae exstant exempla huius generis, omnia in se habent *esse*, et dicitur *inibi esse*, pro *in eo esse.* Nos Germani *daran seyn.*

Apud Nonium Afranius Materteris: *postquam se vidit inibi esse, gignatam parvulam sororibus commendat.* Caecilius Plocio: *liberne es? Non sum, verum inibi est.* Pacuvius Iliona: *profecto aut inibi est: tam iam potiuntur frugum.* Scribendum videtur *aut inibi est, aut iam p. f.* nisi *aut* in *haut* mutandum. Cic. Phil. 14, 2, 5. *quod sperare nos quidem debemus, P. C., aut inibi esse, aut iam esse confectum.*

INSECVS.

Glossae a Vulcanio editae: *insecus*, εἰς ἐγγύς. Nec repugnat analogia: nam dicitur, *intrinsecus*, *circumsecus.* Significat quod Germani dicunt *einwärts.* cf. T. 2. p. 74. Exempla apud scriptores nusquam inveni.

INSEMEL.

Quem ad modum *inante*, *incircum*, *insuper* aliaque huius generis composuerunt Latini inferioris aetatis ad augendam vim verborum, etiam *insemel* dictum esse

pro *semel* videtur: idque libri scripti in plurimis locis efferunt, quod tamen critici mutarunt in *insimul*. Si vero ad animum revocassent, utrumque vocabulum unius esse originis et rationis, non dubitassent de usu, sed sibi persuasissent, vulgari sermone has formas fuisse promiscue usurpatas.

Caius in Dig. 18, 1, 35, 7. *nec interest unum pretium omnium centum metretarum insemel dictum sit an in singulas eas.* Ita cod. florent. a prima manu: correxit alia *insimul*. Et recte scriberetur *insemel*, quod esset uno nomine. Florus Praef. 3. *in brevi quasi tabella totam eius imaginem amplectar, nonnihil ut spero ad admirationem principis populi collaturus, si pariter atque insemel universam magnitudinem eius ostendero.* Alii codd. *in semet*. Critici fecerunt *insimul:* quod praestare mihi non videtur. Reddam *eben so und auf einmal*, hoc est, una tabella universam magnitudinem ostendens. 2, 20, 1. *relictae regiis hereditatibus opes et tota insemel regna veniebant.* Etiam hoc loco optimi codices consentiunt: qui *insimul* praebeant, nominare non possum. Illud comprobavit Salmasius, hoc Oudendorpius.

INSIMVL.

Novum hoc vocabulum in usum venit aevo Domitiani. Ante Statium qui usurpaverit, nemo est cognitus. Significat *simul*. Vide Borrich. Cogitat. p. 200. Cellarii Curas poster. p. 146.

Stat. Silv. 1, 6, 35. *orbem qua melior severiorque est et gentes alis insimul togatas.* Heinsius coniecit *in sinu:* edit. venetae habent *insemel*. De locis Flori modo dictum est in INSEMEL. Freinhemius in Ind. Flor. affert haec: Collectio Chron. ex Anonymo, qui sub Alexandro Severo vixit 1. extr. *fiunt insimul anni* CCCXLVI. Gesta Dei per Francos p. 63, 27. *ut autem insimul omnes conspexit.* Adde Paul. Diac. lib. 15. in morte Attilae.

INSVPER.

INSVPER factum est eo modo, quo Germani *über* mutant in *drüber*, quod est *darüber*. Nam demonstrativa vis voculae *in*, de qua p. 244. diximus, hic quoque apparet. Sed praeter hanc intentionem nihil particula habet, quo a *super* differat.

Inepta erat sententia eorum, qui dicebant duas praepositiones ita esse compositas, ut etiam possent separatae transponi *super in*, uti apud Plaut. Merc. 2, 1, 82. *donec in novo super*. vide Taubmann ad h. l.

1. Primum additur verbis imponendi, incumbendi ita, ut vel tertium significet, quod accedit ad rem iam alicui rei impositam i. e. *oben drauf*, *noch darauf*, vel etiam de re simpliciter imposita. cf. not. ad Statii Silv. 1, 1, 1. Est enim *ὕπερθεν*. *Insuper imponere* idem dicitur *superimponere*. vid. Drakenb. ad Liv. 21, 1, 5.

Liv. 22, 2, 8. *cumulatis in aquas sarcinis insuper incumbebant.* **Praecedunt enim dativi, non ablativi.**

Caes. B. gall. 4, 17. *insuper bipedalibus trabibus immissis.* **ubi Oudendorp. Bell. civ. 2, 9.** *centonesque insuper iniecerunt.*

Virgil. Aen. 1, 61. *molemque et montis insuper altos imposuit.* **3, 578.** *Enceladi semiustum fulmine corpus urgeri mole hac, ingentemque insuper Aetnam impositam ruptis flammam exspirare caminis.* **Liv. 21, 45, 1.**

Liv. 44, 5, 4. *humusque insuper iniiciebatur.* **Tacit. Germ. 12.** *ignavos et imbelles et corpore infames coeno ac palude iniecta insuper crate mergunt.* **Cato de Re r. 160.** *ferrum insuper iactato.*

Singulari modo Plinius Hist. n. 13, 13, 27. *lapidem fuisse quadratum circiter in media arca vinctum candelis quoquo versus. In eo lapide insuper libros impositos fuisse: propterea arbitrari eos non computruisse.* **Intelligo libros in lapide fuisse per candelas alligatos:** *sie waren auf diesen Stein obendrauf gelegt.*

2. Eodem modo in describendis rebus super alias locatis usurpant adverbium.

Sallust. Cat. 55, 4. *eum* **(locum)** *muniunt undique parietes atque insuper camera lapideis fornicibus vincta.* **Vitruv. 5, 12, 6.** *ita erit, uti possit turris insuper aedificari.*

3. De eo *insuper* dicitur, quod exit ex superiore loco, *von oben her*, desuper, superne. Sic *insuper imminere*, quod alias *desuper imminere*. Sed etiam ipsa superior regio hoc modo designatur, quemadmodum Germani *von oben* pro *oben* loquuntur. Tum est in superiore parte, cui opponitur *infra*, *circum*.

Lucan. 3, 610. *ausus romanae graia de puppe carinae iniectare manum: sed eam gravis insuper ictus amputat.*

Liv. 21, 34, 6. *ubi in angustiorem viam ex parte altera sub-*

iectam iugo insuper imminenti ventum est. Desuper imminere dixit Statius Theb. 1, 660.

Cato de Re r. 76, 4. *operito pruna insuper, et circum operito.* Tacit. Germ. 16. *solent et subterraneos specus aperire eosque multo insuper fimo onerant.*

4. Altera significatio particulae rem notat aliis rebus additam, vel praeter alias factam, ut sit *ad haec, praeterea.* Adiiciuntur aliae particulae similes *etiam, quoque.* Et differt *insuper* a *praeterea*, quod hoc simpliciter significat accedere aliquid, *insuper* autem novum quid accumulando adiici: *obendrein.* cf. Doederlin. Synon. T. 3. p. 108. Cicero hoc vocabulo non usus est: nam locus ad Fam. 15, 16. iamdudum est correctus. Suetonius pro *etiam* usurpavit, Apuleius pro *adeo.*

Plaut. Amph. 3, 2, 27. *quin ego illum aut deseram, aut satisfaciat mihi ille atque adiuret insuper nolle esse dicta, quae in me insontem protulit.* Merc. 4, 2, 1. *parumne est malae rei, quod amat Demipho, ni sumptuosus insuper etiam siet?* Terent. Eun. 4, 3, 2. *hoccine tam audax facinus facere esse ausum? — Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatust virginem* etc. Ad. 2, 2, 38. *etiam insuper defrudet?* Rhet. ad Herenn. 4, 23, 33. *non modo id non fecit, sed etiam insuper ipse grandi sponsione victus est.* Liv. 3, 67, 4. *si id parum est, insuper poenas expetite.* 4, 58, 11. *haec sua sponte agitata insuper tribuni plebis accendunt.* 42, 25, 1. 21, 14, 2. *alius insuper tumultus ex arce auditur.* 22, 3, 12. 3, 38, 4. Virgil. Aen. 11, 107. *verbis haec insuper addit.* 12, 358. 2, 593.

Liv. 21, 1, 5. *stipendio etiam insuper imposito.*

Celsus 4, 10. *ac insuper quoque recte quaedam malagmata iniiciuntur.* Sed vide Tom. 1. p. 455.

Sueton. Vitell. 2. *mox cum Claudio principe duos insuper ordinarios consulatus censuramque gessit.* Falsa est eorum opinio, qui *insuper* significare dicunt *continue.* Est *etiam.* Aug. 98. *inter varia munuscula togas insuper ac pallia distribuit.* Tib. 1. *a patribus in patricias cooptata agrum insuper trans Anienem clientibus — accepit.*

Apulei. Met. 3. p. 132, 27. *at ille non contentus, quod mihi nec adsistendi solatium perhibuit, insuper exitium meum cachinnat.* ubi *cachinnare* cum accusativo coniungitur, non *insuper* praepositio.

5. Vti post nomina diversitatis et secretionis, etiam post *insuper* Livius posuit *quam*.

Liv. 23, 7, 3. *haec pacta: illa insuper, quam quae pacta erant.* ubi erant qui *illa* in *alia* mutari iuberent.

6. *Insuper habere*, quod est supervacaneum, nec necessarium habere, dicitur pro contemnere, vile habere, negligere, et usurpatur a scriptoribus recentissimi aevi. Muretus Var. Lect. 11, 17. uno verbo iuncto, sicuti invenisset in libris scriptis, haec esse scribenda monuit. Raevardus ad Plaut. Merc. 1, 2, 82. separatas fuisse has praepositiones *in super habere* contendit. Certe tamen *insuper* scribendum est: alioquin Mureti praeceptum probari poterit.

Gellius 1, 19. *eam constantiam confidentiamque non insuper habendam intelligit.* 4, 1. *haec ego, inquit, quum philosophiae me dedissem, non insuper tamen habui discere.* Apulei. Met. 1. p. 107, 33. ubi Colvius e codd. revocavit. 4. p. 154, 7. vide Brantium ad Met. 5. p. 172, 17. Papinian. in Dig. 11, 7, 43. Cuiac. Observ. 3, 22.

7. Particula haec cum nominibus coniungitur praepositionis instar apud poetas, et quidem cum ablativo. Id imitati sunt quidam scriptores prosaici, ut Vitruvius. Etiam accusativum adiungi posse, perpaucis demonstratur exemplis.

Lucret. 6, 521. *atque aliis aliae nubes nimbeique rigantes insuper — feruntur.* 6, 191. *ubi per magnos monteis cumulata videbis insuper esse aliis alia.* Sed in his si quis dativum intelligi malit, non deerit ei iusta caussa. Vitruv. 10, 15 (21), 4. *quo insuper collocata erat alternis materies.* 5, 1, 9. *quibus insuper transtra* etc.

Virgil. 9, 274. *insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.*

Cato de Re r. 18, 5. *insuper arbores stipitesque trabem planam imponito.* Vitruv. 10, 14 (20), 2. *collocentur autem insuper basim tigna duo.* Sed cod. franeq. *basi.* 5, 12, 4. *insuper eam exaequationem.* Edit. prima *ea exaequationc.* Columell. 12, 39, 1. *tum insuper cannas ponere et in sole pandere uvas.* Caes. B. civ. 2, 9. *hanc insuper contignationem, quantum tectum plutei ac vinearum passum est, laterculo adstruxerunt.* Non est praepositio, sed adverbium: contignatio supra imposita erat. Vide Herzogium.

*) *Insuper* et *super* a librariis fere ubique commutata sunt. vd. Drakenb. ad Liv. 21, 34, 6.

INTER.

Inter ex *in* et adverbiali syllaba *ter* factum esse nemo non videt. Haec vero utrum pro *iter* dicatur, ut Iahnius in Nov. Annal. I. 3. p. 77. putat, an *i* in adverbiis sit genitivi vocalis, veluti *brevi-ter*, etiamsi omitti possit, ut ex *propi-ter* fiat *propter*, id facile potest diiudicari, quum horum nominum, quae *i* in se habent, nullum reperiatur, cui non vocalem genitivi adscribamus. Significatio eadem est atque in *ta* et *ti:* quare *aliter* etiam dicebatur *aliuta*, et *uti* respondet vocabulo *ita*. Neque vero haec terminatio exprimit similitudinem, quam grammatici dicunt, sed rem in aliquid intendi sive ad aliquid regi, idque et locum designat in praepositionibus et modum in adverbiis. Quare *inter* est *in* adhaerente notione extensionis, vel expansionis, qua aliquo vergat res. Sic *sub* mutatur in *subter*. Latini igitur hac forma exprimunt id, quod Germani *drinnen hin*, *hin* dicunt. Hoc modo factum est adverbium, de cuius usu vide Priscianum 14. p. 991. Praepositio autem coniungitur cum accusativo casu, qui cum ista notione intentionis naturaliter congruit. Tamen nihil impediebat, quo minus veteres Latini *inter* de rebus non motis et de quiete usurparent: nam in designanda loci ratione rerum situm et ambitum oculis sive animo persequimur. Germani veteres ex *unt*, quod valet *hin*, fecerunt *unter*. Quod vero grammatici quidam nostri temporis, in quibus miror etiam Max. Schmidium esse in Comment. de Pronom. p. 79., statuerunt *inter* etiam cum ablativo compositum esse, falsa ex opinione de loco Varronis de Ling. lat. 6, 2. (7, 8.) prodiit. Ibi enim in formula antiqua legitur: *inter ea conregione*, *conspicione*, *cortumione*, *utque ea rectissime sensi*. *Inter ea* reddi debet *zwischen diesem* et intelligi accusativus. Vid. Mulleri Res Etrusc. 3, 6, 3.

1. *Inter* igitur antiquo usu pro *in* dicitur de loco et de rebus in aliquo loco versantibus aut positis: idque auctores quidam mediae et extremae latinitatis imitati sunt. Non tantum pluralis, sed etiam singularis numerus nominum sequitur.

Plaut. Cist. 2, 1, 29. *inter novam rem verbum usurpabo vetus.* Quae Scioppius Suspect. Lect. 5, 19. confert, alias ad observationes nos retulimus. Sallust. Iug. 92, 5. *erat inter ceteram planitiem mons saxeus.* Sueton. Calig. 39. *Aponio Saturnino inter subsellia dormitante.* Sallust. Iug. 89, 4. *erat inter ingentis solitudines oppidum magnum.* Florus 2, 6, 41. *haec inter diversa terrarum populus romanus.* Carmen in Pisonem 150. *mira subest gravitas inter fora, mirus, omissa paullisper gravitate, lepos.* Sulpiciae Sat. 35. *qui res romanas imperat inter.* Vd. not. Schwarzii a Gurlittio editas p. 20. et Miscell. Observ. Tom. 6. p. 367.

Inter exempla dicitur pro *in exemplis.* vide n. 4. Huc refero formulam ex antiquo usu servatam per omnia tempora, *inter manus* h. e. in manibus, manibus: de qua Hadrian. Cardin. de Mod. lat. l. p. 271. Drakenborch. ad Liv. 3, 13, 3. et Eckstein. ad Tacit. Dialog. 3. Vsurpatur ea et primitivo sensu de manibus collocatis, et translato, ut sit *in potestate esse.* Plaut. Most. 2, 1, 38. *abripite hunc intro actutum inter manus.* Cic. Verr. 5, 11, 28. *itaque erant exitus eiusmodi, ut alius inter manus e convivio tamquam e proelio auferretur, alius tamquam occisus relinqueretur.* ubi Zumptius acute perspexit eorum errorem, qui intellexerant *inter pugnam* (vid. Burmann. ad Phaedr. 2, 7, 8.). Est enim, in manibus. Caes. B. civ. 2, 2. *hac agger inter manus proferebatur.* i. e. manibus. Virgil. Aen. 9, 502. *corripiunt interque manus sub tecta reponunt.* Liv. 3, 13, 3. *cecidisse semianimum: inter manus domum ablatum.* Senec. de Brev. vit. 12, 6. Tacit. Ann. 3, 16. *audire me memini ex senioribus visum saepius inter manus Pisonis libellum. Inter manus habere* Plin. Epist. 2, 5, 2. 5, 5, 7. Florus 3, 21, 6. *Baebium sine ferro ritu ferarum inter manus laniatum.* ubi vd. Duker. 3, 19, 12. Oudendorp. ad Lucan. 2, 121. Iustin. 15, 3, 12. *inter manus regis exspiraverat.* Sueton. Vesp. 24. Valer. Max. 5, 1. Ext. 6. *locum, qui inter manus est, finiam.* pro *in manibus.* Proprie de libris dicitur *inter manus versari.* Coel. ad Cic. 8, 3, 8. Pompon. in Dig. 1, 2, 2, 47. Apud Tacitum de Orator. 3. vulgo legitur: *sedentem ipsum, et quem pridie recitaverat, librum intra manus habentem deprehendimus.* Id nuper Boetticherus defendit tamquam insolentius. At qui reputaverit, quam saepe in codicibus *inter* et *intra* esse commutatas voces, non ab insolentia improbabili expetet argumentum defensionis.

Virgil. Aen. 11, 311. *ante oculos interque manus sunt omnia vestras.*

2. Tum de re media, quam ab utraque parte aliae res attingunt vel cingunt. Hanc notionem grammatici plerique primitivam esse arbitrantur, sed falsa opinione. Nam ex collocatione proficiscitur circumscriptio rerum. Sed apta erat haec singularis forma ad rem in medio positam aut per medium promotam distinctius signandam.

Cic. ad Att. 9, 2. *is queretur Brundisium me non venisse, quum inter me et Brundisium Caesar esset?* Caes. B. gall. 1, 2. de monte Iura: *qui est inter Sequanos et Helvetios.* Cornel. Them. 3, 2. *at classis communis Graeciae — apud Artemisium inter Euboeam continentemque terram cum classiariis regis conflixit.* Liv. 2, 5, 2. *ager Tarquiniorum, qui inter urbem ac Tiberim fuit, consecratus Marti, Martius deinde campus fuit.* 5, 35, 2. *quum iam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur.* Sueton. Vitell. 2. *detractum socculum dextrum inter togam tunicasque gestavit assidue.*

Quintil. 9, 4, 81. *media inter longas brevis faciet amphimacrum.*

Liv. 4, 18, 3. *utrimque acies inter bina castra in medium campi procedunt.* Curt. 3, 1, 13. *inter haec maria angustissimum Asiae spatium esse comperimus.* Sueton. Caes. 58. *a Brundisio Dyrrhachium inter oppositas classes hieme transmisit.*

Curt. 7, 2, 23. *spatiabatur in nemore Parmenion medius inter duces.* Tacit. Ann. 14, 33. *Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit.*

Quintil. 12, 3, 104. *vox vel inter dentes expressa non dedecet.*

3. Qui in aliqua multitudine vel numero versatur aut in copia rerum, dicitur *inter homines* vel *res* esse. Qui praestat, inter alios praestare dicitur: quod alicui generi rerum adnumeratur, inter eas apparet. Nec aliter res, quae cum aliis exsistunt vel sunt, aut quae praeter alia etiam adsunt. Atque *in* usurpari eodem modo, declaravimus p. 252. Hinc formulae *inter cetera*, *inter alia*, quas sequi solent *etiam*, *quoque*. vide T. 2. p. 553.

Sueton. Caes. 76. *non enim honores modo nimios recepit ut — statuam inter reges* etc. Cic. Tusc. 1, 14, 32. *quum* (Hercules) *inter homines esset.*

Liv. 2, 17, 4. *inter multos saucios consul spe incertae vitae relictus.* Curt. 5, 3, 9. *rex inter primos constiterat.* 6, 11, 1. *erat inter duces manu strenuus Belon quidam.* Liv. 22, 13, 2. *inter*

multitudinem sociorum italici generis — tres campani equites erant.

Cic. Orat. 29, 104. *unus eminet inter omnes in omni genere dicendi.* Plaut. Poen. 5, 4, 21. *sicut hodie nos inter alias praestitimus pulcritudine.*

Liv. 2, 14, 1. *mos, traditus ab antiquis, usque ad nostram aetatem inter cetera solemnia manet bonis vendendis.* 3, 10, 6. *inter alia prodigia et carnem pluit.* 2, 46, 4. *inter primores genus fabium insigne spectaculo exemploque civibus erat.* Sueton. Caes. 49. *milites eius inter cetera carmina, qualia currum prosequentes iocularíter canunt, etiam vulgatissimum illud pronuntiaverunt.* Aug. 98. *inter varia munuscula togas insuper ac pallia distribuit.*

Liv. 3, 10, 7. *inter cetera monitum, ut seditionibus abstineretur.* i. e. cum ceteris. 36, 38, 4. *inter cetera etiam vigiliis confecti.* i. e. praeter cetera.

Verburgius in Chrestomath. Petron. p. 191. Burmannum castigat, qui *inter* cum substantivis singularis numeri composuerat: *inter vulgum, inter supellectilem:* an iure, declarabit exemplorum nostra collectio.

4. Hoc etiam dicitur de iis, quae alicuius sunt generis: velut *inter exempla esse* pro exemplum sive in exemplis esse, apud Plinium, Senecam: de quo Wopkens. in Actis Traiect. T. 4. p. 369.

Tacit. Ann. 11, 24. *quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.* Senec. Epist. 98, 13. *nos quoque aliquid et ipsi faciamus animose: simus inter exempla.* Solin. Polyh. 4. *Pomponium — numquam ructasse, habetur inter exempla.*

5. Inter res versatur, qui circumdatur iis, aut qui circa eas commoratur. Quare hac praepositione etiam regio designatur et locus, in quo quis incedens versatur. Sed et simpliciter pro *apud* dicitur.

Phaedr. 4, 23, 5. *moror inter aras, templa, perlustro omnia.*

Cic. ad Att. 4, 3. *assequitur inter lucos hominem Milo.* Virgil. Aen. 3, 646. *quum vitam in silvis, inter deserta ferarum lustra domosque traho.* 6, 658. *canentes inter odoratum lauri nemus.* 8, 608. *at Venus aetherios inter dea candida nimbos dona ferens aderat.* Alia vide apud Wagnerum ad Eclog. 1, 51. in quo loco difficultatem nescio an vir doctus demonstratione potius auxerit, quam minuerit: nam verba: *inter flumina nota et fontes sacros frigus captabis opacum,* regionem designant: cir-

cumdatus his fluminibus et fontibus captabis frigus, hoc est, ad flumina. Tacit. Hist. 4, 12. *insulam inter vada sitam occupavere.* i. e. vadis circumdatam. Cic. in Catil. 2, 1, 1. *non enim iam inter latera nostra sica illa versabitur.* Tacit. Ann. 1, 64. *neque librare pila inter undas poterant.* i. e. ii, qui undis circumdati erant.

Sueton. Aug. 45. *inter angustias vicorum pugnantes temere.* Caes. 39. *ad quae omnia spectacula tantum undique confluxit hominum, ut plerique advenae aut inter vicos aut inter vias tabernaculis positis manerent.* h. e. in viis. Iustin. 2, 2, 6. *sine tecto munimentoque pecora et armenta habentibus quid inter silvas superesset, si furari liceret?* Petron. 22. *dumque inter argentum avidius rixantur, diductam fregerunt lagenam.* h. e. inter argentea vasa.

Liv. 1, 26, 11. *inter illa pila et spolia hostium.* i. e. apud. Sueton. Vitell. 11. *ferro succinctus, inter signa atque vexilla, sagulatis comitibus* (urbem introiit). i. e. circumdatus signis et vexillis.

6. Ita etiam pro *apud* positum videtur, ubi sermo est de multitudine, in qua quis versatur. Quod apud multitudinem fit, etiam dicitur fieri *inter* homines. Hoc refertur ad qualitatem rerum: unde illa adiectivorum compositio, quam n. 13. illustrabimus.

Liv. 6, 31, 5. *haudquaquam inter id genus contemptor habebatur.* i. e. quum esset in eo genere.

Curt. 5, 5, 17. *inter hos latendum est, qui nos miseros nosse coeperunt.* Sueton. Claud. 26. *dote inter auspices consignata.*

Gellius 1, 11. *tibicines inter exercitum positi canere incoeptabant.*

Sueton. Caes. 34. *professus ante inter suos.* Aug. 79. Quintil. 8, 6, 75. *est autem in usu vulgo quoque et inter eruditos et apud rusticos.* Liv. 4, 18, 1. *inter hostes variae fuere sententiae.* Tacit. Hist. 1, 34. *credula fama inter gaudentes et incuriosos.*

7. Quod dicimus fieri *apud* unum aliquem, id, ubi plures sunt, apud quos agitur, dici potest fieri *inter* aliquos.

Tacit. Hist. 4, 50. *nam populus oeensis — Garamantas exciverat, gentem indomitam et inter accolas latrociniis fecundam.* Ann. 1, 39. *rarum etiam inter hostes.*

8. Haec ratio eo tempore, quo praepositionum usus in latina lingua frequentior erat factus, etiam omnia

ea complectebatur, quae vel erga aliquos vel coram aliquibus agi dicebantur. Nec tantum adiectiva, sed substantiva etiam brevi in oratione cum praepositione et alio nomine coniunguntur, ut declaretur, apud quos quid aliqua res valeat vel polleat. Conf. n. 13.

Liv. 26, 2, 11. *ergo effecisse, ut feroces et inquieti inter socios, ignavi et imbelles inter hostes essent.* **haec respondent iis, quae ante dicta sunt dativo:** *brevi effecisse disciplina atque imperio, ut — praesidio sociis, hostibus terrori essent.*

Cic. ad Fam. 13, 31, 3. *tibi affirmo — te ex Caii Flavii officio et observantia et praeterea splendore atque inter suos gratia magnam voluptatem esse capturum.*

Liv. 6, 34, 5. *M. Fabii Ambusti, potentis viri quum inter sui corporis homines, tum etiam ad plebem, — filiae duae nuptae.* **Sueton. Caes. 6.** (reges) *qui plurimum inter homines pollent.*

9. Ex his facile colligitur, quo modo *inter* circumstantiam rerum denotet. Id vero quum plerumque cum temporis notione coniunctum sit, usum demonstrabimus infra, quando ad tempus pervenerimus.

10. Sed redeo ad singulares quasdam dictiones. *Inter vias*, quod Donatus ad Terent. Eun. 4, 2, 1. *figuratum et novum* appellat, omnibus temporibus commune videtur fuisse, et in vulgari sermone natum. Est de euntibus pro *in via: unterwegs.* Alio sensu dixit Suetonius in loco supra n. 5. allato Caes. 39.

Plaut. Aul. 2, 8, 9. *deinde egomet mecum cogitare inter vias occepi.* **Poen. 5, 3, 43.** *at ne inter vias praeterbitamus, metuo.* **Terent. Eun. 4, 2, 1.** *dum rus eo, coepi egomet mecum inter vias — aliam rem ex alia cogitare.*

Apud Cic. ad Att. 4, 3. vulgo legitur: *si se inter viam obtulerit, occisum iri ab ipso Milone video.* **Haec ne latina quidem videntur. Emendarunt** *inter vias*, **alii aliter. Libri scripti nihil sani praebent.**

11. *Inter* pro *intra* etiam de loco usurpari observarunt critici. Sed Kritzius ad Sallust. Iug. 93, 8. distinguit in hunc modum: *inter* de re dici, quae ab utraque parte coercetur: *intra* autem de re undique clausa. Hoc quidem verum: illud tamen nimium coarctat notionem. Nam *inter vineas* est ad vineas, apud vineas. Poetae autem fuere, qui *inter* pro *intra* ponerent.

Tibull. 4, 1, 79. *atque haec seu nostras inter sunt cognita terras, fabula sive novum dedit his erroribus orbem.*

12. Quod in praepositione *in* fieri vidimus supra, etiam *inter* in multis dictionibus locum habet, quibus efformandis vel ablativus, vel aliae praepositiones *ex*, *cum*, *a* inserviunt. Nam designantur hoc modo conditiones rerum, quae aliquem contingunt, et in quibus aliquis versatur. Significatio praepositionis non mutatur.

Tacit. Ann. 6, 51. *idem inter bona malaque mixtus.*

Liv. 9, 17, 16. *quem* (Darium) — *inter purpuram atque aurum, oneratum fortunae apparatibus suae — incruentus devicit.* i. e. purpura ornatum, in purpura.

Quintil. 11, 2, 47. *in actionibus inter praecipua servandum est, ut* etc.

Liv. 4, 44, 2. *petentibus inter aliquot plebeios filio Antistii tribuni plebis et fratre alterius tribuni plebis Sex. Pompilii.* 10, 11, 1. *quum exerceretur inter equites.* i. e. cum equitibus. Sueton. Claud. 10. *exclusus inter ceteros ab insidiatoribus Caii.*

Sueton. Tib. 70. *scripta eorum et imagines publicis bibliothecis inter veteres et praecipuos auctores dedicavit.*

Tacit. Ann. 2, 85. *more inter veteres recepto.*

13. Cum adiectivis componuntur nomina per praepositionem *inter*, ut exprimatur, qualis quis in numero aliquo appareat aut valeat. Nec aliter comparativus et superlativus dicuntur, qui cum genitivo coniungi solent. Heusingerus ad Cic. p. Rosc. Am. 6, 16. non modo raritatem huius dictionis notavit, sed etiam docuit, barbarum esse *doctissimus inter omnes.* Eumque sequuti sunt Matthiae, Moebius, alii. Ipse tamen Heusingerus veritatem rei postea perspexit, et in Observat. p. 472. nolle se profitetur ista a se scripta. Raritas enim dictionis non est vitiosa, neque ulla caussa intercedit impedimenti, quin praepositio pro genitivo ponatur.

Cic. p. Flacc. 22, 52. *ceteri homines apud nos noti, inter suos nobiles.* p. Cluent. 5, 11. *quae — nupsit A. Aurio Melino, consobrino suo, adolescenti in primis, ut tum habebatur, inter suos et honesto et nobili.* Idem est quod p. Caec. 4, 10. *domi suae cum primis honestus existimandus est.* Vide Cort. ad Sallust. Cat. 17, 4. et ad Cic. ad Fam. 13, 31, 3. Cic. Orat. 2, 6. *in oratoribus vero, graecis quidem, admirabile est, quantum inter omnes unus excellat.*

Lactant. 1, 6, 14. *quae celebrior inter ceteras ac nobilior habetur.* ubi conf. Bünemann.

Cic. p. Rosc. Am. 6, 16. *etenim rectum putabat, pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur.* Iustin. 17, 7, 2. *acerrimus inter recusantes Callisthenes fuit.* Curt. 4, 13, 4. *Parmenio peritissimus inter duces artium belli.* Senec. Controv. 2, 9. *ille Croesus, inter reges opulentissimus.* Mela 2, 1, 6. *tum Borysthenes gentem sui nominis adluit., inter Scythiae amnes amoenissimus.*

Ovid. ex Pont. 10, 57. *innumerique alii, quos inter maximus omnes cedere Danubius se tibi, Nile, negat.*

14. Quemadmodum *in paucis*, pro *in primis* positum, adiectivis additur ad praestantiae magnitudinem augendam, ita etiam *inter pauca*, et de hominibus *inter paucos*, cum adiectivis et simplicibus et superlativis componitur, et interdum etiam generi substantivorum accommodatur. Significat in primis, maxime. Plinius hac dictione frequenter usus est: Tacitus eam audacter aliis structuris iniunxit, non, quod Wopkensio in Actis Traiect. Tom. 4. p. 366. visum est, eleganti modo.

Plin. Hist. n. 30, 1, 1. *in paucis tamen digna res est.* 35, 11, 42. *pingunt et vestes in Aegypto inter pauca mirabili genere.* 26, 10, 62. *sed inter pauca mirabilis est orchis herba.* 24, 11, 58. *sternutamento utilis inter pauca.* 20, 17, 72.

Liv. 23, 44, 4. *memorabilisque* (pugna) *inter paucas fuisset, ni ingentibus procellis effusus imber diremisset pugnantes.* Neque aliam rationem esse huius formulae puto apud Liv. 22, 7, 1. *haec est nobilis ad Trasimenum pugna atque inter paucas memorata populi romani clades.* 38, 15, 9. *quum ea res animos facit, tum agri foecunditas et multitudo hominum et situs inter paucas munitae urbis.* Quintil. 10, 3, 13. *inter paucos disertus.* Plin. Hist. n. 27, 7, 28. *de usu eius convenit dicere, herbae facillimae atque inter paucas utilissimae.*

Tacit. Ann. 11, 10. *incautum venationique intentum interfecere primam intra iuventam, sed claritudine paucos inter senum regum.* Quae Muretus mutanda censuit. 16, 18. *inter paucos familiarium Neroni assumptus est.* i. e. in primis familiaris.

15. Antiqua iuris formula *quaestio inter sicarios, inter sicarios accusare*, numquam mutata est, origine eius iamdudum obscurata. Perperam vero grammatici

inde concludebant, *inter* antiquo usu pro *de* poni. *Legem de sicariis* memorat Tacitus Ann. 13, 44.

Cic. p. Cluent. 53, 147. *quid ergo est? haec quaestio sola ita gubernatur? quid M. Plaetorii et C. Flaminii inter sicarios? quid C. Orchinii peculatus? quid me de pecuniis repetundis?* de Fin. 2, 16, 54. *quum praetor quaestionem inter sicarios exercuisset* etc. de Inv. 2, 20, 60. *non enim oportet in recuperatorio iudicio eius maleficii, de quo inter sicarios quaeritur, praeiudicium fieri.* p. Rosc. Am. 5, 11. *longo intervallo iudicium inter sicarios hoc primum committitur.* Philipp. 2, 4, 8. *ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios defensurus.* p. Rosc. Am. 32, 90. *sexcenti sunt, qui inter sicarios et de veneficiis accusabant.*

Sueton. Caes. 11. *in exercenda de sicariis quaestione.*

16. Quum Latini Graecorum morem imitati locum vel a nominibus hominum habitantium vel a rebus ibi agendis appellare solerent, dicebant *inter falcarios* de loco, ubi falcarii habitabant.

Cic. in Catil. 1, 4, 8. *dico te priore nocte venisse inter falcarios — in M. Leccae domum.* quae recte interpretatur Priscianus 18. p. 1181. Liv. 35, 41, 10. *iidem porticum extra portam trigeminam inter lignarios fecerunt.* i. e. ubi negotiatores lignarii habitabant. vide Ernestii Clav. Cic. s. v. falcarius.

17. Venio ad aliam rationem illi cognatam, quam n. 2. exposui. Nam quum *inter* significet id, quod medium ab utraque parte determinatur, refertur etiam ad id, quod duas partes duasve res spectat. Atque primum usurpatur de eo, qui cum duobus agit, aut cui negotium est de duabus ex adversa parte positis rebus, veluti in iudicio inter partes dissidentes faciendo. Sed usus eo processit, ut etiam diceretur *inter sententias diiudicare* de conferendis sententiis diversis.

Cic. de Orat. 1, 39, 176. *qua de re inter Marcellos et Claudios patricios iudicarunt?* de Div. 1, 50, 114. *iudicavit inclytum iudicium inter deas tres aliquis.*

Cic. Tusc. 1, 11, 23. *utrum igitur inter has sententias diiudicare malumus.* Lambinus eiecit *inter*, defendit Wolfius, sed rara esse huius generis exempla animadvertens. Quintil. Prooem. 2. *inter diversas opiniones priorum et quasdam etiam inter se contrarias difficilis est electio.* 7, 4, 42. *quo in genere falluntur, qui ita dicunt, tamquam inter duas leges quaeratur.*

Tacit. Hist. 1, 50. *nunc pro Othone, an pro Vitellio in templa ituros? Utrasque impias preces, utraque detestanda vota inter duos, quorum bello solum id scires, deteriorem fore, qui vicisset.* i. e. in utraque parte.

18. Tum de rebus *inter* usurpatur, quae commercio constant et quae ipsae aguntur a duabus partibus. Id esse potest commercium vitae et sermonis, amicitia, inimicitia, contentio, ira.

Cic. de Am. 10, 33. *quae saepissime inter me et Scipionem de amicitia disserebantur.*

Cornel. Cinn. 3, 3. *pacem inter duas potentissimas civitates conciliavit.*

Cic. de Am. 18, 65. *ita fit verum illud —, amicitiam, nisi inter bonos, esse non posse.* 8, 27. *ex ea caritate, quae est inter natos et parentes.*

Curt. 6, 1, 9. *velut de industria inter fortissimos viros certamen aequante fortuna.* Cornel. Milt. 4, 4. *inter quos magna fuit contentio* etc. Terent. Andr. 3, 3, 20. *irae sunt inter Glycerium et gnatum.* Horat. Sat. 1, 7, 11. *inter Hectora Priamidem animosum atque inter Achillem ira fuit capitalis.*

19. Deinde de diversis rebus et de discrimine, quod inter res duas pluresve intercedit.

Cic. Verr. 3, 6, 12. *inter Siciliam ceterasque provincias, iudices, in agrorum vectigalium ratione hoc interest* etc. p. Balb. 21, 49. *sit hoc discrimen inter gratiosos cives atque fortes* etc. de Fin. 2, 13, 43.

20. Neque aliter de rebus dividendis.

Sueton. Aug. 4. *inter viginti viros agrum campanum plebi iulia lege divisit.*

21. Rerum qualitas, quae duas formas attingit et in qua dubitabis, utri eam assignes, dicitur esse inter duas res.

Sueton. Aug. 79. *colorem inter aquilum candidumque.* Plin. Hist. n. 37, 10, 56. *craterites inter chrysolithum et electrum colorem habet.*

22. Atque ita de rebus ambiguis loquimur, *inter* quas dubii versamur, aut de dubia conditione, in qua aliquid fluctuat.

Tacit. Ann. 2, 66. *Rhescuroris inter metum et iram cunctatus.*

4, 50. *iuventus Tarsam inter et Turesim distrahebatur.* 12, 32. *bellum inter et pacem dubitabant.* Hist. 2, 10. *in civitate discordi et ob crebras principum mutationes inter libertatem ac licentiam incerta parvae quoque res magnis motibus agebantur.* Curt. 7, 1, 33. *anceps enim crimen est inter retinentem et exigentem.*

23. Pronomina personalia cum hac praepositione iuncta, *inter nos*, *inter vos*, *inter se*, actionem indicant conclusam atque ad duos tantum homines duasve res pertinentem ita, ut mutua sit et ab utraque parte gesta. Id Graeci verbo ἀλλήλοις, ἀλλήλους exprimunt, nos vero Latinos imitantes *unter einander*. Saepe etiam hoc modo communio rei agendae simpliciter significatur: saepe opponuntur ii, qui extra. Latini igitur veteres dicebant *timere inter se*, quod apud posterioris aevi scriptores *invicem timere* audiebatur. vide Ant. Schori Phras. lat. ling. p. 440. Grammatici autem, qui tradunt, in his omitti aliud pronomen, et *inter se timere* poni pro *se inter se timere*, vehementer errant. Ochsneri Eclog. Cic. p. 257. (190.) Bremius ad Cornel. Dion. 4, 1. Goerenz. ad Cic. de Fin. 3, 20, 66. Zumpt. in Grammat. n. 300. et post eos multi alii. Tamen ipse Ernestius hanc sententiam amplexus est ad Cic. de Amic. 22, 82. Tria genera huius dictionis sunt distinguenda. Primum enim Latini mutuam actionem exprimunt verbis *inter nos*, *inter se:* veluti *amant inter se* i. e. alter alterum. Neque diversa sunt, in quibus pleonasmi instar utriusque partis nomen apponitur: *nos inter nos complexi sumus.* Nec ea, in quibus opponuntur extra posita, veluti *inter se similes* apud Cic. Acad. 2, 17, 55. quod est, inter se comparati. Deinde verba sibi pronomen ita adiungunt, ut una exsistat notio, quae etiam ad rem extra positam possit referri, quemadmodum in verbis *res inter se conciliat* referimus *inter se* non ad eum, qui conciliat. Denique vero Latini ut dicunt *novimus nos*, quod est *novi te et tu novisti me*, sic etiam *novimus nos inter nos:* nunquam tamen *noverunt se*, nisi intelligunt novisse se ipsos, neque etiam *noverunt se inter se.* Nam qui Graecorum consuetudinem, qua ἑαυτῶν pro ἀλλήλων ponebatur (vid. Matthiae Gram. p. 920.), imitatus fuerit, neminem bonorum scriptorum cognovi. Ceterum *inter nos*, *inter se* non tantum cum verbis passivis componuntur, sed etiam cum activis et cum substantivis nominibus attri-

butivi instar. Quemadmodum *inter se*, ita etiam dicebatur *inter ipsos*. vide Badium et Spalding. ad Quintil. 10, 2, 23.

Cic. de Orat. 1, 8, 32. *quod colloquimur inter nos.* de Fin. 3, 20, 66. *inter nos natura ad civilem communitatem coniuncti et consociati sumus.* ad Fam. 6, 22, 5. *utinam liceat — inter nos conferre sollicitudines nostras.* Plaut. Truc. 2, 4, 30. *quum inter nos sorderemus alter alteri.*

Cic. Div. in Caec. 11, 34. *facile omnes intelligent, vobis inter vos — voluntatem fuisse coniunctam.*

Plaut. Mil. 5, 39. *nihil cessarunt illico osculari atque amplexari inter se.* Terent. Ad. 5, 3, 42. *inter se amare.*

Cic. de Amic. 22, 82. *neque solum se colent inter se ac diligent, sed etiam verebuntur.* Miror Ernestium negasse, se commode abesse posse. Immo abesse debet, nec adest in optimis libris. *Se* esset *se ipsos.* ad Att. 6, 1. *Cicerones pueri amant inter se.* de Nat. d. 1, 44, 122. in Catil. 3, 5, 13. *sic furtim nonnumquam inter se adspiciebant.* Liv. 7, 42, 6. *complecti inter se lacrimantes milites coepisse.* Cornel. Dion. 4, 1. *quum inter se timerent.* Eum. 4, 2. *quum inter se complexi in terram ex equis decidissent.* Sueton. Aug. 71. *si vellent inter se inter coenam — ludere.* i. e. *mit einander.* Sallust. Iug. 41, 2. *populus et senatus romanus placide modesteque inter se rem publicam tractabant.* i. e. communi imperio ac consilio. Liv. 21, 39, 7. *sicuti inter se nondum satis noti, ita iam imbutus uterque quadam admiratione alterius.* Vidé Vorstium de Latin. falso susp. p. 218. Schelleri Observat. p. 247. Gernhard. ad Cic. de Amic. 22, 82. Ochsner. l. l. Beier. ad Cic. l. l. Hygin. Fab. 60. *Sisyphus et Salmoneus Aeoli filii inter se inimici fuere.*

Cic. Tusc. 3, 29, 72. *haec inter se quam repugnent, plerique non vident.* Id quomodo differat a *sibi repugnent*, exposuit Grysar. Praecept. lat. stili. p. 39. de Nat. d. 1, 12, 30. Tusc. 2, 3, 7. *quoniam, quemadmodum dicant, ipsi non laborant, cur legendi sint, nisi ipsi inter se, qui idem sentiunt, non intelligo.* Wolfius explicat *a se ipsis*, non satis accurate: est enim ipsi a suis. Saepe adiunctum videmus *ipsi.* Liv. 1, 10, 2. Caes. B. gall. 7, 23. *ut idem illud intervallum servetur, neque inter se contingant trabes.* B. civ. 1, 21.

Terent. Ad. 2, 4, 7. *quasi nunc non norimus nos inter nos.* Plaut. Stich. 5, 4, 19. *nos volo tamen ludere inter nos.* Cic. de Div. 1, 28, 58. *tum te repente lactum exstitisse, eodemque equo adversam adscendisse ripam, nosque inter nos esse complexos.*

ad Att. 10, 4. *ego enim ad cum scribam, ut ipse voles, de ea re nos inter nos loquutos.* de Nat. d. 1, 26, 71. *hoc mirabilius, quod vos inter vos risum tenere possitis.* Mirabilem errorem vide apud Goerenz. ad Cic. Acad. 2. p. 96.

Cic. de Off. 1, 16, 50. *eius autem vinculum est ratio et oratio, quae docendo, communicando — conciliat inter se homines coniungitque naturali quadam societate.*

Graeci, ut constat, ἑαυτοῦ pro ἐμαυτοῦ interdum dixerunt. vide Matthiae Gramm. p. 926. Id recentissimi scriptores latini etiam imitati sunt. Minuc. Fel. 18. *similes universi videmur et inter se singulis dissimiles invenimur.* Quae Wopkens. in Misc. Observ. T. 10. p. 31. comparat, diversi sunt generis.

Cum substantivis coniunguntur *inter se:* Cic. de Fin. 1, 6, 19. *ita effici complexiones, et copulationes et adhaesitationes atomorum inter se.* ad Fam. 9, 3, 4. *valde id, credo, laborandum est, ne — nostra nobiscum aut inter nos cessatio vituperetur.* 10, 34, 7. Sallust. Iug. 79, 3. *quae res eos in magno diuturnoque bello inter se habuit.* Liv. 21, 39, 9. *auxerant inter se opinionem.* i. e. *die wechselseitige Achtung.*

Iustinus Praef. 3. *quae historici Graecorum, prout commodum cuique fuit, inter sese gregatim occupaverunt omissis, quae sine fructu erant, ea omnia Pompeius divisa temporibus et serie rerum digesta composuit.* Ita nunc critici ediderunt et Dübnerus interpretatur: quae historici Graecorum gregatim i. e. multi tractaverunt divisis inter se rebus. Quae sententia non poterat illis verbis exprimi, nec *gregatim* de multis historicis, nec *inter se* de rebus divisis dici. Scripsisse mihi videtur Iustinus: *quae historici — inter se segregati occupaverunt.* i. e. inter se discedentes in singulas partes.

Quintil. 10, 2, 15. *in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa et a doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa.* 4, 2. 13. *de laude inter ipsos certatum.* 6, 3, 32. Cic. de Off. 1, 7, 20. *societas hominum inter ipsos.* ubi Beier. Curt. 8, 6, 12. *tanta omnibus vel in regem ira vel fides inter ipsos fuit.* Sueton. Aug. 53.

24. Verba sunt quaedam, quae ipsa communionem et mutuum negotium significant, sed tamen adiuncta habere solent vocabula *inter se.* Id grammatici ad vim orationis augendam referunt, uti Kritzius ad Sallust. Iug. 66, 2. alii autem abundantiae nomine reprehendunt. Equidem puto id ex vulgari sermone copioso in

libros translatum esse. Sic *compositae inter se res*, *conferre inter se*, alia. Nec diversa caussa videtur fuisse earum dictionum, quae discedentes, disceptantes, partientes additis illis verbis designant.

Quintil. 9, 4, 33. *commissis inter se verbis duobus.* 11, 3, 35. *vitatur etiam duriorum inter se congressus.* Sallust. Iug. 66, 2. *compositis inter se rebus.*

Cic. p. Rosc. Com. 7, 20. *oro atque obsecro vos, qui nostis, vitam inter se utriusque conferte.* Columell. 5, 10, 7. *curato, ne inter sese contingant.* Varro de R. r. 2, 3, 8. *inter se cornibus pugnant.*

Virgil. Ge. 1, 413. (corvi) *inter se foliis strepitant.* Iahnius et Wagnerus restituerunt codicum scripturam *in foliis:* hic vero eam ob caussam, quod verba *foliis strepitant* non convenirent cum verbis *inter se.* At qui inter folia strepitant, strepitant etiam foliis motis. Sed *inter se* significat congregatos. Corvi igitur inter se convolant et strepitant foliis sive in foliis.

Liv. 2, 6, 3. *eos inter se, quia nemo unus satis dignus regno visus sit, partes regni rapuisse.*

25. Sed adeo iis nominibus Latini addunt *inter se*, quae propinquas res et cohaerentes et similitudinem significant, et iis, quae distantiam aut rem ab alia recedentem vel diversam notant. Germani dicunt *einander nahe, von einander.*

Sallust. Fragm. inc. 2. apud Non. 9, 1. *duas insulas propinquas inter se.* Iug. 98, 3. *Marius — collis propinquos inter se occupat.*

Quintil. 9, 2, 51. *non procul absunt ab hac simulatione res inter se similes.*

Sallust. Iug. 53, 7. *postquam haud procul inter se erant.* 55, 6. *duobus locis haud longe inter se castra faciebant.*

Quintil. 9, 4, 17. *quamquam et ii ipsi inter se dissimiles fuerunt.* Sallust. Cat. 5, 8. *mores, quos pessuma ac diversa inter se mala, luxuria atque avaritia vexabant.* Quintil. 10, 2, 33. *quum sit diversa non caussarum modo inter ipsas conditio* etc.

25. Dictio, quae apud omnes fere nationes in proverbium venit, et Latinis usitata erat, familiaris sermonis secretum vel liberam professionem indicat: *inter nos, unter uns, entre nous.* Plenam sententiam expressit Terentius Ad. 5, 3, 10. *dictum hoc inter nos fuit.*

Cic. de Nat. d. 1, 26, 74. *nec consulto dicis occulte, sed quod inter nos liceat, ne tu quidem intelligis.* ad Att. 2, 4. *quod inter nos liceat dicere.* Graevius delendum putabat *dicere:* quod non necessarium videtur.

Sénec. Epist. 12, 2. *quod inter nos sit, ego illas posueram.* i. e. *was unter uns gesagt sey.* Emendationes, quas critici hic fecerunt, omnes sunt improbabiles.

26. Sed non modo status rerum ita designatur, verum etiam de motu dicitur: *inter aliquos venire*, quod est ingredi in locum, in quo plures sunt res hominesve: *inter aliquas res procedere* h. e. in medium. vide n. 2. Hinc formulae *inter stationes*, *inter custodias pervenire.* Et accommodantur huic rationi etiam aliae dictiones, in quibus notio procedendi comprehenditur.

Virgil. Ecl. 2, 3. *inter densas umbrosa cacumina fagos assidue veniebat.* Aen. 12, 437. *te — magna inter praemia ducet.* ubi Servius: *ad praemia.* Liv. 44, 4, 5. *quos paucos inter media praesidia hostium praemiserat.* 3, 26, 4 *inter stationes hostium emissi.* 5, 46, 1. *ne quis evadere inter stationes posset.* Vide Gronov. et Drakenb. ad 35, 11, 10. 25, 15, 4. *cum aliquot navibus onustis in portum tarentinum inter hostium custodias pervenit.*

Hygin. Fab. 95. *simulatione deposita inter coniuratos veni.*

Dicunt Latini *evanescere in aliquid:* Virgil. Aen. 9, 658. *in tenuem ex oculis evanuit auram.* Sed etiam *evanescere inter aliquas res.* Quintil. 1, 7, 6. *verum haec iam etiam inter ipsas ineptias evanuerunt.* Redde: *aber dies hat sich nun auch unter die Nichtswürdigkeiten verloren.*

27. Quaedam verba, quae *in* cum accusativo adiunctum habere solent, etiam *inter* assumunt. Sunt ea verba referendi, adscribendi, numerandi, adlegendi.

Quintil. 10, 1, 75. *Xenophon non excidit mihi, sed inter philosophos reddendus est.* 116. *ponendus inter praecipuos foret.* 5, 12, 12. *non tamen habenda sunt inter magna praesidia.* 9, 2, 107. 1, 11, 18. Sueton. Ner. 1. *inter patricios adlecti.* Vitell. 1. Oth. 1. Aug. 2. *ea gens — inter romanas gentes adlecta.* ubi vide Oudendorpium. Liv. 2, 16, 5. *Appius, inter patres lectus, haud ita multo post in principum dignationem pervenit.*

28. Accedo ad tempus. Hae enim, quas exposui, rationes omnes referuntur etiam ad tempus. Ac primum *inter* tempus significat, in quod aliquid incidit, et ita

quidem, ut cogitetur continuum tempus, in quo res memorata contineatur, aut per quod producatur.

Liv. 36, 20, 5. *inter ipsum pugnae tempus decem naves regiae cum praefecto Isidoro ad Thronium in sinu maliaco stabant.*

Liv. 32, 29, 2. *Frusinone inter noctem lux orta.* ubi Gronovius confert 38, 36, 4. *quod luce inter horam tertiam ferme et quartam tenebrae obortae fuerant.* nisi haec ita dicta sunt, ut nos *zwischen drei und vier Uhr* de medio tempore dicimus.

Gellius 9, 4. (in Albania) *dicitur gigni homines, qui — plus cernant oculis per noctem quam inter diem.*

29. Eodem modo nomina usurpantur rerum in tempore factarum. Et dicitur inter aliquam rem aliquid fieri, quod fit una cum illa et interim, sive intelligimus continuum tempus, dum aliud quid fit, sive aliquod temporis punctum, in quod aliud quid incidit. Vide Cortium ad Sallust. Iug. 40, 4. Drakenb. ad Liv. 6, 24, 10. ad 4, 18, 4. ad 4, 19, 7. Quae apud Ruhnkenium ad Terent. Eun. 4, 2, 1. leguntur sunt Oudendorpii verba ad Sueton. Caes. 4. Quod vero Schefferus ad Phaedr. 4, 16, 4. monet, *inter* indicare celerem mutationem, abhorret ab indole particulae, nec *inter solis ortum* apud Iustin. 1, 10. significat: simulatque sol oriretur. Illud etiam, quod Herzogius ad Sallust. Cat. 43, 3. docet, *inter* non esse *in*, sed maiori vi exprimere germanicum *mitten unter*, liberiorem usum coercere nequit. Ex ista vero ratione multae nascuntur formulae: *inter coenam*, *inter arma*, *inter fulmina et tonitrua*, *inter vina*, *inter moras*, quod Germani dicunt *mittlerweile*. *Inter initia* et *inter principia* significant primis temporibus, initio: qua dictione imprimis Celsus utitur et Plinius et Suetonius, non antiquiores. Cf. Drakenb. ad Liv. Epit. 79. Etiam nomina singularis numeri huic formae congruunt.

Plaut. Stich. 5, 3, 6. *inter illud tamen negotium meis curavi amicis — coena cocta ut esset.* Liv. 1, 59, 13. *inter hunc tumultum Tullia domo profugit.* De hac dictione Gronov. Observ. 4, 20. extr. 22, 49, 12. 1, 41, 1. 1, 55, 3. *inter principia condendi huius operis.* Cic. Acad. 1, 8, 30. *inter quasi fatalem et immutabilem continuationem ordinis sempiterni.* ubi Goerenz. Quintil. 12, 3, 2. *quae subito inter ipsas actiones nasci solent.* Sueton. Caes. 4. *quod illis saepe minatus inter iocum fuerat.* ubi vide Oudendorpium et ad Caes. B. gall. 1, 36.

Cic. ad Q. frat. 3, 1, 6. *haec inter coenam Tironi dictavi.* Sueton. Aug. 71. *inter coenam lusimus.* Cic. ad Fam. 7, 22. *illuseras heri inter scyphos* etc. Sallust. Iug. 66. *inter epulas.* ubi Cortius. Oudendorpius ad Galb. 5. monet *inter conventum matronarum* dici non posse pro *in conventu*, sed significare *dum conveniebant matronae:* at tamen recte diceretur, ut esset, dum in conventu erant. Idem etiam subtilitate abutitur, quum in verbis Suetonii Dom. 4. *inter spectacula muneris* (dedit) *largissimum epulum.* non tempus, sed locum intelligi iubet, Torrentium sequutus. - Eodem modo Tacit. Ann. 3, 31. *questus est apud senatum, quod sibi inter spectacula gladiatorum loco non decessisset.*

Tibull. 2, 6, 26. *canit inter opus.* i. e. dum laborat. Sueton. Tib. 60. *gratulanti inter poenam — imperavit.* i. e. dum poenam tolerat. Plin. Epist. 10, 18, 1. *Gabium Bassum — praefectum orae ponticae integrum probum industrium atque inter ista reverentissimum mei expertus voto pariter et suffragio persequor.* Curt. 4, 10, 25. *Tyriotes inter trepidationem lugentium elapsus per eam portam — levius custodiebatur.* Flor. 1, 6, 2. *inter Tarquinii mortem, annitente regina, substitutus in locum regis.* Cic. p. Mil. 1, 2. *quae si opposita Miloni putarem, cederem tempori, iudices, nec inter tantum vim armorum existimarem oratori locum esse.* 4, 10. Phil. 5, 6, 15. *inter fulmina et tonitrua.* Sueton. Dom. 4. *inter maximos imbres.* Plin. Epist. 9, 13, 20. *inter moras consul — mittit senatum.* Sueton. Ner. 49. Tacit. Ann. 1, 82. *promptior inter tenebras affirmatio.* Alia huius dictionis exempla nominat Pricaeus ad Apulei. Met. 8. p. 421.

Livius saepe ita loquitur, ut *inter* non possis ab *in* dignoscere. 4, 19, 7. *inter proelium et ad castra romana pugnatum est adversus partem copiarum.*

Celsus 3, 25. *protinus ergo inter initia sanguis per biduum mitti debet.* 3, 8. *ac — inter initia sanguis mitti debet, tum dari cibus.* 3, 22. *quodsi mali plus est et vera phthisis est, inter initia protinus occurrere necessarium est.* 4, 12. 4, 24. Plin. Hist. n. 21, 2, 3. 11, 48, 108. 18, 1, 1. Sueton. Tib. 26. *civilem admodum inter initia egit.* Domit. 3. *inter initia principatus.* ubi Oudendorp. Iustin. 11, 2, 4. 21, 1, 3. Flor. 3, 19, 1. vide Arntzen. ad Aurel. Vict. de Caes. 3, 3.

Celsus 3, 22. *fereque id posse inter principia corpus pati debet.* 7, 27. *nam cibus inter principia non nisi humidus dari debet.* Aurel. Victor de Caes. 24, 6. *Paullo inter exordia patriae reddito.* vide Arntzen. ad 3, 3.

30. Sed intelligitur etiam totum spatium temporis, sive tempus certi nominis continuum, in quo quid factum sit. Hoc est *per*, atque *inter tot annos* significat *tot annis*. *Intra* finitionem temporis non ultra excurrentis notat, ut *intra tot annos* sit: priusquam tot anni finem haberent. Quod discrimen bene demonstravere Gronovius ad Liv. 1, 10, 7. Oudendorp. ad Caes. B. gall. 1, 37. Zumpt. ad Cic. Verr. Act. 1, 13, 37. sed vide de usu in *intra*. Tamen boni scriptores non ubique *inter* pro *per* usurpabant, nec dicebant *inter aliquot dies*, sed magnitudinem respiciebant temporis vel magnam vel exiguam. Gellius autem 4, 7. scripsit: *Valerius Probus grammaticus inter suam aetatem praestanti scientia fuit*. Hoc veteribus absurdum esset visum.

Titinnius apud Non. 1, 3. v. *Toga: quae inter decem annos nequisti unam togam detexere.* Plaut. Truc. 2, 6, 29. *inter tot dies quidem hercle iam actum aliquid oportuit.* i. e. tempore tot dierum. Stich. 1, 3, 60. *quot potiones mulsi, quot autem prandia, quae inter continuum perdidi triennium.* de quo vide Acidal. Divinat. p. 466. Gruter. Cic. p. Quint. 14, 46. *qui inter tot annos ne appellarit quidem Quintium.* de Leg. Man. 23, 68. *qui inter annos tot unus inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant.* ubi ordo verborum insolens Schottum commovebat, ut tolleret voc. *annos.* Quae Beneckius nuper de hoc loco disseruit, falsa argumentatione laborant: nam nulla omnino ratio obstat, quo minus recte dicam, inter tot annos unum Pompeium inventum esse, quem venisse gaudeant: nam coniunguntur verba *inter tot annos unus: der einzige in so vielen Jahren.* Sic Livius 1, 10, 7. *bina postea inter tot annos — opima parta sunt spolia.* Et quod Pompeius unus ille erat, quem socii venisse gauderent, reliquis per tot annos aegre receptis, id maxime videbatur honorificum. Sed scribendum, quod cod. erfurt., confirmat, *inter tot annos.* In Verr. Act. 1, 13, 37. *quae inter decem annos — nefarie flagitioseque facta sunt.* ubi Hotomann. Liv. 2, 5, 8. *quum inter omne tempus pater vultusque et os eius spectaculo esset.* Caes. B. gall. 1, 36. *intellecturum, quid invicti Germani, exercitatissimi in armis, qui inter annos XIV tectum non subissent, virtute possent.*

Liv. 21, 5, 16. *intra paucos dies Capetanos quoque in deditionem accepit.* 2, 27, 1. *victor tot intra paucos dies bellis Romanus.* Vtroque in loco libri quidam exhibent *inter*, quod quo reiicerent critici, non perspexisse videntur.

Liv. 39, 1, 2. *is hostis velut natus ad continendam inter magnorum intervalla bellorum Romanis militarem disciplinam erat.* ubi alii codd. *per intervalla.*

31. Sic fit, ut conditio rerum eodem modo designetur, non tam temporis quam conditionis ratione habita. Fieri enim dicitur aliquid inter aliquam rem, quod constat in aliqua rerum conditione. Adiecto participio praeteriti exprimitur uno nomine enuntiationis pars secundaria: idque etiam interdum simplici nomine efficitur, adeoque contrahitur oratio ita, ut *tamen* adiiciatur ex altera parte. Valet igitur *inter* idem quod *in*.

Liv. 1, 26, 10. *quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis?* Cic. de Off. 2, 11. *quum igitur tanta vis iustitiae sit —, quantam eius vim inter leges et iudicia in constituta republica fore putamus?* Liv. 6, 43, 1. *quum inter incendia ac ruinas captae urbis nihil superesse praeter armatos hostes viderent* etc. Liv. 1, 27, 11. *inter fugae pugnaeque consilium oppressi.*

Gellius 3, 15. *inter illud gaudium repente mortuus est.*

Sallust. Cat. 4, 4. *inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur.* Curt. 6, 9, 31. Tacit. Ann. 1, 60. *interque caedem et praedam reperit undevicesimae legionis aquilam cum Varo amissam.* Suo more coniunxit dissimilia: caedis tempore in praeda capta reperit aquilam.

Cic. ad Fam. 16, 11, 7. *nobis inter has turbas senatus tamen frequens flagitavit triumphum.* i. e. quamvis hae essent turbae. Celsus Praef. pr. *verique simile est inter non multa auxilia adversae valetudinis plerumque tamen eam bonam contigisse ob bonos mores.*

In his sunt quaedam formulae, quae alias praepositione *per* formantur. Sueton. Caes. 4. *quod illis saepe minatus inter iocum fuerat.* ubi alii libri *per iocum.* Phaedr. 4, 16, 4. *inter vectorum lacrimas.* Alibi *per lacrimas.* Vide Burmann. ad Valer. Flacc. 1, 767.

32. Sallustius, Tacitus et qui alii substantivorum vim adiectivis tribuere solebant, his adhibitis statum et conditionem rerum, praefixa praepositione *inter*, expresserunt, dixeruntque *inter adversa*, *inter extrema*. Haec e vulgari sermone in scriptorum usum venisse, demonstrat proverbium apud Cic. ad Att. 5, 18. *inter caesa et porrecta.*

Sallust. Cat. 43, 3. *inter haec parata atque decreta Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum.* Tacit. Hist. 2, 23. *rebus prosperis incertus et inter adversa melior.* 3, 4, 3, 40. *mox utrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur.* Ann. 11, 37. *tanta inter extrema superbia agebat.* 11, 8. *inter Gozargis pleraque saeva — accivere Bardanem.* ubi Walther.

33. Tacitus brevitatis studio, ut uno nomine enuntiationem temporalem comprehenderet, adeo ad personas hanc rationem contulit.

Tacit. Ann. 11, 10. *nece Bardanis turbatae Parthorum res inter ambiguos, quis in regnum acciperetur.* i. e. quum essent ambigui. Agr. 32. *senum coloniae inter male parentes et iniuste imperantes aegra mancipia et discordantia.* Hist. 1, 1. *ita neutris cura posteritatis inter infensos vel obnoxios.*

34. Quae de mediis rebus antea declaravimus, ea se offerunt etiam in temporibus. Nam hac praepositione dicitur medium tempus intra duos terminos cohibitum, et res inter duas alias res intercedens.

Columell. 5, 10, 14. *hoc ante calend. martias facito vel etiam inter nonas et idus martias.* De loco Livii 38, 36, 4. vide n. 28.

Cic. Verr. 2, 53, 130. *hoc si Romae fieri posset, certe aliqua ratione expugnasset iste, ut dies XLV inter binos ludos tollerentur, per quos solos iudicium fieri posset.* Liv. 1, 3, 4. *inter Lavinium et Albam Longam coloniam deductam triginta ferme interfuere anni.*

35. Distantiam temporis recentissimi scriptores etiam per voculam *inter* expresserunt, haud probabili modo. Obscuritate enim offendimur.

Scribon. 159. *si quis ter in mense inter denos dies usus fuerit, in nocte non laboraturum.* hoc est, quovis decimo die, intervallo denum dierum.

36. Quod uno vocabulo *interea* dicebatur, auctores inferioris latinitatis ab Augusti temporibus dicebant *inter haec*, atque etiam *inter quae.* Ita significabant ea, quae uno tempore facta erant. *Inter haec* pro *in hac conditione* legitur in Ciceronis libris de Legibus, sed locus est a glossatore quodam interpolatus et alias ob caussas reiiciendus. Apud alios scriptores occasionem intelligimus.

Liv. 1, 29, 1. *inter haec iam praemissi Albam erant equites.* 2, 24, 1. *inter haec maior alius terror.* 3, 57, 7. 44, 10, 5. Celsus 3, 25. *moderandumque inter haec, ut vires conserventur.* Curt. 3, 1, 1. 9, 3, 21. et saepe Sueton. Tib. 8. 63.

Celsus 4, 2, 3. *inter quae unctione — uti licet.* Tacit. Ann. 2, 34. *inter quae Lucius Piso ambitum fori, corrupta iudicia — testabatur.* 1, 15. *inter quae tribuni plebei petivere* etc. 2, 58. 3, 33. Hist. 1, 78. Curt. 4, 2, 10. Vid. Oudendorp. ad Sueton. Caes. 26. Optimos scriptores *inter quae, inter quos* tantum de rebus unius alicuius generis dixisse, non est quod comprobemus. vid. Liv. 6, 14, 11. ibique Gronov.

Cic. de Leg. 1, 22, 56. *naturam sequi et eius quasi lege vivere, id est, nihil quantum in ipso sit praetermittere, quo minus ea, quae natura postulet, consequatur, quod inter haec velit virtute tamquam lege vivere.* Dicunt interpretes *inter haec* esse inter ea, quae natura postulat. At Cicero non solet ita loqui. Wyttenbachius sibi visus est scribendo *intra haec* expedire hunc locum, quem totum glossatoribus debemus. Cicero scripsisse videtur — *cognovi.* ɯ. *Sed certe res ita se habet. Quapropter hoc diiudicari nescio* etc. Argumenta hic exponere non attinet.

37. *Inter cuncta*, quod legitur apud Horatium Epist. 1, 18, 96. *inter cuncta leges et percontabere doctos*, explicandum puto: in cunctis rebus, quacumque in conditione vitae: nisi placet: prae ceteris omnibus. Qui interpretantur: praeter haec prudentiae praecepta, *bei allem dem*, alienum substituunt sensum. *Inter omnia* significat interdum *prae omnibus*, quando est sermo de re inter reliquas res excellente, quemadmodum Livius etiam *inter cetera* dixit pro *prae ceteris.*

Curt. 3, 3, 17. *cultus regis inter omnia luxuria notabatur.*

Liv. 37, 12, 8. *multis nobilibus sequutis inter cetera auctoritatem Pausistrati, quae inter suos merito maxima erat.*

38. Vt praepositio *in* cum gerundiis et cum participiis passivi componitur (vide p. 286.), ita etiam *inter*, nullo omnino significationis discrimine.

Virgil. Eclog. 9, 24. *inter agendum.* Servius *dum agis.* Sueton. Ner. 32. *inter canendum animadversam matronam* [*e spectaculis*] *vetita purpura cultam demonstrasse procuratoribus suis dicitur.* Quintil. 12, 7, 6. *cognita inter disceptandum iniquitate.* 12, 3, 10. *inter agendum.* Plaut. Cist. 4, 2, 55. *sed inter rem*

agendam istam herae huic respondi. Sueton. Caes. 45. *comitiali quoque morbo bis inter res agendas correptus est.*

39. Adverbii usum demonstrat Priscianus 14. p. 991. *nec solum casualibus praeponitur apud nos et gravatur, quod suum est praepositionis, sed etiam verbis potest adiungi et penultima acui, ut si dicam, tu dextrorsum, ille sinistrorsum, ego curro inter.* Haec observatio vulgaris sermonis usum spectare videtur. Poetae quidam adverbium *inter* usurpare solebant pro adiectivo.

Valer. Fl. 5, 337. *dumque pii petit ora patris stetit arduus inter pontus.* 6, 220. *tot — montibus inter diviso.* ubi Burmann. 8, 382. *noctes atque dies vastis mare fluctibus inter perfurit.*

40. Critici quidam non exposita caussa negarunt bene coniungi relativam sententiam cum antecedentibus ita, ut relativum ante se haberet *inter.* Quare Acidalius apud Vellei. Pat. 1, 17, 5. et Ernestius apud Sueton. Caes. 52. mutarunt *inter quas* in *interque eas.* Sed Wopkensius et Ruhnkenius usum comprobarunt exemplis bonorum scriptorum. Vide Wopkens. in Miscell. Observ. Tom. 8. p. 27. et Tom. 9. p. 242. Ruhnken. ad Velleii locum.

41. Nimirum post nomen suum haec praepositio ponebatur apud scriptores haud improbabiles, non modo praecedente pronomine relativo, sed etiam post quodcumque nomen, imprimisque ubi inter duo substantiva intercedebat media. Cf. Charisius p. 209. Wopkens. in Actis Traiect. T. 2. p. 78. Walch. ad Tacit. Agr. 31.

Cic. Lael. 22, 83. *quae si quos inter societas aut est aut fuit* etc.

Liv. 22, 3, 3. *Etrusci campi, qui Faesulas inter Arretiumque iacent.* Tacit. Ann. 4, 55. *ita Sardianos inter Zmyrnaeosque deliberatum.* 4, 59. *mare Amuclanum inter Fundanosque montes.* 4, 69. *lectum inter et laquearia tres senatores — sese abstrudunt.* Hist. 5, 19. 2, 78.

Tacit. Ann. 6, 41. *qui Artabanum Scythas inter eductum.* Propert. 1, 16, 13. *haec inter gravibus cogor deflere querelis.* Virgil. Ecl. 1, 25. Sulpic. Sat. 35. *qui res romanas imperat inter.*

42. Praepositiones nominibus duobus etiam bis adiici, ubi ipsa nomina non in unam notionem coeant, aut una ratione contineantur, id nunc praeceptis gram-

maticorum constat. *Inter* igitur quando de consociatione et de communione dicitur, duo nomina coniuncta habet, nec potest bis poni. Id intelligens Bentleius ad Horat. Epist. 1, 2, 12. „ἰδιωτικῶς, inquit, hic loquutus est noster *inter Peliden et inter Atriden.*" et ad Sat. 1, 7, 11. hebraismum appellat ab optimo quoque scriptore alienum, et apud Horatium corrigendum. Imitationem hebraismi iam Gatakerus Adversar. 2, 2. vindicare conatus erat. Alii autem in verbis Cic. Lael. 10, 33. *inter me et Scipionem disserebatur*, omissam putabant praepositionem. At nihil opus fuit his machinis. Poetis adeo licuit ea, quae vulgari sermone nata erant, in nobiliorem usum adsciscere. Neque id, quod Bentleius et post eum Schmidius affirmant, hanc dictionem a ratione recedere et logicis praeceptis repugnare, non discrepat a veritate. Quid enim impedit, quin rem inter duos actam etiam ab utraque parte comprehendamus? Nam lites inter Peliden et inter Atriden si velis ad rationem referri, lites sunt, quae inter Peliden et Atriden et inter Atriden et Peliden fiunt. Sed ne prosaici quidem scriptores ab hac dictione abstinuerunt, quamquam ea exempla non possumus huc referre, ut plurimi fecerunt critici, in quibus dicitur interesse aliquid inter hunc et inter illum. In his enim ipsa ratio postulat duplicationem: nec Cicero umquam aliter.

Vide Vavassor. de Vi quor. verb. p. 554. Kapp. Cuningham. Animad. in Horat. 13. p. 246. Drakenb. ad Liv. 10, 7, 1. Obbarium et Schmidium ad Horat. Epist. 1, 1, 25. Plurima exempla ab his viris adhibita non conveniunt firmandae huic loquutioni.

Horat. Sat. 1, 7, 11. *inter Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem ira fuit capitalis.* Epist. 1, 2, 11. *Nestor componere litis inter Peliden festinat et inter Atriden.* Tibull. 4, 1, 165. *fertilis hanc inter posita est interque rigentes.* Propert. 2, 31, 15. (2, 23, 15.) *deinde inter matrem deus ipse interque sororem Pythius in longa carmina veste sonat.* Sil. Ital. 11, 180.

Liv. 10, 7, 1. *certatum tamen suadenda dissuadendaque lege inter App. Claudium maxime ferunt et inter P. Decium.* ubi Drakenborchius et librorum auctoritate et consuetudine Livii vindicat lectionem.

Alius generis sunt Virgil. Aen. 9, 554. *Lycus inter et hostis, inter et arma fuga muros tenet.* Val. Flacc. 5, 13. *inter lacrimas interque extrema virorum munera.* 6, 509. Tibull. 2, 1, 67.

Claudian. in Ruf. 2, 195. Membra enim apposita sunt, non composita.

Cic. de Amic. 25, 94. *concio — iudicare solet, quid intersit inter popularem, id est assentatorem et levem civem et inter constantem, severum et gravem.* de Fin. 1, 9, 30. *interesse enim inter argumentum conclusionemque rationis et inter mediocrem animadversionem atque admonitionem.* de Fato 9, 19. *interest inter causas fortuito antegressas et inter caussas cohibentes in se efficientiam naturalem.* Quibus locis reiicitur opinio Orellii, qui ad Tusc. 4, 14, 32. dixit apud Ciceronem vix locum habere duplicatum *inter*, nisi ubi vocabula aliquot interponantur. In Paradox. 1, 2, 14. et in Tusc. 4, 14, 32. variant codices: apud Liv. 22, 35, 5. omnes libri veteres omittunt praepositionem.

43. Non displicuit veteribus repetitio huius particulae: nam ratio in ipsa praepositionis natura erat posita, quapropter etiam alteri nomini addi deberet. Sed ipsa repetitio in duabus orationis partibus minus offendebat aures quam in aliis vocabulis. Vide Liv. 9, 2, 7. Sueton. Aug. 71. *inter se inter coenam — ludere.* Cic. de Fato 9, 19.

Tibull. 2, 1, 67. *ipse interque greges interque armenta Cupido natus et indomitas dicitur inter equas.*

*) Librarii solebant *inter* commutare cum *intra.* Drakenb. ad Sil. 14, 465. ad Liv. 5, 27, 2. ad 25, 27, 15. Schwartz. ad Plin. Pan. 30, 4. Oudendorp. ad Sueton. Tib. 16. Claud. 17. Miscell. Observ. T. 9, 75. Walther. ad Tacit. Hist. 1, 71. 2, 11. 5, 10. cum *in* Drakenb. ad Liv. 38, 57, 6. Walther. ad Tac. Ann. 15, 34. Hist. 3, 80. cum *per* Drakenb. ad Liv. 35, 11, 10. Oudendorp. ad Sueton. Caes. 4.

INTERDVM.

Adverbium *inter*, quod de rebus intercedentibus et inter alias positis usurpatur, addita particula *dum*, quae tempus certa designatione distinctum significat, fit INTERDVM, quod redditur germanico *mitunter.* De voc. *dum*, vd. Tom. 2. p. 328. et conf. G. Vossii Etymolog. s. h. v. Qui subtiliora veris praeferre amant, adeant librum Hartungii de Partic. graec. Tom. 1. p. 300. ubi docetur, *dum* esse idem, quod *do* in *quando* et utrumque hoc ex *dius*, hoc est *dies*, ortum. Hoc est ἐν τῷ

σκότῳ ὀρχεῖσθαι. Festus: *interduatim et interatim dicebant antiqui, quod nunc interdum et interim.* Quae unde sumpta sint, non magis liquet, quam quomodo ex *interduatim* formatum sit *interdum.* Lindemannus, corruptionem vocabuli statuens, *interdatatim* pro *interdum dando* dictum esse putat opinione prorsus incerta. Quod vero Scioppius in Plaut. Truc. 4, 4, 29. restitui voluit *interduatim*, nec codices confirmant, nec metrum admittit.

1. Significat igitur *interdum* de temporibus et de rebus tempore factis fere id quod *nonnumquam*, cuius notio quum negativa sit, minorem habet ambitum. Nam *interdum* esse potest: saepius, etiamsi non semper, ut recte ait Donat. ad Terent. Ad. 2, 2, 8. Cf. Beier. ad Cic. de Off. T. 1. p. 159. Germani dicunt *bisweilen*, Graeci ἐνίοτε.

Plaut. Amph. 3, 1, 4. *qui interdum fio Iupiter, quando lubet.* Most. 2, 2, 64. *interdum inepte stultus est.* Terent. Ad. 2, 2, 8. *pecuniam in loco negligere maximum interdumst lucrum.* Virgil. Ge. 3, 505. *attractus ab alto spiritus, interdum gemitu gravis.* Caes. B. gall. 1, 14. *consuesse enim deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res et diuturniorem impunitatem concedere.* ubi Barthius inepte mutat. Liv. 42, 47, 5. *maiores — indicere prius quam gerere solitos bella, denuntiare etiam, interdum locum finire, in quo dimicaturi essent. Indicere* de bello universo, *denuntiare* de eius initio dictum est, nec Walchii emendatione in Emendat. Liv. p. 7. proposita, neque alia ulla opus est.

Plaut. Capt. 3, 4, 28. *suum ipse interdum ignorat nomen, neque scit, qui siet.* Ovid. ex P. 1, 3, 18. *interdum docta plus valet arte malum.*

2. Vbi diversa tempora distinguntur et variae res nominantur aliquando factae, bis terve ponitur particula. Est enim *modo — modo.* Saepe etiam ita semel adhibetur, quasi in prima parte sententiae omissa sit. Vide Burmann. ad Sueton. Claud. 15. p. 742. Toepfer. in Act. soc. lat. ienens. T. 3. p. 173. Acidal. et Ruhnken. ad Vellei. Pat. 2, 110, 1. *Interim*, quod pro *interdum* dicitur, non videtur corrigendum, ubi alterum *interdum* sequitur. Vide *Interim.*

Cic. Orat. 59, 201. *interdum enim cursus est in oratione concitatior, interdum moderata ingressio.* ad Att. 12, 14. *idque faciens, interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus esse, nisi faciam.* Quintil. 4, 2, 14. *in quibus ipsa quidem neganda sunt, sed argumentis expositione contraria resistendum, interdum singulis, interdum universis.* Celsus 1, 1. 4, 2, 4.

Vellei. Pat. 2, 110, 1. *rumpit, interdum moratur proposita hominum fortuna.*

Quintil. 6, 2, 12. *quin illud adhuc adiicio, πάθος atque ἦθος esse interim ex eadem natura ita, ut illud maius sit, hoc minus, ut amor πάθος, caritas ἦθος: interdum diversa inter se, sicut in epilogis.*

3. Hac ratione diversae res *interdum* factae disponuntur, et in altera parte sententiae eodem sensu vel *nonnumquam* vel *alias* vel *modo* ponitur. Celsus, qui saepissime hoc vocabulo utitur, tertio loco addere solet *nonnumquam etiam* sive *quoque.* Praeterea notanda est oratio, in qua sequuntur *vel — vel interdum.*

Terent. Eun. 2, 3, 76. *cibum nonnumquam capiet cum ea: interdum propter dormiet.* Cic. Brut. 67, 236. *quod erat — saepe stomachosum, nonnumquam frigidum, interdum etiam facedum.* p. Sext. 54, 115. *concionum significationes interdum verae sunt, nonnumquam vitiatae atque corruptae.* de Off. 1, 20, 68. *nec vero imperia expetenda ac potius aut non accipienda interdum aut deponenda nonnumquam.* Sueton. Aug. 24.

Celsus 7, 27. *quod interdum tertio mense, interdum non ante sextum, nonnumquam exacto quoque anno fit.*

Cic. Brut. 54, 206. *nam et geminatio verborum habet interdum vim, leporem alias.* Sueton. Caes. 81. *ipse sibi visus est per quietem interdum supra nubes volitare, alias cum Iove dexteram iungere.* Curt. 4, 13, 18.

Sallust. Iug. 42, 1. *nobilitas noxia atque eo perculsa modo per socios ac nomen latinum, interdum per equites romanos — Gracchorum actionibus obviam ierat.* 74, 1. *modo adversum hostis, interdum in solitudines pergere.* Vide Kritzium ad 62, 9. Horat. Sat. 1, 9, 9. *misere discedere quaerens ire modo ocius, interdum consistere.* ubi Heindorf. 1, 10, 12. Sueton. Aug. 71. Ner. 49. Cal. 43. In Claud. 15. librarii alii *modo*, alii *interdum* scripserunt, non mutata sententia. Item in Petron. c. 113. Cf. Burmann. ad Propert. 1, 3, 43.

Quintil. 4, 2, 19. *ficta interim narratio introduci solet vel ad*

concitandos iudices —, vel ad resolvendos aliqua urbanitate —, interdum per digressionem decoris gratia.

4. Ex adverso etiam collocantur vocabula *saepe*, *saepius*, *frequentius*, *semper*, quae maiora apponunt.

Celsus 5, 27, 1. *sequitur, ut de his dicam, quae morsu fiunt, interdum hominis, interdum simiae, saepe canis, nonnumquam ferarum.*

Celsus 6, 2. *interdum madent, multo saepius sicae sunt.*

Celsus 1, 1. *navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere.* Alii *frequenter.*

Plin. Epist. 7, 15, 1. *studeo interdum: quod non interdum, sed solum semperque facere, non audeo dicere rectius, certe beatius erat.*

5. Scriptores recentioris aevi *interdum* pro *interim* vel *interea* dixisse traditum est. Vide Colvium ad Apulei. Met. p. 174. Oudend. Duker. de Latin. iurisc. p. 375. Drakenborch. ad Sil. Ital. 6, 30. qui bonorum auctorum exemplis comprobatum putat hunc usum. Triplex est nostra observatio. Primum enim antiquiorum scriptorum libri nusquam offerunt exempla: nec loci Caes. de B. gall. 1. 14. vid. n. 1. nec Velleii P. 2, 74. nec Iustini 11, 9, 2. huc referri possunt. Tum Tacitus, Silius aliique *interdum* usurpant, ut sit per aliquod tempus, *eine Zeit lang.* Denique Apuleius et qui sunt huius recentioris temporis, pro *interea* sive *interim* dixerunt.

Tacit. 1, 5. *acribus namque custodiis domum et vias saepserat Livia: laetique interdum nuntii vulgabantur, donec provisis quae tempus monebat simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit.* i. e. *eine Zeit lang.* Silius 6, 30. *occulere interdum et terrae mandare parabat.* 4, 490. *dum — stagni languentia quaerit, interdum rapta vicinis saltibus alvo flumineam texit, qua transvehat agmina, classem.*

Apulei. Met. 9. p. 226, 17. *interdum Philesietaerus cognito strepitu — procurrit cubiculo.* 4. p. 149, 14. *nos interdum pulpis eius valenter saginantes.* Alia apud Colvium ad lib. 3. init. et ad libri 9. loc. Vd. Oudendorp. p. 174. p. 158. p. 536. Moret. 31. *interdum clamat Cybalen.* Modestin. in Dig. 40, 5, 15. *ideoque nec vendere eum interdum alii potest.*

6. Sed redeamus ad elegantiorem usum, in quo *interdum* de eo, quod fieri potest, aut quod haud semel

agitur, et de modo rerum usurpatur. Quod enim quodammodo fieri solere cogitamus, id potest dici inter alia fieri. Nos possumus reddere hoc per *dann und wann, hier und da*, illud per *einigermasen*.

Cic. Acad. 2, 2, 5. *at vereor interdum, ne talium personarum, quum amplificare velim, minuam etiam gloriam.* de Leg. 2, 4, 8. *videamus igitur rursus — vim naturamque legis, ne, quum referenda sint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore sermonis.* Vellei. P. 2, 74, 2. *vitiorum fratris sui consors, sed virtutum, quae interdum in illo erant, expers.* ubi non poteris cum Acidalio pro *interim* accipere.

Paulus in Dig. 4, 8, 16, 1. *quodsi potest, quare non cogat eum, quum possit, proferre? quod sine ulla districtione ipsius interdum futurum est.*

INTEREA.

Erant, qui INTEREA acciperent pro *inter ea tempora:* cui sententiae longa syllaba finalis repugnat. Alii demonstrarunt *inter*, *post*, *ante* etiam cum ablativo construi. Sed quae videtur ablativi forma, est ipsius adverbii terminatio, et indicat modum rerum. Cf. T. 1. p. 390. Ita fit ex *inter eă* adverbialis forma *intereā*.

1. Servius ad Virgil. Aen. 10, 1. *interea, id est, dum haec geruntur: nam interea particula praeterita negotia coniungit futuris.* Et ad 10, 833. *interea, dum haec geruntur: et omnino sic est apud poetas interea, sicut apud Sallustium, eodem tempore.* Haec bene se habent. Nam proprie significat id temporis spatium, quo aliud quid agitur, ἐν τούτῳ, *unterdessen.* Componitur cum verbis non modo praesentis, sed praeteriti quoque et futuri temporis.

Terent. Phorm. 2, 3, 18. *saepe interea mihi senex narrabat* etc. Cic. in Verr. 2, 15, 37. *interea dies advenit.*

Terent. Hec. 3, 4, 7. *dies triginta aut plus eo in navi fui, quum interea semper mortem exspectabam miser.* Cic. in Verr. Act. 1, 6, 15. *simulat se eorum praesidio confidere, quum interea aliud quiddam iam diu machinetur.* i. e. inter simulationem.

Terent. Heaut. 1, 1, 36. *at istos rastros interea tamen appone: ne labora.* i. e. dum loquimur.

Virgil. Ecl. 10, 54. *crescent illae* (arbores): *crescetis, amores. Interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis.* h. e. per idem tempus,

dum arbores et amores crescunt. Pessime I. H. Vossius pro *interdum* dictum putat.

2. Saepe tota sententia verbis exprimitur, atque in altera eius parte *dum* ponitur, sive ea praecedit, sive sequitur. Vbi haec vocabula *interea dum* hoc quidem sensu collocata videmus, ea non licet interpunctione seiungere, quam grammatica ratio postulat, usus non curat.

Terent. Phorm. 1, 2, 41. *interea dum sedemus illi, intervenit adolescens quidam.* Heaut. 2, 3, 1. Eun. 3, 5, 44. *dum haec mecum reputo, arcessitur lavatum interea virgo.* Cic. Phil. 2, 42, 107. *interea dum tu abes, qui dies ille collegae tui?* in Verr. 5, 35, 91. *haec dum aguntur, interea Cleomenes iam ad Pelori litus pervenerat.* p. Rosc. Am. 32, 91.

Vsque dum post se habet *interea usque* apud Terent. Heaut. 1, 1, 84. *usque dum ille vitam illam colet inopem, carens patria ob meas iniurias, interea usque illi de me supplicium dabo.*

3. In his duae actiones componuntur uno in tempore. Sed *interea* etiam significat tempus intercedens, sive actionem, quae inter duo temporis spatia incidit, ideoque praeteritum cum praesentia coniungere videtur. Est hoc *indessen*, *inzwischen*, *unterdessen*. Indicatur enim id, quod medium et continuum tempus explet. Hinc fit, ut *interea dum* etiam *usque dum* significet. Caesar scripsit *interea quoad* h. e. usque ad id tempus, quo.

Terent. Hec. 1, 2, 82. *quid interea? ibatne ad Bacchidem?* ubi Donatus *inter eos dies.* Est ab isto tempore. Andr. 1, 1, 124. *tute ipse his rebus finem praescripsti, pater. Prope adest, quum alieno more vivendumst mihi: sine nunc meo me vivere interea modo.*

Terent. Phorm. 5, 1, 6. *quod ut facerem, egestas me impulit, — ut id consulerem, interea vita ut in tuto esset.*

Terent. Eun. 5, 2, 55. *visne interea, dum venit, domi opperiamur potius, quam hic ante ostium?* Heaut. 4, 7, 5. *tu hic nos, dum eximus, interea opperibere.* Caes. B. civ. 3, 16. *interea manerent induciae, dum ab illo rediri posset.* Liv. 8, 7, 7. *visne igitur, dum dies ista venit, quo magno conatu exercitus moveatis, interea tu ipse congredi mecum?*

Liv. 9, 9, 13. *interea in induciis res fuisset, donec ab Roma legati aut victoriam illis certam aut pacem afferrent.*

Caes. B. civ. 1, 10. *interea, quoad fides esset data, Caesarem facturum, quae polliceretur.*

4. Sed ipsum cursum temporis perpetuum denotat, ut sit, procedente tempore. Neque enim intelligimus id, quod cum aliis fiebat uno tempore, sed quod progrediente tempore contigit.

Cic. in Verr. 2, 17, 42. *interea sane perturbatus et ipse et eius amici et consiliarii moleste ferre coeperunt.* **3, 25, 62.** *Apronius interea coenam et pocula poscebat.* **Virgil. Aen. 3, 566.** *ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere: ter spumam elisam et rorantia vidimus astra. Interea fessos ventus cum sole reliquit, ignarique viae Cyclopum adlabimur oris.*

5. Hoc sensu coniungitur cum coniunctione *quum*, ut sit: *als im Fortgang der Zeit.*

Cic. p. Cluent. 62, 175. *interea Oppianicus quum iam convalesceret* **etc.**

6. Vbi in aliqua re acquiescimus et exspectamus progrediente tempore eventura, dicimus *interea*, hoc est, dum tempus procedit. Grammatici errant, qui hac quidem ratione pro *interim* positum putant.

Terent. Andr. 2, 1, 14. *interea fiet aliquid, spero.* **2, 3, 24.** *interea aliquid acciderit boni.*

7. Tempus et quae in eo aguntur, possunt ita aliis rebus opponi, ut, etiamsi illa fiant, hae tamen etiam constare aut fieri dicantur. Hinc *interea* accedit ad significationem verbi *tamen*. Est enim eodem tempore, rebus nihil impedientibus, nihilominus. Hoc modo *quum interea* pro *quum tamen* usurpatur, et componuntur vocabula *interea tamen*. Virgilius formulam eiusdem generis *nec minus interea* saepe usurpavit in transitu ad alias res aeque considerandas. Germani etiam *indessen* pro *doch* dicunt.

Cic. ad Fam. 5, 12. extr. *tu interea non cessabis et ea, quae habes instituta, perpolies nosque diliges.* **Virgil. Georg. 1, 82.** *sic quoque mutatis requiescunt fetibus arva, nec nulla interea est inaratae gratia terrae.* **Plin. Pan. 42, 4.** *non vis interea laudari nec fortasse laudanda sint: grata tamen sunt recordantibus principem illum* **etc. Behrius et Perizonius mutandum existimabant voc.** *interea*, **quod Schwarzius non recte interpretatur:** *inter haec, dum haec instituis*, **alienis exemplis collatis.**

Cic. p. Cluent. 30, 82. *anni sunt octo, quum caussa in ista meditatione versatur — : quum interea cluentianae pecuniae vestigium nullum invenitis.* Liv. 5, 54, 5. *inter tot veterrimos populos tamdiu bella geritis, quum interea — non universa Etruria — bello vobis par est.*

Catull. 101, 7. *nunc tamen interea, prisco quae more parentum tradita sunt tristes munera ad inferias, accipe.* i. e. ne luctibus indulgeam. Aliter Cicero de Orat. 1, 42, 191. *atque interea tamen, dum haec quae dispersa sunt, coguntur, vel passim licet carpentem et colligentem undique repleri insta iuris civilis scientia.* Virgil. Ecl. 1, 58. *nec tamen interea raucae — palumbes, nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.*

8. Antiqua fuit consuetudo *interea* cum genitivo *loci*, qui pro tempore sive temporis conditione nominabatur, copulandi. Sed post comicos nemo ita loquutus est, etsi apud Sallustium legimus *postea loci.* Grammatici veteres hanc compositam dictionem uni accentui submittebant, et scribendum arbitrabantur *interealoci.* Diomed. p. 428. Priscian. de Accent. p. 1288. *ambiguitas vero pronuntiandi saepe legem accentuum perturbat, ut si quis dicat interea loci, qui nescit, utrum dicat alteram partem interea et alteram loci, quod non separatim, sed sub uno accentu pronuntiandum est, ne ambiguitatem in sermone faciat.* (Alii codd. *ideoque amb. in s. facit.* quod non praestat.) At Kritzius ad Sallust. Iug. 63, 6. analogiae caussa divisa verba scribere iubet *inter ea loci.* Pronuntiatio in his maximopere valet, nec cedit grammaticis praeceptis. Etiam verba in scriptura discreta continebantur notione et accentu.

Plaut. 1, 1, 11. *interea loci aut aera aut vinum — tentat.* Pseud. 1, 3, 32. Men. 3, 1, 1. Terent. Eun. 2, 2, 24. *dum haec loquimur, interea loci ad macellum, ubi advenimus, concurrunt* etc. Heaut. 2, 3, 16. Eun. 1, 2, 46. Pacuvius apud Nonium s. v. *flucti* 8, 37. *interea loci flucti flacciscunt, silescunt venti, mollitur mare.* Ita enim est scribendum pro *interea loca.*

9. Historici hac particula utuntur in transgrediendo ad alias res continuo tempore factas. Qui usus a poetis epicis transiisse videtur ad historiarum auctores. Wagnerus in Quaest. Virgil. 7. p. 398. et ad Aen. 11, 1. docuit *interea* cum perfecto compositum significare id, quod *postquam:* quod alienum ab ipsa particula.

Virgil. Aen. 1, 124. *interea magno misceri murmure pontum emissamque hiemem sensit Neptunus.* 11, 1. *oceanum interea surgens Aurora reliquit.*

Curtius 3, 4, 1. *interea Alexander — Ciliciam petens cum omnibus copiis, regionem, quae Castra Cyri appellatur, pervenerat.* 7, 6, 1.

10. Vti *interim*, ita etiam *interea* a recentioribus scriptoribus pro *interdum* dici primus observavit Drakenborchius ad Sil. Ital. 7, 395. ubi: *interea (crede experto, non fallimus) aegris nil movisse salus rebus.* Sed I. H. Vossius mirabilem per errorem labitur, quum hanc significationem transfert ad Virgilii Ecl. 10, 55. de quo n. 1.

11. Quo modo *antidea* pro *antea* dictum sit, exposui Tom. 1. p. 402. Sed et *postidea* et *interidea* grammatici in usu fuisse narrant. De illo nobis suo loco erit dicendum. *Interidea* nusquam in veterum scriptorum libris legitur. Meursius in Glossis, nescio quibus, (nam apud Vulcanium non invenio) exstare dixit: *entoridea*, ἐν τῷ μεταξύ. quod non modo correxit *endoteridea*, sed comicis usitatum fuisse affirmavit. Vide Exercit. Crit. p. 69. Laurenbergii Antiquar. p. 31. Res haec tam incerta est, ut, nisi idonea documenta proferantur, de ea iudicari omnino non possit. Ne *endoter* quidem, quod pro *inter* dictum perhibent, exemplis est demonstratum.

*) In libris scriptis pro *interea* saepe legitur *interim.* Vide Drakenb. ad Liv. 9, 9, 13. Kritz. ad Sallust. Iug. 40, 1.

INTERIBI.

Comici vulgari sermone dicebant *interea loci* pro *interea.* Eadem temporis et loci notionum commutatione antiquo tempore factum erat *interibi*, cuius exempla etiamnunc apud Plautum et in fragmentis Afranii exstant. Terentius abstinuit. Sed Apuleius et Gellius, et si qui alii sunt obsoletae vetustatis imitatores, revocarunt istum usum, in quo Pricaeus ad Apulei. Apolog. p. 162. non potuit perspicere, quomodo locale nomen *ibi* accessisset, ideoque merum archaismum appellavit.

Plautus non ter, ut refert Elmenhorstius, sed sex vel septem locis utitur hoc vocabulo. Asin. 5, 2, 41. *tu interibi ab infimo da suavium.* Capt. 5, 1, 31 et 33. Mil. 2, 1, 26. *interibi ut hic miles forte Athenas advenit.* ex certissima emendatione Acidalii. Poen. 3, 3, 3. *interibi attulerint exta.* Rud. 4, 6, 20. In Pers. 1, 3, 85. restituit Acidalius coniectura haud improbabili. Nonius 13, 14. s. v. cymba: *Afranius Excepto: tum conscendo cymbam interibi luci piscatoriam: venio, iacitur ancora, inhibent leniter.* Ita scribendum est, non *lucis.* Apulei. Apol. p. 320, 29. *interibi revalesco.* Gellius 3, 7. *consul interibi, dum ea pugna fit, se in locos tutos atque editos subducit.* Editores scripserunt *interim.* 2, 29. ubi codices *ibi* et *interea* habent, Gronovius scribendum censuit *si quid interibi novi fieret.*

INTERIM.

Omnes grammatici in verbo *interim* praepositionem *inter* ad tempus relatam cognoverunt: ob extremam syllabam in diversas partes discesserunt. Quod Festus ait: *interatim dicebant antiqui, quod nunc interdum*, id aut corruptioni vulgaris pronuntiationis debetur aut ipsum est corruptum. Tamen Scioppius ex *interatim* tradidit factum esse *interim:* rationem non reddidit. Sed G. Vossius syllabam *im* esse dixit pronominis *eum* vel *eam* obsoletam formam, intelligique *inter eam rem.* Id affirmans Hartungius in libro de Casibus p. 249. supplendum censet *diem* vel *horam.* Quod commentum certi nominis substituendi haud semel nobis reiiciendum erat in his libris. Praeterea Max. Schmidtius de Pronom. p. 78. „hic feminini generis accusativus, inquit, nusquam reperitur, neque *im* neutrius generis esse potest, quod *m* in *is* pronomine a neutrius generis natura abhorret.“ Ipse vero Schmidtius *im* existimavit esse casum locativum *in* sive *i*, et *n* in *m* litteram mutatam esse propterea, quod Latini plurima vocabula terminassent littera *m.* Quae caussa parum valet. Et habemus adverbia multa verbalia eiusdem formae *divisim, statim, furtim, sensim*, et alia ex nominibus substantivis vel adiectivis facta, *viritim, partim*, et ex adverbio *iuxtim*, quibus si casuum formas adscribimus, veri casus esse non possunt, neque *im* unquam locativi casus officio fungitur. Tantum vero abest, ut adverbia ipsum casum recipiant, ut terminationes eorum formentur in modum casuum, et in se constent. Quid quod casus ipsi adverbiales sunt formae nominibus ad-

iectae. Quare redeundum nobis est ad certiora indicia. Facile enim agnoscemus cognationem vocabulorum *im* et pronominis *is*, qua factum est ut *interim* in vicem verbi *interea* succederet: neque etiam repugnabimus, si quis *inde* et *im* comparans ad formam locativam *i* nos revocaverit, nec si alius quis ad accusativum respexerit, modo ne accusativum appellarit. Vnum hoc teneamus *im* in verbo *interim* monstrativam vim habere, quae eadem in pronomine apparet, et *inter-im* dici, quod alias *inter-ea*.

Permirum est quod Doederlinus scripsit in Synonym. T. 4. p. 272. nec Plautum nec alios antiquiores scriptores umquam dixisse *interim*, ut significaret *indessen*, sed *interibi*, atque ex hoc vocabulo aurea demum aetate per apocopen factum esse *interim*. Tamen paullo post narrat cognitum fuisse Plauto hoc vocabulum, significans *interdum*.

Etiam significatio cum his congruit. *Interim* pro *interea* usurpatur: et Quintilianus, si Bonnellus accurate eius verba notavit, numquam *interea*, sed semper *interim* dixit. Vetus autem opinio, nunc etiam a Grysaro in Doctrina stili p. 534. proposita, qua statuitur, *interim* absolute, *interea* cum coniunctionibus poni solere, falsa est et inanis, neque, quo casu orta sit, patet. Fortasse observarunt Ciceronem non dixisse *interim dum*. Alii synonymorum doctores non probabiliora tradiderunt. Noltenius p. 1030. nescio quo auctore haec: „*interea* i. e. inter hoc tempus, toto hoc temporis spatio, a principio usque ad finem: *interim* i. e. intra hoc tempus, antequam finiatur. Absurde diceretur: *panditur interim domus*, notione illa, qua Virgilius id profert (Aen. 10, 1. *panditur interea domus omnipotentis Olympi*). Similiter absurde *interea aliquid fit*.“ Attamen Terentius ita loquutus est Andr. 2, 1, 14. Doederlinus p. 271. distinguit hoc modo: *interea* dici de re longum per tempus protracta, *interim* de re cito transeunte: illud significare temporis spatium, hoc temporis punctum. Quae quum non alio documento firmentur, quam observatione exemplorum, cavendum est, ne praecipiti decreto fallamur. Nulli enim aevo nec antiquiori nec posteriori desunt exempla, in quibus *interim* de continua actione et de re non semel incidente dictum sit. Nos ipsi allaturi sumus e Plauti comoediis: *dum coquitur, interim potabimus:* e Livii li-

bris: *interim rei eventum experiri et castra defendere:* e Taciti Annalibus: *se fidem interim, donec vita suppeditet, retenturos*, et alia huius generis. Plinius adeo scripsit *omni interim tempore.* Scilicet difficillimum saepe erit explicatu, utrum res brevius an longius temporis spatium complectatur: sicuti Doederlinus monstrat negotium castrorum ponendorum esse posse et breve et longum. Et ne id quidem huic viro est concedendum, in negativis sententiis ubique poni *interea.* Legiturne apud Sallustium: *neque interim cuiusquam boni famam laedere?* Nec germanicae linguae vocabula *indessen* et *unterdessen* idonea praebent analogiae documenta, quippe quae diversis praepositionibus diversum sensum exprimant. Quae quum ita sint, ne falsis praeceptis usum coerceamus, agnoscimus in *interim* unitatem temporis, qua duae res continentur, hoc est, alteram rem in idem tempus incidere, in quo altera agitur. *Interea* autem duas res componit uno in tempore apparentes. Sed facile fieri potest, ut haec rerum ratio cum illa temporis ratione commutetur, neque umquam vulgaris usus discrimina servavit, sed promiscue haec vocabula ad unam notionem temporis communis exprimendam adhibuit.

1. Primum igitur *interim* significat, hoc eodem tempore, in quo aliquid fit, aliud fieri. Interdum potest accipi pro *inter haec.*

Plaut. Asin. 4, 1, 54. *nec mater lena ad vinum accedat, interim.* **i. e. hoc tempore, quo compotamus. Cic. de Orat. 2, 86, 353.** *hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse.* **Plaut. Pseud. 2, 3, 19.** *certa amittimus, dum incerta petimus, atque hoc evenit in labore atque in dolore, ut mors obrepat interim.* **Sed vd. n. 8. Curt. 4, 15, 9.** *interim barbari impedimenta turbaverant.* **4, 16, 4. Plin. Hist. n. 17, 19, 30, 7.** *eumque omni interim tempore edomari meditatione curvandi* **(iubet).**

Plaut. Mil. 4, 4, 28. *ibo igitur intro: tu hic ante aedis interim speculare.* **Poen. 1, 3, 15.** *i, adduce testes tecum: ego intus interim iam et ornamentis meis et sycophantiis tuum exornabo villicum.*

Quintil. 1, 12, 6. *grammatico soli deserviamus? deinde geometrae tantum? omittamus interim, quod didicimus?* **i. e.** *sollen wir dem Geometer uns hingeben und indessen unbeachtet lassen, was wir gelernt?* **11, 1, 54.** *quo fugerit interim dolor ille?*

Sallust. Iug. 96, 2. *ioca atque seria cum humillimis agere, in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse neque interim, quod prava ambitio solet, consulis aut cuiusquam boni famam laedere.* i. e. inter haec, in his agendis.

2. Exprimitur tota sententia verbis, praemisso vel sequente *dum*, aut cum termini indicio *quamdiu*, *donec*, aut ablativo absoluto. Cicero numquam ita loquutus est. Grammatici qua ratione verba *interim dum*, nulla interpunctione facta, componenda censeant, exposui in *interea*.

Plaut. Men. 1, 3, 31. *iam nos hic erimus: dum coquitur, interim putabimus.* Mil. 4, 7, 56. Terent. Eun. 5, 2, 3. *interim dum ante ostium sto, notus mihi quidam obviam venit.* Caes. B. gall. 5, 37. *interim dum de conditionibus inter se agunt —, paullatim circumventus interficitur.* Liv. 28, 44, 10. 35, 24, 7. Gell. 1, 26. *interim, inquit, dum ego atque hic disputamus, tu hoc age.*

Marcian. in Dig. 30, 1, 114, 18. *item si unum heredem instituisset, nec quidquam legasset, exheredati nihil interim, quamdiu in familia res est, petere possunt.* Tacit. Ann. 15, 11. *se fidem interim, donec vita suppeditet, retenturos.* Doederlinus vero vitiosam censet hanc scripturam quorumdam codicum apud Liv. 9, 9, 13. *interim in induciis res fuisset, donec ab Roma legati aut victoriam illis certam aut pacem afferrent.*

Tacit. Ann. 12, 46. *cunctante ad ea Mithridate et suspectis praefecti consiliis — Casperius interim ad Pharasmanem pervadit.*

3. Saepe oratio habet ellipticam formam eam, ut ex antecedentibus verbis colligi debeant, quae sententiam constituant.

Plaut. Mil. 2, 2, 47. *quaere: ego hinc abscessero abs te huc interim.* i. e. dum tu quaeris. Terent. Heaut. 2, 3, 135. CL. *Vbi sunt? cur retines?* SY. *Iam nunc haec non est tua.* CL. *Scio, apud patrem: at nunc interim.* SY. *Nihilo magis.* i. e. at nunc dum non est apud patrem.

4. Sed et ipsum tempus continuum intelligitur, et dicitur ante rem agendam aliud quid interim fieri, hoc est, tempore praesumpto, vel alia re occupato. Nimirum tempus et actio componuntur, non, ut in *interea*, duae actiones.

Liv. 5, 19, 4. *deinde indicto delectu in diem certam, ipse interim Veios ad confirmandos militum animos intercurrit.* Caes.

B. gall. 3, 3. *maiori tamen parti placuit, hoc reservato ad extremum consilio, interim rei eventum experiri et castra defendere.*

Sueton. Vesp. 7. *suscepto igitur civili bello ac ducibus copiisque in Italiam praemissis interim Alexandriam transiit, ut claustra Aegypti obtineret.*

Petron. 14, 4. *itaque ne interim praeda discederet, vel minoris pallium addicere placuit.*

5. Duae res, quae se tempore excipiunt proximo, simul gestae esse dicuntur: hoc factum esse, quum interim illud fieret. Ita coniunguntur verba *quum interim*, in quibus temporis ratio magis valet, quam caussae: quapropter sequitur indicativus. Quod quum miro errore Spaldingius ad Quintil. 10, 1, 18. negasset, Zumptius Tom. 6. p. 411. rem doctissime exposuit, sed ista verba reddens *während indessen*, non respexisse videtur ad ea, quae consequentiam in se habent. Cf. Zumptii Gramm. §. 580 (578) 12. Interdum in obliqua oratione sequitur infinitivus. Vide Gronov. ad Liv. 4, 51, 4.

Sallust. Iug. 12, 5. *scrutari loca abdita, clausa effringere, strepitu et tumultu miscere, quum interim Hiempsal reperitur occultans se in tugurio mulieris ancillae.* ubi de constructione Kritzius. Iug. 49, 4. *ad hoc viritim, uti quemque ob militare facinus pecunia aut honore extulerat, commonefacere benefici sui et cum ipsum aliis ostentare: postremo pro cuiusque ingenio pollicendo, minitando, obtestando alium alio modo excitare, quum interim Metellus ignarus hostium monte degrediens cum exercitu conspicatur.* Kritzius ut verbum *conspicatur* defenderet, argumentis est usus, quae mihi aut aliena aut non vera esse videntur. Neque enim necessarium erat, ut Sallustius enarratis iis, quae Iugurtha gessisset, ad Metellum transiens activum verbum poneret: neque verba, quae sequuntur, *primo dubius* etc. ipsa requirunt activi verbi notionem: denique nihil obstat, quo minus narretur, dum Iugurtha suos milites admoneret et excitaret, Metellum interim conspectum esse cum exercitu. At ipse Donatus, qui formam *conspicatur* affert, ne cogitavit quidem activum, sed demonstravit, Sallustium dixisse *conspicatur* pro *conspicitur*, alia verbi declinatione. Id vero maxime miror, Kritzium eam elegantiam non sensisse, qua Sallustius orationem ordinavit. Ab Iugurtha enim transgreditur ad Metellum, qui interim cum exercitu conspectus

fuerit, sed primo dubius quidnam insolita facies ostenderet. Tum interposita rei explicatione restituit orationem, sed pergit activo. Ea vero ratio, quam Kritzius defendit, probari non potest, quasi activo sensu dicatur: *cum exercitu conspicatur.* i. e. conspicit, neque omitti hic potest nomen eorum, quos Metellus narretur conspexisse. Quodsi passivum accipis, omnia vero se habent optime, neque elegantia carent.

Liv. 4, 51, 4. *iacere tamdiu irritas sanctiones, quae de suis commodis ferrentur: quum interim de sanguine et supplicio suo latam legem confestim exerceri et tantam vim habere.* 6, 27, 6. 6, 11, 4.

6. Historiarum igitur auctores, et qui narrant res gestas, utuntur hoc vocabulo, ut aut res ab aliis actas ad idem tempus, de quo loquuti sunt, referant, aut significent cursum rerum non esse aliis rebus turbatum.

Cic. p. Lig. 1, 3. *quaerebant aliquem ducem, quum Ligarius — nullo se implicari negotio passus est. Interim P. Attius Varus — Vticam venit.* ad Fam. 10, 12, 4. *feci continuo omnes participes meae voluptatis. Interim ad me venit Munatius noster.* Sallust. Iug. 66, 1. *interim Iugurtha — cum magna cura parare omnia.* Iustin. 2, 14, 1. *interim Mardonius in Graecia Olynthum expugnat.*

Terent. Andr. 1, 1, 100. *funus interim procedit: sequimur.* Plaut. Stich. 2, 2, 46. *alius alium percontamur: cuia est navis? quid vehit? Interim Epignomum conspicio, tuum virum.*

7. Hoc modo ipsa rerum consequentia poterat designari. Res enim intelliguntur cum ipso tempore exsistentes, sive continuus rerum ordo: id quod germanicum *inzwischen* etiam exprimit.

Terent. Hec. 1, 2, 102. *primo hos dies compluscullos bene convenibat sane inter eas. Interim miris modis odisse coepit Sostratam.* Sueton. Tiber. 73. *interim, quum in actis senatus legisset* etc. Petron. 27. *nos interim vestiti errare coepimus.* quem locum interpretes male tractarunt.

Componuntur hoc sensu verba *atque interim*, de quibus Tom. 1. p. 496.

8. Adhaeret etiam notio clandestini eventus vel consilii. Nimirum dicimus interim fieri id, quod nescientibus nobis fit, et id, quod aliud agentes, clam perficiunt.

Plaut. Pseud. 2, 3, 20. vide n. 1. Cornel. Dat. 11, 3. *Mithridates — Datamem revocavit, simulans se quiddam in colloquio esse oblitum. Interim telum, quod latebat, protulit.*

Cic. p. Rosc. Am. 29, 80. *interim mihi videris, Eruci, una mercede duas res assequi velle, nos iudicio perfundere, accusare autem eos ipsos, a quibus mercedem accepisti.* Wolffius reddit: *zuweilen scheinst du mir für einen Lohn zweierlei erreichen zu wollen.* Quae significatio particulae non attingit tempora Ciceronis. vide n. 14. Dubitari tamen poterit, utrum explicandum sit *eodem tempore*, an de conatu furtivo intelligendum. Similiter apud Plaut. Trucul. 4, 4, 29. de quo n. 14.

9. Alia ratio, quae saepe accedit, est acquiescentis in aliqua re et praesentia contenti. Germanice *vor der Hand.* Hinc de eo, quod pro tempore satis videtur esse.

Quintil. 1, 10, 27. *ut uno interim contenti simus exemplo C. Gracchi* etc.

Quintil. 3, 8, 5. *de coniectura paullo post pluribus. Interim est definitio apud Demosthenem* etc.

Quintil. 2, 3, 3. *error tamen est in re duplex: unus, quod interim sufficere illos minores existimant et bono sane stomacho contenti sunt.* 2, 4, 3. *interim admonere illud satis est.*

10. Hic usus latius patet. Nam significatur praeoccupatum tempus, aliis rebus repositis vel dilatis. Hoc est *vor jezt*, *vorerst.* Sed etiam id, quod ante aliud fit ideoque praesumitur, dici potest interim fieri. Saepe ex tota sententia colligitur haec ratio.

Valer. 4, 3. Ext. 4. *mox, inquit, de ceteris: interim a sole mihi velim ne obstes.* Vulgo: *non obstes:* quod defendi non potest.

Quintil. 4, 1, 26. *aliqua ergo nonnumquam, quae erunt ad conciliandum nobis iudicem potentissima, non inutiliter interim ex quaestionibus in exordio locabuntur.* i. e. antequam in oratione ipsa agitur.

Cornel. Them. 6, 5. *hanc legationem suscepit Themistocles et solus primo profectus est: reliqui legati ut tum exirent, quum satis altitudo muri exstructa videretur, praecepit: interim omnes servi atque liberi opus facerent, neque ulli loco parcerent.* h. e. antequam legati proficiscerentur, sive per hoc tempus, quo legati murum exstructum manerent.

11. Futurum quod est, suo loco relinquimus et missum facimus, quum *interim* aliud esse faciendum dicimus. Sic etiam rei deliberationem ad finem perducere solemus, quum iis, quae exspectanda sunt, non remorati, ad id, quod agi nunc licet, redimus.

Plaut. Most. 5, 1, 44. *faciundum edepol censeo: ego interim hanc aram occupabo.* **Men. 2, 2, 74.** *hoc ponam interim.* i. e. reliqua missa faciam: hoc certe ponam. **Cic. ad Att. 7, 12.** *sed haec, ut scribis, cito sciemus. Interim velim mihi ignoscas, quod ad te scribo tam multa toties.* **Plaut. Most. 1, 4, 32.** *age tu interim da ab Delphio cito cantharum circum.* intellige: illud missum faciamus: interim etc.

Curt. 10, 6, 9. praemissis, quae in deliberationem veniebant: *interim a quibus regi velitis destinate.*

12. F. A. Wolfius ad Tacit. Ann. 1, 4. *interim* comparat cum graeco *τέως*, et significari dicit *per aliquod tempus.* Sed veritatem rei ex aliqua parte tantum perspexit. *Interim* non est per aliquod tempus, sed per id tempus, quod quum opponitur futuro aut proximo tempori, intelligitur de praesenti tempore praesumpto: *vorerst, einstweilen.* Sequitur *mox, quandoque.* Similiter Graeci *τέως μέν.* Xenoph. Anab. 7, 7, 55. *οἱ δὲ στρατιῶται τέως μὲν ἔλεγον ὡς Ξενοφῶν οἴχοιτο πρὸς Σεύθην οἰκήσων — · ἐπεὶ δὲ αὐτὸν ἥκοντα εἶδον, ἥσθησάν τε καὶ προσέθεον.* 4, 2, 12.

Caes. B. civ. 3, 44. *multaque erant intra eum locum manu sata, quibus interim iumenta pasceret.* **Tacit. Ann. 14, 41.** *pari ignominia Valerius Ponticus afficitur, quod reos, ne apud praefectum urbis arguerentur, ad praetorem detulisset interim specie legum, mox praevaricando ultionem clusurus.* **1, 4.** *serviendum feminae duobusque adulescentibus, qui rem publicam interim premant, quandoque distrahant.* Egregie Muretus interpretatus est: interim dum imperaturus est Tiberius. Vide Var. Lect. 11, 1. **Quintil. 2, 4, 5.** *erit illud plenius interim corpus, quod mox adulta aetas adstringat.*

13. *Nunc interim* in sermonibus cum futuro et cum coniunctivo aut imperativo componuntur, ut opponatur id, quod posthac faciendum sit.

Plaut. Aul. 4, 10, 75. *postea intro hunc subsequar: nunc interim spatium ei dabo exquirendi.* **Men. 5, 9, 91.** *nunc interim eamus intro.*

Plaut. Rud. 3, 5, 13. *facito istuc, quod minitaris: sed nunc interim, si illa attigeris, dabitur tibi magnum malum.*

14. *Interim* mutatis notionibus esse potest *inter alia*, quod ad tempus rursus relatum pro *interdum* dicitur. Sic Germani *mitunter*. Videtur hic usus Quintiliani tempore natus. Vd. Spalding. ad Quintil. 1, 1, 8. et ad 10, 3, 7. Nam quae afferuntur Plauti et Ciceronis exempla, ea alio modo explicari debent. Sed Quintilianus, Plinii, Senecae frequentant hanc dictionem. In Taciti libris nullum inveni exemplum. Cf. Erasmi de Copia verb. 1, 11. Goclenii Observat. p. 151. Scioppii Iud. de stilo histor. p. 57. Buchner. de Commut. rat. dic. p. 168. Gronov. ad Senec. de Benef. 6, 42. Pricae. ad Apulei. Met. p. 532. Freinshem. in Ind. Flor. Besselii Miscell. p. 25. Duker. ad Flori 1, 25, 6.

Plaut. Truc. 4, 4, 28. PH. *Iam me tuum oculum non vocas?* DIN. *Id quoque interim furatim nomen commemorabitur.* In codicibus legitur *futatim*, quod esse existimabant *frequenter*. At recte Palmerius *furatim* scripsit, quocum convenit *interim*. vid. n. 8. Quod e Cicer. Orat. p. Rosc. 29. afferunt, etiam n. 8. alius esse generis ostendi.

Quintil. 1, 1, 8. *imperiosi atque interim saevientes.* 1, 1, 20. *contendat interim et saepius vincere se putet.* 7, 3, 4. *quod nomine constat, de re dubium est, interim coniectura est.* 2, 1, 1. *tenuit consuetudo — ut praeceptoribus eloquentiae, latinis quidem semper, sed etiam graecis interim discipuli serius, quam ratio postulat, traderentur.* 2, 4, 4. 3, 6, 88. 6, 3, 44. *similis in apologis quoque et quibusdam interim etiam historiis exponendi gratia consequi solet.* Plin. Hist. n. 8, 16, 18. *vesci alternis diebus: a saturitate interim triduo cibis carere.* 9, 8, 7. *pariunt catulos decimo mense —, interim binos.* Senec. Herc. Oet. 481. *interim scelus est fides.* Senec. de Benef. 1, 11, 1. *interim non reddere tantum libet quod acceperis, sed abiicere.* de Ira 2, 21. 1, 16. Florus 1, 25, 6. Mela 3, 6, 14.

Infima latinitatis aetate ubique *interim* pro *sed* usurpabatur, ideoque a librariis saepe apud veteres scriptores est suppositum. vd. Cornel. Them. 6, 1.

15. Hac significatione positam particulam sequuntur eiusdem generis vocabula *saepe*, *nonnumquam*, et ipsum *interim* bis ponitur pro *modo — modo*.

Quintil. 12, 10, 53. *laturi sententiam indocti saepius atque interim rustici.* 11, 3, 51. 4, 5, 20. *quaedam interim nos invitis*

litigatoribus simulandum est dicere —: nonnumquam quasi interpellemur ab his, subsistere: saepe avertenda ad ipsos oratio.

Quintil. 6, 3, 59. *adhibetur autem similitudo interim palam, interim inseri solet parabolae.* 5, 10, 34. *quae interim ad veniam valent, interim ad probationem criminis.* 5, 7, 15. 6, 3, 73. 9, 2, 100. 2, 3, 4. Traian. ad Plin. 10, 27. *prudenter autem constituis interim navibus, interim vehiculis uti.*

16. Quum *interim* duas res simul et uno tempore agendas comprehendat, ubi contrarium aut diversum quid adest, haec particula concessivam vim recipit, et fere idem significat, quod *nihilominus*, *tamen*, quemadmodum Germani *indessen* pro *doch* loquuntur. Sententia enim exprimitur: etiamsi illud sit, hoc simul tamen valet. Et potest ita affirmari id, quod alias videtur non certum. Adiungi potest *tamen*, uti Germani componunt *indessen doch*. Cf. Scheffer. in Miscell. Observ. T. 9. p. 181.

Plaut. Men. 1, 3, 7. *ut ego uxorem, mea voluptas, ubi te adspicio, odi male.* ER. *Interim nequis quin eius aliquid indutus sies.* Quintil. 1, 8, 5. *optime institutum est, ut ab Homero atque Virgilio lectio inciperet, quamquam ad intelligendas eorum virtutes firmiore iudicio opus est: sed huic rei superest tempus: neque enim semel legentur. Interim et sublimitate heroici carminis animus assurgat et ex magnitudine rerum spiritum ducat et optimis imbuatur.* 3, 8, 44. Plin. Hist. n. 22, 2, 3. *non est nunc propositum ista consectari: — nec tingendi tamen rationem omisissemus, si umquam ea liberalium artium fuisset. Interim fortius agetur: auctoritasque quanta debeatur etiam surdis, hoc est ignobilibus herbis, perhibebitur.*

Plin. Epist. 3, 20, 7. *quae nunc immodico favore corrupta ad tacita suffragia quasi ad remedium decurrerunt. Quod interim plane remedium fuit: erat enim novum et subitum.*

Quintil. 10, 3, 7. *interim tamen, si feret flatus, danda sunt vela.* Frotscherus accipit *aliquando tamen:* nescio an non recte.

17. *Sed interim* dicunt ii, qui se avocant ab aliqua re et redeunt ad ea, quae ante acta vel cogitata erant. Restituitur nexus temporis.

Plaut. Curc. 4, 1, 25. *sed interim fores crepuere: linguae moderandum est mihi.* Stich. 5, 4, 21. *potius in subsellio cynice accipiemur, quam in lectis. Immo enim hic magis est dulcius. Sed interim, strategę noster, cur hic cessat canthurus?*

18. Sic opponuntur duae res aeque non negandae vel ab utraque parte simul valentes, in altero membro positis verbis *quum interim:* quasi dicatur *quum ex altera parte simul.* Modus indicativus sequitur, non coniunctivus. Vide Zumpt. ad Quintil. Tom. 5. p. 411.

Quintil. 2, 12, 2. *et gladiator, qui armorum inscius in rixam ruit, et luctator, qui totius corporis nisu in id, quod semel invasit, incumbit, fortior ab his vocatur: quum interim et hic frequenter suis viribus ipse prosternitur et illum, vehementis impetus, excipit adversarii mollis articulus.* 1, 12, 3. 12, 10, 67.

19. His omnibus consideratis non inveniemus locum, quo significationem *repente* collocemus. Eam tamen grammatici afferunt Donati auctoris nomine, qui ad Terent. Hec. 1, 2, 102. *interim, modo repente: et est adverbium temporis.* At glossator intellexit rem nullo temporis intervallo consequutam, sive aliam rem in aliam continuo transeuntem. Quod Sarpius si reputasset, in Analect. p. 51. non reprehendisset bonum Donatum. Rinckius in libello de Aemilio Probo, auctore Vit. Imperat. 30. documentum depravatae latinitatis in eo invenisse sibi visus est, quod in Them. 5, 1. *interim* positum sit pro *ceterum.* At meliores libri ibi praebent *iterum. Interim* si legitime scriberetur, significaret *nihilominus, tamen.*

*) Commutantur *interim* et *interea.* vd. Drakenborch. ad Liv. 9, 9, 13. et *interim.* vd. criticos ad Cornel. Them. 5, 1. Drakenb. ad Liv. 10, 18, 1.

INTRA.

Intra formam esse ablativam nominis *interus* constat, neque ulla in parte ratio eius differt a particulis *extra, supra, infra.* Adverbium fit praepositio, quae cum accusativo componitur: comparativus autem primitivam formam non mutat contractione.

Gellius, qui de hac voce disputat 12, 13. originem ita demonstrat: particulis *in, cis, uls,* quoniam parvo exiguoque sonitu obscurius promerentur, additam esse syllabam *tra,* nulla significationis mutatione facta: ideoque *intra* significare *in.* Nos quum ortum in adiectivo cognoverimus, etiam de significatu non dubitabimus. Sed etiam Priscianus p. 991. *intra*

quoque videtur ab in derivatum, velut ab ex extra, a sub subter: sic ab in inter et intra, et significat τὸ ἐντὸς, quod est adverbium apud Graecos.

Pessimae latinitatis auctores *intra* cum ablativo composuerunt. Collatio legum mosaic. et rom. Tit. 8, 5. *nec manifestus fur est, qui intra rapiendo quidem comprehensus est.*

Significat *intra* id, quod in loco aliquo finibus circumscripto vel linea determinato inest. Nomen quod additur terminum notat, non tantum locum. Ab *in* igitur differt notione circumscriptionis, et designantur limites vel res, quae locum continent. Sententia autem saepe ita est comparata, ut comparari possit *citra*, de quo vide n. 6.

Liv. 31, 24, 9. *intra eam* (portam) *extraque latae sunt viae.* Antiquum carmen apud Liv. 1, 26, 6. *verberato vel intra pomoerium vel extra pomoerium:* in quo miror Niebuhrium latine dici potuisse existimantem *intra vel extra pomoerium.* Pomoerium instar termini fuit. Cic. in Cat. 2, 1, 1. *nulla iam pernicies a monstro illo — moenibus ipsis intra moenia comparabitur.* ad Att. 3, 10. *quod facile fuisset, nisi intra parietes meos de mea pernicie consilia inirentur.* p. Quint. 11, 38. Drakenb. ad Liv. 4, 9, 6. in Verr. 3, 89, 207. *locus intra oceanum iam nullus est, neque tam longinquus neque tam reconditus, quo non — nostrorum hominum libido iniquitasque pervaserit.* i. e. in terris oceano circumdatis, in terrarum orbe oceano circumscripto, quo in loco expediendo non opus habemus subtilitate Sulpicii Apollinaris, quam Gellius tradit. Sueton. Caes. 68. *centum et triginta millia intra vallum reperta sunt.* Plin. Hist. n. 5, 10, 11. *sunt in honore et intra decursus Nili multa oppida.* i. e. quousque Nilus decurrit.

Cic. p. Sext. 27, 58. *Antiochum illum Magnum maiores nostri — intra montem Taurum regnare iusserunt.* Fines regni constituti erant monte Tauro. Recte igitur Gellius interpretatur: intra regiones, quae Tauri montis obiectu separantur. Quae si Doederlinus ad animum suum revocasset, in Comment. de Brachylogia p. 15. non scripsisset, *intra*, ut graecum μεταξύ, duos genitivos adiunctos habere, quorum alterum omittatur, ut in verbis Livii 5, 35, 2. *Boii Lingonesque — non Etruscos modo, sed etiam Umbros agro pellunt: intra Apenninum tamen se tenuere.* in his intelligi alteros fines *intra Alpes et Apenninum.* Liv. 38, 38, 6. *si qui earum urbium cives, quae regno abscedunt, cum rege Antiocho intraque fines eius regni sunt, Apameam omnes ante diem certam redeant.* Walchius

Emendat. p. 17. emendavit *intraque vires eius regni.* Id ne latinum quidem est.

De discrimine verborum *intra* et *infra* loquitur idem Doederlinus in Synonym. T. 4. p. 329. sed parum probabili modo.

2. Inde de eo dicitur, quod in aliquo loco se continet, non excedit, in loco est inclusum.

Plaut. Trin. 4, 2, 64. *non placet, qui amicos intra dentes conclusos habet.* so. *Satin' intra labra atque dentes latuit vir minumi pretii?* Lactant. de Opif. dei 16, 10. *potestas mentis humanae intra mortale corpus inclusae.*

Rhet. ad Herenn. 4, 3, 4. *quasi si quis ad olympiacum venerit cursum et steterit, ut mittatur, impudentesque illos dicat esse, qui currere coeperint, ipse intra carceres stet.* Quintil. 12, 10, 21. *semper manum intra pallium continentes.* Curt. 10, 5, 8. *nobiles pueri custodiae corporis eius adsueti nec doloris magnitudinem capere nec se ipsos intra vestibulum regiae retinere potuerunt.* Plin. Paneg. 30, 4. *amnis intra usurpata semper collium substiterat.* ubi Schwarz.

Quintil. 1, 5, 7. *intra haec, quae profitentium commentariolis vulgata sunt, consistet.*

Quintil. 8. Pr. 15. *similia gladio condito atque intra vaginam suam haerenti.*

3. Facile fieri poterat, ut omissa hac notione intelligeretur ipse locus, in quo aliquid esset, atque *intra* pro *in* diceretur. Id ad usum comicorum et posterioris temporis pertinet: nam antiquiores scriptores nomina ea tantum adhibebant, quae locorum spatia eorumque ambitum significabant. Sic *intra coelum* est in regione coeli, *im Bereiche des Himmels.* Nonius Marc. 12, 45. *intra non solum id significat, quod consuetudine persuasum est, ut intra modum, hoc est, a modo minus, sed etiam in ipso modo: ut intra calendas dies etiam ipsae calendae accipi debeant: ut intra oppidum, etiam intra cubiculum quum dicitur, in oppido et in cubiculo dictum esse videatur. Idque ita positum in multis veteribus, sed non tam claris scriptoribus invenitur.*

Cic. de Vniv. 10. *iam vero terram — antiquissimam deorum omnium voluit esse eorum, qui intra coelum gignerentur.* p. L. Manil. 12, 33. *nullam intra oceani ostium praedonum navem esse.* Caes. B. civ. 3, 44. *multaque erant intra eum locum manu sata, quibus interim iumenta pasceret.*

Plaut. Merc. 1, 2, 75. CH. *Vbi eam vidit?* AC. *Intus intra navim, uti prope adstitit.*

Sueton. Galb. 8. *acciditque ut quum provinciam ingressus sacrificaret intra aedem publicam* etc. ubi Oudendorp. 14. *intra palatium habitantes.* Calig. 27. *stans tantummodo intra porticum mediam.* i. e. non in tribunali. Plin. Hist. n. 22, 25, 70. *ea* (ulcera), *quae intra os sunt, purgat.*

Plin. Hist. n. 25, 1, 1. *summum opus ingeniorum diu iam hoc fuit, ut intra unumquemque recte facta veterum perirent.*

Tacit. Dial. 3. *sedentem ipsum et quem pridie recitaverat librum intra manus habentem deprehendimus.* de quo loco dixi p. 388. Veget. de Re mil. 3, 23. *Vrsiliani in Africa.* Vir doctus in Miscell. Obs. T. 9. p. 91. commendat lectionem codicum quorumdam *intra Africam.* 3, 10. p. 75. *intra Gallias.* ubi alii codd. *inter Gallias*, ut variant in Tacit. Hist. 2, 11. Illud probari non potest, hoc apud talem scriptorem non offendit.

4. Sunt formulae, quae utramque praepositionem eodem cum sensu recipiunt. *In praesidiis* (Cic. p. Leg. 9, 28.) et *intra praesidia* (Caes. B. civ. 3, 83. Liv. 25, 24, 15.) *in castris* et *intra castra.* Sed conf. n. 18.

Sueton. Caes. 75. *quum — Afranius et Petreius deprehensos intra castra Iulianos subita poenitentia interfecissent.*

5. Aliquando visum est criticis *intra* etiam pro *inter* de regione dici. Vnde apud Livium 1, 26, 11. *vel extra pomoerium, modo intra sepulcra Curiatiorum.* quod esset ex hac sententia in regione sepulcrorum. Et possent ea, quae modo n. 3. attuli, comparari. At optimi libri habent *inter sepulcra.*

6. Supra iam dixi conferri cum *intra* saepe posse *cis*, *citra*, aut pro eo *intra* positum putari. Hoc fit in rebus, quae interiectae determinant locum citeriorem et ulteriorem, veluti *intra ripam* pro *intra flumen,* vel oppositae ab una parte occludunt.

Kritzius ad Sallust. Iug. 18, 4. Walchium, ut videtur, sequutus notat rariorem, ut ait, usum, quo *intra* id significat, quod ad aliquam rem vergit tantum et accedit: atque exempla affert alius generis, de quo vide n. 10. Denique monet propinquitatem eius rei significari, quae intra aliam rem esse dicitur, ut *intra oceanum* non sit *in ipso oceano*, sed qui prope ab oceano absit. At non haec est potestas particulae. Non enim necesse est rem includi, sed tantum aliqua re terminari. Ita

fit, ut *intra oceanum* is locus dicatur, cuius terminus est oceanus, sive quem determinat mare.

Flor. 3, 10, 14. *tantum pavoris incussit intra ripam subito romana vis.* Quod 4, 12, 19. *ultra ulteriorem repulit ripam: citra praesidia constituit.* Vd. Duker. ad illum locum.

Liv. 25, 11, 7. *fossa ingens ducta et vallum intra eam erigitur: modicoque post intervallo murum etiam eadem regione addere parat.* Hoc non est, quod Walchius in Emendat. Liv. p. 134. et Kritzius declarant, ad fossam versus, ea parte, quae non multum abest ab fossa, sed citra eam: *diesseits des Grabens.*

7. Hae rationes transferuntur ad rerum non in oculos incurrentium terminos, in quibus aliquis se tenet aut versatur. Regio rerum agendarum et ambitus designatur per limites, ultra quos non progrediendum est.

Plin. Epist. 4, 17, 8. *paullisper se intra silentium tenuit.* Tacit. Ann. 12, 53. *asseveravit Claudius contentum honore Pallantem intra priorem paupertatem subsistere.*

Quintil. 2, 1, 2. *intra deliberativas iudicialesque materias.* 6, 3, 37. *intra haec enim est omnis vituperatio.* Curt. 10, 5, 32. *modus immodicarum cupiditatum, veneris intra naturale desiderium usus — ingentes profecto dotes erant.*

Ovid. Trist. 3, 4, 25. *et intra fortunam debet quisque manere suam.* i. e. non excedere sortem suam, non progredi ultra quam conditio fert.

Proprie coniunguntur verba *intra aliquid stare*, pro non excedere, coerceri. Tacit. Ann. 3, 72. *simul laudibus Seianum extulit, tamquam labore vigilantiaque eius tanta vis unum intra damnum stetisset.* 3, 75. *illi quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria.* Quintil. 10, 2, 8. *intra initium stetit.* Aliter tamen Seneca Epist. 97, 5.

8. Sed etiam de conditione, in qua aliquis versatur, aut secundum quam aliquis se gerit.

Horat. Art. p. 266. *tutus et intra spem veniae cautus.*

Suo modo haud probabili Silius 14, 465. *at princeps generis quanto maiora paravit intra pastorem sibi nomina.* pro: in vita pastorali, inter pastores.

9. Nec tantum is ita dicitur, qui se continet, sed is quoque, qui ne attingit quidem terminum rei. Hinc ambigua exsistit ratio. Saepe enim *intra* opponitur verbis *non ultra*, saepe idem significat.

Senec. Epist. 97, 5. *illius tibi noctem promitto, nec differo: intra comperendinationem fides promissi mei stabit.* i. e. citra dilationem in perendinum. Paulus in Dig. 17, 1, 5, 5. *utroque enim casu aut non ultra pretium, aut intra pretium fecisti.* Sed Vopiscus Tacit. 11. *ipse fuit vitae parcissimae, ita ut sextarium vini tota die numquam potaverit, saepe intra heminam.* i. e. non ultra heminam.

Liv. 37, 53, 7. *in aliis rebus cessisse intra finem iuris mei cuilibet videri malim, quam nimis pertinaciter in obtinendo eo tetendisse.* Gronovius Eumenem putabat dixisse, se minus, quam deberetur, petiturum. Ego vero *intra finem iuris mei* significare arbitror: *in iure meo*, quod opponitur benevolentiae et honoris studio.

10. Quoniam is, qui intra terminos se tenet, non modo non excedit eos, sed ne attingit quidem et procul est ab iis remotus, *intra modum*, *intra legem* Latini veteres dicunt de eo, qui minus praestat aut agit, quam modus permittit, ideoque infra modum se gerit. Id recentiori tempore ad qualescumque notiones est translatum, et dicebatur *intra aliquam rem esse* pro eam non attingere, *intra famam* de eo, qui non adeptus erat famam, et *intra centum* de numero non expleto. Vide Manut. ad Cic. Epist. 4, 4. Gronov. ad Senec. Med. 520. et in Observ. 1, 10. Freinshem. Ind. Flor. s. h. v. Broukhus. ad Propert. 3. 7, 2. Burm. ad Ovid. Trist. 3, 4, 25. Oudendorp. ad Sil. Ital. 15, 107. et ad Apulei. Tom. 2. p. 16. Sed hi critici quum statuissent *intra* significare *minus*, diversa miscuerunt et multis locis interpretationem adhibuerunt, quam Bentleius febriculosam appellat. Is enim unus restrinxit observationem criticorum.

Cic. ad Fam. 4, 4, 14. *modice hoc faciam aut etiam intra modum.* 9, 26, 9. *epulamur una non modo non contra legem, si ulla nunc lex est, sed etiam intra legem et quidem aliquanto.* De his Gellius 12, 13. *modice dixerat, id est cum modo aequo et pari: deinde, quasi hoc displiceret et corrigere id vellet, addit aut etiam intra modum: per quod ostendit minus sese id facturum esse, quam quod fieri modice videretur: id est, non ad ipsum modum, sed retro paullulum et citra modum.* Passeratius, quum omnia intra modum facienda essent, mutandum *intra* in *infra* existimabat. Sed refutavit eum Gronovius in Observ. 1, 10. et Ciceronis verba explicuit ita: tantum abest, ut legem transgrediamur et limites, quos illa definivit, ut

etiam multo arctiore ambitu convivii nostri frugalitas stringatur, quam lex signaverit. Quintil. 11, 3, 45. *vitemus igitur —, ne dicamus omnia clamose, quod insanum est, aut intra loquendi modum, quod motu carel.* 3, 1, 1. *intra quem modum plerique scriptores artium constiterunt* ubi Gesnerus.

Liv. 37, 53, 7. *in aliis rebus cessisse intra finem iuris mei cuilibet videri malim, quam nimis pertinaciter in obtinendo eo tetendisse.* Propert. 3, 9, (7) 2. *intra fortunam qui cupis esse tuam.* i. e. qui non cupis excedere fortunae limites, modestiorem te geris, quam per fortunam liceret.

Servius ad Virgil. Aen. 5, 409. *ergo senior non satis senex: sicut iuvenior non satis iuvenis, intra iuvenem: sicut pauperior intra pauperem. Dicit autem hoc Varro in libris ad Ciceronem.* In quibus quae ipsa sint Varronis verba, non liquet.

Florus 1, 3, 5. *abstulit virtus parricidam: et facinus intra gloriam fuit.* Inepte hoc Dacierius accepit pro *sine gloria*, a Bentleio iure reprehensus. Bentleius interpretatur: facinus non excessit gloriam, obruebatur et exstinguebatur a gloria. Sed distinguere debebat usum posterioris latinitatis. Quare intellige: facinus non attigit gloriam, neque ei nocuit. Walchius in not. ad Tacit. Agr. p. 109. obscuritate laborat. 4, 11, 9. *regina ad pedes Caesaris provoluta tentavit oculos ducis. Frustra: nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit.* i. e. non attigit, turbare non potuit pudicitiam principis. Sed assentior Grutero, quum in codd. magna sit ambiguitas lectionis: *principi*, *Caesaris*, nec bene dicatur *pudicitia* de viro. Omitte nomen *principis*, et habebis sententiam hanc: pulchritudinem Cleopatrae caruisse pudicitia. Ne tamen quis comparet cum his Senec. de Benef. 6, 32, 1. ubi olim legebatur, *Augustus filiam infra pudicitiae maledictum impudicam relegavit*, moneo meliores libros ibi praebere: *ultra imp. mal.* Quintil. 11, 3, 8. de Hortensio: *eius scripta tantum intra famam sunt.* i. e. famam non adepta sunt.

Senec. Med. 520. *fortuna semper omnis intra me stetit.* Hoc esse dicunt: fortuna semper me fuit minor. Nec tamen differt sententia apud Ovid. Met. 7, 55. *maximus intra me deus est.* Atqui Medea, in me ipsa, inquit, semper fortunae meae potestas erat posita, ego fui semper fortunae meae auctor. Operam perdidit Drakenborchius apud Sil. Ital. 15, 107. in defendenda scriptura codicis puteani: *intra te cernes hominum genus.* In Apuleii Florid. 1, 4. p. 382, 8. bene restituerunt codd. scripturam: *haec omnia inquit blandimenta nequaquam virtuti decora, sed luxuriae accommodata, intra corporis sui qualitatem*

prae se maximam speciem ostentare. Sed male explicant: minora qualitate corporis sui. Est enim intelligendum, in tali corporis sui conditione. Nec credemus Burmanno, apud Vellei. Pat. 2, 127. *intra* pro *infra* esse scribendum.

11. Res interdum intelliguntur, in quibus solis agendis aliquis versatur, aut quas solas aliquis adhibet, exclusis aliis.

Curt. 7, 1, 25. *utinam Philotas quoque intra verba peccasset.* i. e. non rebus agendis. Cels. 3, 18. *intra verba desipiunt.* i. e. non manu.

Cels. 3, 24. *altero triduo validiores cibos et carnis quoque aliquid esse intraque aquam manere.* i. e. non vino uti.

12. *Intra se*, quum de animo quasi interno et de pectore dicatur, eamdem significationem habet atque *in se* de cogitatione et meditatione, de iis quae in pectore aut in corpore sunt vel aguntur. Alia ratione translata dicitur *intra se* de patria.

Plin. Hist. n. 10, 42, 59. *meditantesque intra semet, cura atque cogitatione intentionem non occultant.* Quintil. 10, 6, 2. de cogitatione: *neque vero rerum ordinem modo, quod ipsum satis erat, intra se ipsa disponit, sed verba etiam copulat.* 2, 7, 3. *semper habebunt intra se, quod imitentur.* i. e. in animo suo.

Quintil. 10, 7, 25. de silentio: *dum tamen quasi dicat intra se ipsum.* i. e. intra pectus. Plin. Hist. n. 9, 51, 75. de torpedine: *eaque intra se parit ova praemollia, in alium locum uteri transferens atque ibi excludens.*

Quintil. 11, 3, 2. *neque tam refert, qualia sint, quae intra nosmet ipsos composuimus, quam quo modo efferantur.* Plin. Epist. 3, 10, 4. *simplicius et amicius mihi visum est, omnia, praecipue quum affirmetis, intra vos futura, donec placeat emittere.* i. e. apud vos retenta.

Plin. Hist. n. 12, 21, 45. *quae intra se consumunt Arabes.* i. e. in suis terris.

13. *Intra haec esse* Plinius et fortasse alii istius aetatis scriptores dixerunt pro *in his contineri, non alia esse.*

Plin. Hist. n. 31, 7, 39. *in totum sponte nascens* (sal) *intra haec est.* i. e. haec sunt nativi salis genera omnia.

De tempore idem Plinius 18, 29, 69, 5. *intra haec constat coelestis sterilitas.*

14. Pervenimus ad tempus, cuius nominibus quum *intra* additur, termino designatur, in quo tempore aliquid fiat vel factum sit, aut quem terminum temporis res agenda non excedat. Intelligi potest: non exacto hoc tempore, non ultra excurrente. Quando vero tempus generaliter nominatur, veluti iuventas, annus, significamus universum spatium, in quo res aliqua locum invenerit, aut quod totum res impleverit, modo ne perpetuitas temporis ipsa intelligatur, sed terminus extremus, quem res attigit. Quare dicitur et *intra vicesimum diem* et *intra viginti dies* de spatio viginti dierum. Vid. Burmann. in Misc. Observ. T. 8. p. 404. Et opponitur non solum tempus posterius, sed etiam anterius.

Gellius quum dubius, utrum verbis *intra calendas* ipsae quoque calendae significari possent, an tantum tempus ante calendas, Apollinarem Sulpicium percunctatus esset, hic prudenter respondit, de hac re adeundos esse iuris peritos. Quae ipse explicationis caussa addidit, nimia subtilitate laborabant: *intra calendas* proprie olim significasse *in calendis*, *ipsis calendis*, sed consuetudine vulgari mutatum esse verbi usum, ut etiam tempus ante calendas notaret. Tamen Gellius perspexerat, omne tempus, quod calendarum die includeretur, recte dici *intra calendas* esse. An vero ipsarum calendarum dies hoc nomine comprehenderetur, inter iuris peritos magna erat quaestio. Et Ulpianus in Dig. 38, 9, 1. et 50, 16, 133. etiam ipsas calendas hoc nomine comprehendi affirmat.

Liv. 9, 34, 13. *intra vicesimum diem ingentibus rebus gestis dictatura se abdicarunt.* Quintil. 9, 2, 99. *raptor nisi intra trigesimum diem et raptae patrem et suum exoraverit, pereat.* i. e. ante trigesimum diem. Iustin. 12, 15, 1. *nam plerosque Aeacidarum intra trigesimum annum defunctos.*

Plaut. Curc. 4, 1, 77. *dimidiam partem nationum usque omnium subegit solus intra viginti dies.* Liv. 9, 34, 14. *nuper intra decem annos C. Maenius dictator, ut privatus obviam iret crimini, dictatura se abdicavit.* 34, 50, 3. *petiit ab iis, ut cives romanos conquisitos intra duos menses mitterent ad se.*

Sallust. Cat. 18, 3. *intra legitimos dies.* i. e. intra trinundini spatium. Liv. 9, 33, 5. *qui finiendae censurae intra legitimum tempus actionem susceperat.* 9, 29, 10. *omnes intra annum cum stirpe exstinctos.* Quintil. 11, 2, 50. *quem unum intra annum optime loquutum esse persice constat.* Frontin. Strateg. 2, 10, 1. *complura suorum corpora intra noctem sepelienda essent.* Hoc est

noch in der Nacht. ubi Schwebel. Plin. Hist. n. 36, 15, 24, 9. *intra praeturae suae tempus.*

Tacit. Ann. 2, 71. *iustus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus, liberis, patriae intra iuventam praematuro exitu raperent.* Gaius Instit. 2, 181. *etiamsi — intra pubertatem decesserit.*

Sueton. Vitell. 14. *exacerbatus, quod post edictum suum, quo iubebat intra cal. octobris urbe Italiaque mathematici excederent, statim libellus propositus est.* Plin. Hist. n. 16, 25, 42. *omnia et intra VIII idus Iulii, etesiarum praecursu.*

Traian. ad Plin. 10, 41, 2. *qui intra hos proximos decem annos damnati.* Opponuntur senes ante annos decem damnati.

Quo *inter* differat, dixi p. 404. Nec probari poterat scriptura olim vulgata in Caes. Bell. gall. 1, 36. *qui intra annos XIV tectum non subissent.* nam non tempus terminatum intelligitur: neque in Cic. Verr. 1. Act. 13, 37. *quae intra decem annos — facta sunt:* quod post Aldum est correctum.

15. *Intra paucos annos* sive *dies* recte dicitur, etiamsi discrimen nominis *inter* a Gronovio expositum constat. Nam in notione paucitatis inest finitio. Vtrumque igitur *intra paucos annos* et *inter paucos annos* sua ratione magis confirmatur, quam consensu librorum, qui ubique discrepant. Cf. Vorst. de Latin. falso susp. 21. p. 219.

Liv. 40, 49, 1. *centum tria oppida intra paucos dies in deditionem accepit.* 2, 8, 4. *intra paucos dies moritur.* Drakenborch. multa alia exempla ad h. l. attulit. 44, 19, 3. *id fore intra perpaucos dies.* Sueton. Claud. 17. *intra paucissimos dies.* ubi *inter* nec praestat, nec deterius videri potest.

16. *Intra — quam* componuntur, ut prius vocabulum terminum temporis indicet, alterum initium, a quo incipiat spatium designatum. Id explicari potest verbo *postquam.* Nam ratio eadem est atque in verbis *quinto die quam.*

Liv. 36, 10, 1. *intra decimum diem, quam Pheras venerat, Cranonem cepit.* 43, 9, 2. *milites duarum legionum romanarum intra dies sexaginta, quam in provinciam venit, dimisit.* Vid. Perizon. ad Liv. 41, 16, 8. Quintil. 1, 12, 9. *intra biennium, quam verba recte formare potuerunt — omnia fere loquuntur.* Sueton. Caes. 35. *intra quintum quam adfuerat diem.* Columell. 12, 23, 1. Senec. Cons. ad Helv. 2, 5.

Plin. Hist. n. 9, 55, 81. *huius villam intra quam modicum quadragies piscinae vendiderunt.* i. e. brevissimo tempore.

17. Cum numerorum nominibus iuncta haec praepositio aut ambitum numeri alicuius notat, aut significat numerum minorem sive non expletum: quod Germani per *unter* exprimunt.

Quintil. 1, 5, 30. *acuta intra numerum trium syllabarum continetur.*

Liv. 1, 43, 4. *secunda classis intra centum usque ad quinque et septuaginta millium censum instituta.* i. e. minus centum.

18. Haec omnia quietum rerum statum aut motum in aliquo loco adsignificant. Sed interdum etiam de rebus in aliquem locum promotis et de introeuntibus *intra* pro *in* adhibetur, nec tamen nominibus adiectis, nisi quae fines et locos conclusos indicant, cuius generis sunt aedes. Sic etiam verba redigendi, coercendi.

Plaut. Cist. 3, 18. *occludite aedes pessulis, repagulis, ubi hanc ego tetulero intra limen.* Truc. 2, 3, 39. *quae* (foves) *absorbent quidquid venit intra pessulos.* Truc. 1, 1, 22. *si semel amoris poculum accepit mere eoque intra pectus se penetravit potio, extemplo et ipsus periit et res et fides.* Virgil. Aen. 7, 168. *ille intra tecta vocari imperat.* Cic. p. Caec. 8, 22. *accessit propius, et iam ingrediens intra finem eius loci, quem oleae terminabant, impetum armati Antiochi — refugit.* Caes. B. gall. 1, 32. *qui intra fines suos Ariovistum recepissent.* 2, 4. Liv. 7, 11, 10. *recepisse se intra urbem.* ubi Drakenb. Liv. 7, 11, 7. *simul cum his intra portas compelluntur.* Cornel. Ages. 5. Curt. 8, 11, 1.

Plin. Hist. n. 5, 9, 10. *in totum autem revocatur intra ripas in Libra.* Lactant. 6, 19, 11. *quicumque igitur illos affectus intra fines suos redegerit* etc. Instit. 6, 20, 5. *deus idcirco virtutem dedit, ut — vinceret voluptatem eamque egredientem fines sibi datos intra praescriptum coerceret.*

Gronovius ad Liv. 35, 11, 10. differentiam verborum *inter praesidia* et *intra praesidia* in eo cognovit, quod illud de ingredientibus usurpatur, hoc cum verbo esse componitur, ideoque 24, 41, 9. restituit *inter bina castra — est ingressus.* Et profecto consentiunt codices in reliquis Livii locis. vide ad 38, 11, 4. 38, 48, 11. Tamen Cicero ad Cn. Magn. in Epist. ad Att. 8, 11, D. *neque eos solos arbitrabamur capi, qui in armatorum*

manus incidissent, sed eos nihilo minus, qui regionibus exclusi intra praesidia atque intra arma aliena venissent. ad Att. 1, 20. *neque sine nostris copiis intra alterius praesidia veniendum.*

19. Adverbii significatio non differt a praepositione: sed utuntur eo tantum scriptores post Augusti tempora. Est id quod *intus* et *introrsus*. Numquam est pro *intro* dictum.

Cels. 7, 15. *huius ea pars, quae intra, paullo longior esse debet quam quae extra.* 5, 28, 13. *si inciditur, viridis intra caro apparet.* Plin. Hist. n. 21, 17, 64. *intra seminat, velut animalia, quae in se pariunt.* Quintil. 1, 10, 43. *quadraginta per oram, intra centum erunt.* ubi Spalding. Columell. 12, 44, 7. Petron. 22, 2. *idem et tota intra forisque familia fecerat.* Sueton. Caes. 84.

Quintil. 11, 3, 98. *binos interim digitos distinguimus, sed non inserto pollice, paullum tamen inferioribus intra spectantibus, sed ne illis quidem tensis, qui supra sunt.* Est introrsus. Varro de Re r. 2, 7, 5. *genibus — introrsus spectantibus.* Germanice *einwärts gerichtete Finger.*

Bentleius restituendum censuit adverbium in Horat. Epist. 2, 1, 31. ubi vulgo legebatur: *nil intra est oleam, nihil extra est in nuce duri.* Et plurimi critici eum sequuti sunt. Offendebat Bentleius in eo, quod *intra* esset praepositio, *extra* autem adverbium. At Livius 31, 24. *intra eam extraque.* Cf. Cic. de Fin. 2, 68,

20. Praepositionem post nomen posuisse videtur unus Tacitus, fortasse ex imitatione poetarum.

Tacit. Ann. 3, 75. *quod praeturam intra stetit.* 4, 48. *lucem intra.*

*) Commutantur a librariis *intra* et *contra*. Vid. Sueton. Calig. 27. Quintil. 10, 7, 25. Drakenb. ad Liv. 10, 5, 11. et *inter*. Vd. Gronov. ad Liv. 21, 5, 16. Drakenb. ad 5, 27, 2. et ad Sil. Ital. 14, 465. Cf. p. 356. et *in*. Idem ad 7, 11, 10. 21, 3, 2. et *infra*. vd. p. 379.

INTRINSECVS.

1. Formatio nominis INTRINSECVS eadem est, quam in *extrinsecus* illustravimus. Significat proprie, ab interna parte sive ex interna parte. Sed huius significa-

tionis nulla exstant exempla. Communis usus *intrinsecus* de ipsa interna parte pro *intus* usurpavit. Nos *inwendig*, pro quo vulgus etiam loqui solet *von innen*.

Varro de Re r. 2, 11, 7. *eam* (pellem) *intrinsecus eadem re perinungunt.* Lucret. 6, 1146. *sudabant etiam fauces, intrinsecus atrae, sanguine.* Celsus 4, 1. *intrinsecus cavum, extrinsecus gibberum est.* vd. Tom. 2. p. 684. Columell. 8, 3, 6. 12, 44, 5. *intrinsecus et exterius.* De loco Cic. Tusc. 3, 14, 36. ubi critici *intrinsecus* substituerunt, loquutus sum Tom. 2. p. 683.

2. Differt quodam modo id, quod Suetonius Aug. 95. et Plinius Hist. nat. 11, 38, 73. de augurio Augusti iisdem fere verbis narrant. Ille, *immolanti*, inquit, *omnium victimarum iecinora replicata intrinsecus ab ima fibra paruerunt.* Est ad interiorem partem replicata, *einwärts gebogen*.

3. De barbaro vocabulo *intrinsece* vide Vorstium de Latin. merito susp. p. 166. Cellarii Curas poster. p. 322. et Antibarb. p. 68. Noltenii Lexic. p. 595.

INTRO.

Adverbium, quod ingressum in locum conclusum vel circumscriptum significaret, fecerunt Latini mutato *intra* in *intro*. Forma similis est dativo, ut in *porro*, *retro*. Ipsa particula autem tantum cum verbis collocatur sive seorsum apposita, sive una voce comprehensa, sive postposita. Antiquo enim iam tempore copulata verba *introducere*, *introire* et alia uni accentui submitti solebant. Proprie dicebatur de aedificiis, de oppidis, de castris: sed verba composita etiam de terris et de qualicumque loco.

Sosip. Charisius p. 86. *intro est in locum, intus in loco dicimus: ut etiam apud Graecos εἴσω, εἴσω καὶ ἔνδον, ideoque Lucilius ait: nam velut intro aliud longe esse atque intu' videmus. Sic et apud te longe alid est, neque idem valet ad te, intro nos vocat ad sese, tenet intus apud se.*

Plaut. Pseud. 2, 2, 59. *huc quidem hercle haud ibis intro.* Terent. Andr. 3, 2, 43. *immo abi intro.* Ad. 5, 3, 68. *i ergo intro.* Plaut. Capt. 3, 3, 12. *qui intro venit modo.*

Terent. Eun. 5, 6, 2. *senex intro ad nos venit errans.* Plaut. Truc. 3, 2, 19. *sequere intro me.* Most. 2, 2, 39. *in hasce aedes*

pedem nemo intro tetulit. Terent. Heaut. 2, 3, 36. *continuo hic se intro coniicit.* Ad. 2, 1, 27. Phorm. 5, 6, 39. *cum patre idem recipit se intro domum.*

Plaut. Merc. 2, 1, 20. *respondet — ad me domum intro ad uxorem ducturum meam.*

Terent. And. 1, 1, 1. *vos istaec intro auferte.* Hirt. B. Afr. 88. *ferrum intro clam in cubiculum tulit.*

Cic. Verr. 1, 26, 66. *cur ad nos filiam tuam non intro vocari iubes?* Liv. 10, 24, 18. *prius intro vocarentur ad suffragium tribus.* Nisi utroque loco coniunctum est scribendum: *introvocare*, uti etiam 10. 13, 11. *ut quaeque introvocata erat centuria.* Apud Cic. Verr. 5, 13, 34. non dubitabant critici scribere *introferri.*

Rara compositione Plaut. Truc. 4, 2, 36. *nam itidem hic ut Acheronti ratio accepti scribitur. Intro accipimus: quando acceptumst, non potest ferri foras.*

2. Quintilianus 1, 5, 50. *hoc amplius intro et intus loci adverbia: eo tamen intus et intro sum soloecismi sunt.* Hoc praeceptum e Lucilii Satyrarum libris deductum esse arbitrans, Spaldingius de veritate eius dubitabat. Cf. Donat. Art. gram. p. 1769. Pompeii Comment. artis Donati. p. 342. Quintilianum sequitur Vorstius de Latin. merito susp. 18. p. 166. Afferuntur tamen ab aliis exempla adverbii *intro* pro *intus* positi haud ambigua. Nihilo minus constat ratio et decretum grammaticorum: usus vero vulgaris a recta via discessit.

Cato de Re r. 157, 7. *uno verbo omnia sana faciet, intro quae dolitabant.* Hos Catonis libros ab aliena manu interpolatos ad nos pervenisse, non semel iam notavimus. Pallad. 1, 40, 2. *inclinata sit tamen stratura ad fornacem, ut si pilam miseris, intro stare non possit, sed ad fornacem recurrat.* Quo in scriptore talia non miramur.

INTRORSVM. INTROVERSVM.

Introversum et *introversus*, sicuti iam Tom. I. p. 241. expositum est, contrahuntur in *introrsum* et *introrsus.* Illas formas in quibusdam codicibus videmus servatas: an ab ipsis auctoribus scriptas, dubium est. Neque de formis *versum* et *versus* certum iudicium pronuntiari potest. Bentleius apud Horat. Epist. 1, 16, 45. eam

formam elegit, quae concinnitate sonorum commendabatur. In antiquissima inscriptione apud Orellium n. 4034. legitur INTROSVS. Sic etiam *retrosum* scripserunt. Vide Vel. Longum p. 2237. Vitiosum videtur INTRORVRSVS in inscriptione apud Gruter. 874, 5. apud Orellium 4354.

Participium boni scriptores non ita composuerunt, ut fecit Petronius 63, 7. *baro autem noster intro versus se proiecit in lectum.*

1. Significatio duplex est. Primum enim exprimit in aliquem locum versus, *einwärts.* Id fere idem est atque *intro.*

Tacit. Ann. 2, 25. *eo promptior Caesar pergit introrsus.* 6, 33. *pulso introrsus freto.* Plin. Hist. n. 2, 97, 100. *introrsus in Pontum numquam refluo mari.*

Liv. 10, 33, 3. *hostem introrsum in media castra accipiunt.* i. e. *sie liefsen den Feind herein ins Lager.* Senec. de Benef. 1, 14, 5. *quare si quis existimat nos, quum ista praecipimus, benignitatis fines introrsus referre et illi minus laxum limitem aperire, ne perperam monitiones nostras exaudiat.* cf. Gronov. Observ. 1, 10. extr.

2. De situ locorum et regionum dicitur, quae in terras recedunt, aut in interiorem partem terrae porriguntur.

Sallustius apud Serv. ad Virg. Aen. 5, 373. et ad v. 203. *igitur introrsus prima Asiae Bithynia est.* Plin. Hist. n. 4, 3, 4. *portus Chalacon, a quo I II. M. pass. introrsus liberum oppidum Delphi.* 4, 12, 26. *a Taphris per continentem introrsus tenent Anchetae.* 5, 9, 9. 6, 8, 8.

Tacit. Hist. 2, 81. *quantum introrsus in Pontum et Armenios patescit.*

3. De rebus vel ad interiorem partem inclinantibus, vel in se retorsis, vel ad interiora versis dicitur *spectare introrsus.*

Varro de Re r. 2, 7, 5. *genibus rotundis nec magnis nec introversus spectantibus.* idem est quod Quintil. *intra spectantes.* vide p. 440. Tacit. Hist. 5, 11. *muri per artem obliqui aut introrsus sinuati.*

Lucilius apud Non. 4, 441 et 4, 186. *quid sibi vult, quare fit, ut introversus et ad te spectent, atque ferant vestigia se omnia*

prorsus? Senec. Epist. 7, 9. *ecquid habes, cur placeas tibi, si is es, quem multi intelligunt? Introrsus bona tua spectent.* i. e. sint bona interna et a te tantum conspicienda.

4. Plurima exempla huius particulae non verba in se habent, quae motum vel directionem significant, sed *introrsus* pro *intus* dicitur. Sic Germani etiam formant *inwendig*. Atqui transimus ad illum usum per eas dictiones, in quibus interior pars notione inclinationis definitur. Ita inter se contingunt vocabula *einwärts*, *nach innen zu*, *inwendig*.

Caes. B. gall. 7, 23. *hae* (trabes) *revinciuntur introrsus et multo aggere vestiuntur.* Paullo post: *materia — introrsus revincta.* i. e. *nach innen zu.*

Caes. B. gall. 2, 18. *collis — infima apertus, ab superiore parte silvestris, ut non facile introrsus perspici posset.* Senec. de Tranq. an. 10, 5. *sed sciamus, omnia aeque levia esse, extrinsecus diversas facies habentia, introrsus pariter vana.*

Liv. 25, 21, 7. *nihil introrsus roboris ac virium esse, et quacumque impetum fecisset hostis, perrupturos.* Senec. de Vita beat. 3, 1. *foris nitent, introrsus misera sunt.* Horat. Sat. 2, 1, 64. *nitidus qua quisque per ora cederet, introrsum turpis.* Epist. 1, 16, 45.

INTVS.

Priscianum sequor, qui cum Gellio 12, 13. *intus* ex *in* natum esse dixit 14. p. 991. *quomodo autem inter et intra derivantur ab in, sic etiam intus et intro, quae sine dubio adverbia sunt etiam apud nos.* Gerh. Vossius autem mavult derivare ab ἐντός. Analogiae ratio haec est: syllaba *ter* exprimit directionem ad aliquem locum, Germanorum *hin*, ut *subter*, *inter*: *tus* autem motum indicat ab aliquo loco, germanicum *her*, ut *subtus*, *intus*, ita etiam inserta littera *i* adverbia in *itus* exeuntia, quae qualitatem alicunde prodeuntem significant: *humanitus* i. e. ex humanitatis parte, *publicitus*. Neque comprobari poterit opinio Lindemanni de Adverb. 4. p. 10. *intus* fuisse olim adiectivum, cuius superlativus esset *intimus*. Hoc enim vocabulum illi formationi debetur, qua *infimus* ex *infer* sive *inferus* factum est. Ipsa vero particulae *intus* origo et primitiva significatio nobis declarat, quomodo fieri potuerit, ut et motus e loco, et situs in loco, et adeo motus in locum uno vocabulo exprimeretur. Nam *intus* est id,

quod in aliquo loco ab altera parte ad alteram porrigitur (*innen her*, *innen hin* germanice dici potest), et rem cogitamus in aliquo loco expansam, sive ab illa sive ab hac parte eam persequimur, et quod in aliquo loco situm est, eum occupat et per eum quasi procedit. Sic Germani dicunt *inwärts* pro *innen*, et *von innen* pro *im Innern*.

I. 1. Ac primum *intus*, quod proprie est *innen her*, significat ab interiore parte, ex interiore parte, *von innen*. Hic usus antiquissimus posthac obsolevit. Quare exempla plurima adhuc exstant in comoediis Plauti et in aliorum poetarum carminibus. Plautus proprie usurpat de egredientibus et de rebus e domo proferendis, ita ut *intro* opponatur. Vd. Taubmann. ad Pers. 2, 4, 30. Interpretes quidam, inter quos nunc etiam Lindemannum video, ut vulgarem significationem teneant, *intus* cum substantivis coniungi iubent: veluti *intus pateram proferto foras* sit *pateram*, *quae intus est*. Aliter se habent exempla reliqua, et perspexit iam Acidalius.

Pompeius Comment. Donat. p. 342. *intus et foris geminam habent significationem de loco et in loco.*

Plaut. Epid. 3, 2, 43. CH. *Abeamus intro hinc ad me.* ST. *Atque aliquanto lubentius quam abs te sum egressus intus.* Cist. 3, 8. *dic me orare, ut aliquis intus prodeat propere ocius.* Mil. 4, 4, 33. *ubi ille exierit intus* etc. v. 60. Pers. 2, 4, 30. Cas. 2, 5, 43. Cf. Taubmann. ad Pers. loc.

Plaut. Most. 3, 1, 145. *evocato aliquem intus ad te.* Pseud. 2, 2, 10. *intus evocabo aliquem foras.* Varro apud Nonium 2, 259. *donec foras nos intus evallaverunt.* Plaut. Amph. 2, 2, 138. *intus pateram proferto foras.* Vd. Acidal. Divin. in Amph. 9. Bacch. 1, 1, 62. *ego tibi argentum iubeo iam intus efferri foras.* Mil. 2, 5, 49. *efer machaeram huc intus.*

Terent. Eun. 4, 6, 25. *obsera ostium intus*, *dum ego hinc transcurro ad forum.* i. e. *von innen.* Salmasius Plin. Exerc. p. 655. monstrat, *fores intus aperire* dici de eo, qui intus aut ostii aperturam proiiciat in exteriorem partem, aut ad se trahat et interius reducat.

Celsus composuit *intus eminere*, quemadmodum germanice *innen herausragen.* 8, 4. p. 519. *quidquid spinosum est et intus eminet*, *excidendum est.* Quod legitur 2, 8. *quae intus procedunt.* intelliguntur suppurationes inclusae et intus porrectae. cf. 7, 4, 4.

2. Longa est disputatio Pompeii grammatici p. 342. contra eos, qui, quum dubium videretur, an *intus exeo* significare posset *de loco*, dicendum existimaverant *deintus*. Demonstrat enim id non modo non necessarium, sed stultum esse, et omnem rationem verbis *venire, exire* constitui. Sed tamen usi sunt vocabulo *deintus* scriptores infimae aetatis. Vide Tom. 2. p. 227. cf. Cellar. Antibarb. p. 209.

II. 1. Altera significatio pertinet ad locum, ubi quid est. *Intus* igitur est *in*. Saepissime additur nomen loci cum praepositione *in*. Vbi non sequitur, interior rei pars intelligitur, ut sit *inwendig*. Sed proprie usurpatur de domo, et opponitur *foras* vel *foris*.

Plaut. Rud. 3, 3, 26. *istaec quid ara prodesse nobis plus potest, quam signum in fano hic intus Veneris?* Cic. de Fin. 3, 5, 18. *quae sunt intus in corpore.* Opponuntur membra externa. de Vniv. 10. *quia nondum omne animal in mundo intus inclusserat.* Celsus 5, 21. *si vero infans intus decessit* etc. i. e. in utero. Lucret. 2, 963. *quoniam dolor est, ubi materiai corpora — suis trepidant in sedibus intus.*

Plaut. Capt. 1, 2, 89. *ibo intro atque intus subducam ratiunculam.* Aul. 1, 2, 3. *redi nunc iam intro atque intus serva.* Terent. Ad. 4, 2, 30. *estne frater intus?* Hec. 4, 2, 6. *nam mi intus tuus pater narravit.* Cic. de Orat. 2, 68, 276. *illum intus esse.* uti antea *domi non esse.* p. Sulla 5, 17. *relictus intus, exspectatus foris.* Iuvenal. 3, 241. *obiter leget aut scribet vel dormiet intus.* Vide Heins. ad Ovid. Her. 21, 19. Cic. de Sen. 4, 12. *nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, sed intus domique praestantior.* Vna notio hic exprimitur duplici verbo fortius aut distinctius.

Liv. 43, 18, 9. *ne frumenti quidem aut ullius alterius rei copia intus erat.* i. e. in urbe. Cic. in Catil. 2, 5, 11. *domesticum bellum manet: intus insidiae sunt: intus inclusum periculum est: intus est hostis.* Plaut. Cas. Grex. *quod futurum est intus.* i. e. post scenam. Varro de Re r. 2, 2, 7. *primum providendum, ut totum annum recte pascantur intus et foris.* 3, 16, 5.

Ovid. Met. 11, 535. *aliis murum fodientibus extra, atque aliis murum — tenentibus intus.* Celsus 5, 21. Ovid. Met. 11, 533. *pars igitur tentabat adhuc invadere pinum, pars maris intus erat.*

Ovid. Met. 6, 655. *intus habes quod poscis.* i. e. in te, in stomacho tuo.

Plin. Hist. n. 10, 52, 74. *intus autem omne ovum volucrum bicolor.* 33, 1, 1. *metalla nunc ipsaeque opes et rerum pretia dicentur, tellurem intus exquirente cura multiplici modo.*

2. De regionibus interioribus usurpatur, quae a mari aut a finibus remotiores sunt.

Plin. Hist. n. 3, 4, 5. *in ora regio Sardonum intusque Consuaranorum.* Varro de Re r. 1, 7, 8. *in Gallia transalpina intus ad Rhenum quum exercitum ducerem, aliquot regiones accessi* etc.

3. Proprie dicitur de animo, qui corpori externo aut rebus externis opponitur, sed etiam absolute de animi sensu.

Cic. de Fin. 1, 13, 44. *nec hae* (cupiditates) *sese foris solum iactant, nec tantum in alios coeco impetu incurrunt: sed intus etiam in animis inclusae inter se dissident.* Plaut. Cist. 4, 2, 20. *et intus paveo et foris formido.* Nos ich zittere innen und aussen. Persius 3, 30. *ego te intus et in cute novi.* 3, 42. *intus pulleat infelix.* ubi Weberus explicat ἔνδοθεν, von innen heraus: sed est in intimo pectore. Senec. Epist. 80, 9. *intus te ipse considera.*

4. Apuleius cum genitivo coniunxit Met. 8. p. 215, 24. *intus aedium audito ruditu meo.*

5. Notandae sunt dictiones *intus agere equum* de breviore gyro, ad metam propius accedente: quam Torrentius ad Horat. Carm. 1, 1, 4. Lipsius ad Senec. de Tranq. an. 9. illustrarunt. Ovidius metaphorico sensu posuit Fast. 6, 586. et *intus canere*, quorum verborum usum enarrat Asconius ad Cic. in Verr. 1, 20, 53.

6. Cum ablativo poetae coniungere ausi sunt, adverbio tribuens vim praepositionis. Quod vero criticis quibusdam Livius 27, 11, 3. visus est scripsisse *intus cellam aedis Fortis Fortunae* pro *in cella*, abhorret ab omni ratione et usu. Cf. Heins. ad Vellei. Pat. 2, 25. Ea, quae Ruddimannus Tom. 2. p. 333. affert, accuratius sunt distinguenda.

Virgil. Aen. 7, 192. *tali intus templo divum patriaque Latinus sede sedens.* Lucret. 4, 1087. *cibus atque humor membris assumitur intus.* Gronovius ad Liv. 24, 10, 6. narrat se in inscriptionibus legisse *intus aedibus.* Apud Livium verba *in aede intus Sospitae Iunonis* non sunt mutanda. Neque in verbis 25, 11, 15.

quae sinu exiguo intus inclusae essent. pendet ablativus ex particula *intus:* quae Heinsii fuit opinio.

Verba Livii 27, 11, 3. sunt: *et Romae intus cellam aedis Fortis Fortunae de capite signum, quod in corona erat, in manus sponte sua prolapsum.* In codicibus etiam *intus in cellam, intus cella, intus in cella* legitur, in duobus *intra.* Quis vero dixit *cella aedis?* Quale erat illud signum, quod in corona dicitur fuisse? Certe scribendum est: *Romae intus in cella Fortis Fortunae.* h. e. in ipsa cella, in qua statua non turbabatur. Plaut. Mil. 2, 6, 55. *vide sitne istaec vostra intus domum.* At in codicibus non ita legitur, sed *domum vostram intus* vel *domum nostra intus.* Corrupta haec sanasse mihi videtur Lindemannus eiiciendo *domum.*

III. 1. Perventum est ad tertiam rationem, quae motum in aliquam locum complectitur, et *intus* pro *intro* accipi iubet. Id Lucilius et, qui eum sequutus esse videtur, Quintilianus soloecismi nomine reprobat. Vide p. 442. Donat. Art. gram. p. 1769. Et recte quidem. Nam qui ita loquuti sunt, ab legitimo usu discesserunt, et poetae fuerunt aut technici scriptores, aut eo tempore vixerunt, quo *intus*, pro *in* acceptum, etiam illam rationem admittebat. Sed Burmannus perspexisse sibi visus erat discrimen verborum. Ad Quintil. 1, 5. p. 64. plus enim, inquit, est *intus deducere* quam *intro:* hoc modo ad vestibulum vel limen domus notat, illud in interiorem partem, in cubiculum. Cf. Rudgers. Var. Lect. 6, 19. Io. Rhodii Lexic. Scribon. p. 398.

Afferuntur haec exempla antiquiora. Plaut. Cas. 5, 2, 7. *ubi intus hanc novam nuptam deduxi.* Sed codd. et edit. antiq. *intro.* quamquam Io. Rhodius narrat in cod. vaticano legi *intus.* Caes. B. civ. 3, 27. *quo simulatque intus est itum.* Etiam hic sat multi et optimi codd. praebent *intro.* Curt. 2, 2, 1. *iam ego revertar intus.* Camerarius in codd. palat. *intro* invenit. Caes. B. civ. 1, 87. *quascumque postea controversias inter se milites habuerunt, sua sponte ad Caesarem intus adierunt.* Nemo dubitabit Vossium verum restituisse *in ius adierunt.*

Lucret. 2, 711. *nam sua quoique cibis ex omnibus intus in artus corpora discedunt.* cf. 4, 1087. 6, 22. *tetro quasi conspurcare sapore omnia cernebat, quaequomque receperat intus.* Haec non necesse est accipiamus de introitu, sed intelligitur locus, ubi corpora discedunt et ubi vas receperat: *im Innern.*

Ovid. Met. 10, 456. *thalami iam limina tangit, iamque fores aperit, iam ducitur intus.*

Tacit. Hist. 1, 35. *non populus tantum et imperita plebs in plausus et immodica studia, sed equitum plerique ac senatorum, posito metu incauti, refractis palatii foribus ruere intus, ac se Galbae ostentare.* Acidalius *intro* scribendum putabat. Verba *in plausus et immodica studia* non constructione cohaerent cum verbo *ruere*, sed intelligendum est verbum continuata oratione absorptum. Activo sensu Lucret. 6, 727. *quom mare permotum ventis ruit intus arenam.*

Celsus 5, 28, 12. p. 332. *is* (calamus scriptorius) *ori fistulae aptandus, inspirandumque, ut ea medicamenta intus compellantur.* Paullo post *intus infundendum.* 8, 14. *calce aliquem super ipsum debere consistere et intus impellere.* 8, 16. *sive extra remansit, sive intus revertit.* 8, 20. *fistulam medicamento — illinere eamque intus dare.* Scribon. Larg. 121. *non enim patitur late fieri, nec intus vulnus converti, sed cito supprimit sanguinem et vulnus cogit coire.* In Querulo comoedia Plauti nomine edita 4, 3. *abi celeriter intus, Pantomale.* 3, 5. *intus ibant.*

Cum accusativo Scribon. 46. *iniicere autem intus narem aut nares cochleae vivae carnem per se.*

2. Directio exprimitur, ubi pro *introrsus* ponitur. Est *einwärts.*

Quintil. 11, 3, 99. *pollice intus inclinato.* Celsus 8, 4. p. 519. *imaque pars eius intus ad fracturam, cornua ad os integrum spectent.*

INVICEM.

Satis fecisse grammatici sibi visi sunt demonstrando, *invicem* esse *in vicem* et ob hanc caussam separata vocabula scribenda. Tamen in aliis multis verbis eiusdem generis non dubitabant adverbii formam agnoscere, veluti *admodum*, *imprimis.* Sed Burmannus in notis ad Nemes. Ecl. 4, 13. errorem castigavit imperitae plebis, quae haec vocabula in unam vocem contrahere soleret, sequutus, nisi fallor, Henr. Stephanum, qui eamdem opinionem primus professus erat in Schediasm. 4, 6. Neque aliter senserunt Drakenborchius ad Liv. 1, 10, 6. et Oudendorpius ad Caes. B. gall. 7, 85. Quod vero poetae sua licentia dixerunt *inque vicem*, huic argumento Burmannus alter ad Propert. 3, 23, 35. vim tribuit maiorem, quam par erat. Recentiores grammatici compositam formam praeferri debere existimarunt.

At ante omnia distinguenda erant diversa usus tempora. Nam antiquissimo aevo Latini dixerunt *vicem:* postea addiderunt *in* praepositionem et scripserunt *in vicem:* qua dictione usi sunt Caesar, non Cicero, nec antiquiores. Inde factum est adverbium, quod an prius uno vocabulo scribi coeptum sit, quam mutata esset significatio, non satis constat. Sed mutata significatione obsolevit antiquior consuetudo, et scriptores infimae aetatis nomen *invicem* substantivi instar cum praepositionibus coniunxerunt, velut *ab invicem*, *ad invicem.*

1. Primum igitur *vicem*, vel adiuncto genitivo, vel addito pronomine vel adiectivo, dicebatur graeco more, quo accusativus modum sive modalem rationem designat. Eiusdem generis sunt *magnam partem*, *cetera*, quae non ipsa pro ablativo ponuntur, sed id, quod alias praepositione significatur, simplici casu exprimunt, quamquam aliqua ex parte conveniunt cum ablativo. Cum nomine *vicis* comparari licet germanicum *statt*, atque *vicem* et *vice* significant *in loco alterius*, et ubi caussa intelligitur, quae in alterius loco nobis agentibus est data, *propter*, ut *tuam vicem* sit id quod *tua caussa.*

Plaut. Capt. 2, 3, 37. *ut eum redimat et remittat nostrum huc amborum vicem.* **ubi conf. Lindemann. Truc. 1, 2, 56.** *quae in nos illosque, ea omnia tibi dicis, Dinarche, et nostram et illorum vicem.* **Sallust. apud Nonium 9, 5.** *ceteri vicem pecorum obtruncabantur.* **Ita, non** *vice* **Sallustium scripsisse ipsum Nonii praeceptum docet. Liv. 44, 3, 5.** *corum vicem, quos paucos inter media praesidia hostium praemiserat, nuntius — occurrit.*

Plaut. Most. 5, 2, 24. *fac, ego ne metuam igitur et ut tu meam timeas vicem.* **Cic. ad Fam. 12, 23, 6.** *in qua tuam vicem saepe doleo.* **1, 9, 6.** *nostram vicem ultus est ipse sese.* **Vide Cortium ad 11, 19, 2. 4, 5, 4.** *an illius vicem doles.* **in Verr. 1, 44, 113.** *nos si alienam vicem pro nostra iniuria doleremus, vestigium istius in foro non esset relictum.* **Liv. 28, 19, 17.** *ab solicitis vicem imperatoris militibus.* **8, 35, 1.** *stupentes tribunos et suam iam vicem magis anxios quam eius, cui auxilium ab se petebatur, liberavit onere consensus populi romani.* **28, 43, 9. Vide alia apud Gronov. ad 1, 9, 15. ubi:** *quum suam vicem functus officio sit.*

2. Haec ex antiquissima consuetudine. Postea addiderunt *in* praepositionem, sive perspicuitatis caussa sive ob significationem diversam. Nam dicebatur non

solum *in vicem alicuius* pro in locum alicuius, sed non addito genitivo, de commutandis negotiis vel personis et de alternis rebus: quod Germani dicunt *zur Abwechselung*, *abwechselnd*. Forma dicendi eadem est in verbis *in modum*. Sed structura orationis quibusdam in locis adverbialem usum comprobare videtur, veluti in verbis *et invicem*, *atque invicem* apud Celsum et in compositione nominum absoluta apud Livium, de qua n. 3. dicam, et in aliis quibusdam. Tamen non repugnabo, si quis haec quoque ad antiquiorem scripturam retulerit, et formam vocabuli non nisi cum significatione mutatam esse statuerit: immo utramque scripturam in usu fuisse puto.

Liv. 3, 18, 9. *ipse in locum vicemque consulis provolat.* 31, 11, 3. *missis in vicem earum quinque millibus sociorum.* ubi Gronovius ex antiquiore usu delendum putabat *in*. Sueton. Claud. 7. *praeseditque non raro spectaculis in Caii vicem.* Celsus 4, 6. *in vicem eius* (vini) *cremor ptisanae sumendus est.* i. e. alternis. Plin. Hist. n. 33, 8, 41. Alia vide apud Oudendorp. ad Apuleii Met. p. 171.

Columell. 4, 25, 2. *alia submovenda — eorumque in vicem idonea reponenda.*

Columell. 5, 6, 1. *primam quamque senio aut tempestate afflictam submoveat et in vicem novellam sobolem substituat.*

Caes. B. gall. 4, 1. *hi rursus in vicem anno post in armis sunt: illi domi remanent.* i. e. alio anno hi, alio illi. 8, 19. *quum dispositis turmis in vicem rari proeliarentur.* i. e. modo haec, modo illa turma, non conferta acie, pugnabat. B. civ. 3, 99. *ex castris sibi legiones alias occurrere et eas, quas secum duxerat, in vicem requiescere — iussit.* Hirt. B. afr. 70. *equitatu suo propter equorum interitum extremo agmine remoto, legiones invicem ad extremum agmen evocabat.* Liv. 1, 40, 6. *primo uterque vociferari et certatim alter alteri obstrepere: coerciti ab lictore et iussi in vicem dicere, tandem obloqui desistunt.* ubi Rhenan. et Drakenb. 32, 32, 13. 2, 57, 2. *quum timor atque ira in vicem sententias variassent.* Celsus 6, 8. *eique, dum teritur, invicem vinum et oleum myrteum adiicit.* Liv. 29, 1, 23. *servitum ad eam diem aut Carthaginiensibus aut Romanis: nec in vicem his aut illis, sed interdum utrisque simul.*

Celsus 2, 17. p. 95. *idem et in altero fit, deinde invicem in utroque.*

Virgil. Ge. 4, 166. *inque vicem speculantur aquas et nubila coeli.* Ovid. Met. 9, 525. *inque vicem sumptas positasque resumit* (tabellas). Nemes. Ecl. 4, 13. *inque vicem dulces cantu dixere querelas.*

Horat. Carm. 3, 28, 9. *nos cantabimus invicem Neptunum et virides Nereidum comas.* i. e. alternatim. Alii codd. *in vices*, quod gravitate sua displicet: nam aurium iudicium, ad quod Burmannus ad Propert. 3, 23, 35. provocat, irritum putabimus. Eadem varietas lectionis in Ovid. Met. 8, 474.

De verbis *ad vicem* vide Tom. 1. p. 133. ubi ne quis me reprehendat, quasi oblitus essem loci Cic. de Leg. 2, 19, 48. *nulla est enim persona, quae ad vicem eius, qui e vita emigraverit, propius accedat:* id moneo, *ad* pendere ex verbo *accedere*, nec comparari posse recentioris usus exempla.

3. Singularia videntur haec. Livius *in vicem* composuit cum nominibus, ut notio adiectivi exprimeretur. Celsus addit verba *modo — modo:* quo exsistit pleonasmus. Cicero numquam scripsit *in vicem*, nec Sallustius. Ceterum apud recentiores scriptores in dictionibus *et invicem*, *atque invicem* apparet adverbii composita forma.

Liv. 2, 44, 12. *multis in vicem casibus victos victoresque.* 32, 18, 11. *cohortes in vicem sub signis — emittebat.* 42, 54, 3. *multitudo Macedonum ad subeundum in vicem proelium haud difficulter succedebat.*

Celsus 6, 7, 1. *sic teritur, ut invicem modo rosa, modo passum instilletur.* 7, 7, 4. 1, 3. *invicem modo aqua, modo vinum bibendum est.* 3, 22. 4, 24. 2, 3. *bibenda aqua, postero die etiam vinum, deinde invicem alternis diebus modo aqua, modo vinum.*

Celsus 3, 23. *ubi tertio die cibus datus est, intermittere quartum et invicem alterum quemque.* 3, 3. *aliae quotidie pares sunt, aliae impares: atque invicem altero die leniores, altero vehementiores.*

Apud Cic. ad Att. 5, 10. legitur vulgo: *Xenonem tuum vel nostrum potius Quinto concesseram: et tamen propter vicinitatem totos dies simul eramus invicem.* Non consentiunt codices, quorum alii *iuncti*, alii *iunctim* praebent. Nec cognitum habebat Cicero adverbium, nec umquam dixisse videtur *in vicem*, quod ipsum ab hoc loco abhorret. *Iunctim* verum puto, sed a glossatore verbo *simul* adscriptum, ideoque nobis delendum.

4. Aliquantum etiam ea differunt, in quibus non tam mutatum negotium aut diversa persona respicitur,

quam tempus cogitatur, in quo alternat res saepius usurpata. Est id quod germanice dicimus *von Zeit zu Zeit*.

Caes. B. gall. 8, 29. *Dumnacus instruit aciem, quae suis esset equitibus in vicem praesidio.* ubi si reddis *abwechselnd*, inepta videtur sententia. 7, 85. *defatigatis in vicem integri succedunt.* Virgil. Geo. 3, 187. *atque haec iam primo depulsus ab ubere matris audeat, inque vicem det mollibus ora capistris.*

5. Accedo ad novum usum tempore Pliniorum et Taciti omnibus scriptoribus communem. Tum enim *invicem* adverbium eam rationem significabat, quam inter duas partes vicissim intercedere videmus non uno modo. Aut enim dicimus fieri aliquid mutuo, vel constare communi commercio, *wechselseitig*, aut vicissim ab una ad alteram partem reverti, *gegenseitig*, hoc est, fieri aliquid ab hoc, quum iam ab altero illo factum sit, aut duos facere aliquid inter se, *unter einander*. aut fieri aliquid ab adversa sive ab altera parte, *von der andern Seite*, *umgekehrt*, aut ab utraque parte, *von beiden Seiten*. Haec omnia Latini comprehendunt una notione alternae vicis, et quod antiquiores ad res personasve mutatas referebant, recentiores de mutuo commercio vitae et de mutua rerum vi et ratione dicebant. Quae singula nunc distinguere eorumque usum declarare nos oportet.

Atque primum *invicem* indicat mutuam actionem et id, in quo par pari, alter alteri respondet: quemadmodum in colloquiis et in iis rebus, quae non unius actione constant, sed mutua efficientia continentur. Alterum alterius est caussa.

Liv. 9, 3, 4. *his invicem sermonibus — nox traducta est.* 34, 33, 3. *his dictis invicem auditisque, nox prope diremit colloquium.*

Liv. 1, 22, 3. *forte evenit, ut agrestes Romani ex albano agro, Albani ex romano praedas invicem agerent.*

Sueton. Aug. 66. *exegit et ipse invicem ab amicis benivolentiam mutuam tam a defunctis quam a viris.* Torrentius ob additum nomen *mutuam* deleri iussit *invicem*: sine caussa. Plin. Pan. 62, 4. *demonstramus invicem, credimus invicem, quodque maximum amoris mutui signum est, eosdem amamus.* Plin. Epist. 3, 7, 15. ἀγαθὴ δ' ἔρις, *quum invicem se mutuis exhorta-*

tionibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt. Huc referri possunt exempla verborum *praestare invicem*, quae infra posui.

6. Differt ratio, qua aliquis ex sua parte agit, quod alter antea egit, aut idem facit, quod in se factum videt. Similia excipiuntur et respondent, nec cohaerent necessario caussarum nexu, sed vicissitudo posita est in aequalitate actionum. Quare quae ita dicuntur, poteris illa, quam antea exposui, ratione accipere, si consilium compensandi vel vicem reddendi cogitaveris.

Suetou. Aug. 63. *primum eum Antonio filio suo despondisse Iuliam: dein Cotisoni Getarum regi: quo tempore sibi quoque invicem filiam regis in matrimonium petisset.* Ovid. Her. 17, 180. *inque vicem tua me, te mea forma capit.* Tacit. Hist. 2, 47. *experti invicem sumus, ego ac fortuna.* ubi vd. Ernestium.

Tacit. Hist. 1, 74. *mox quasi rixantes stupra et flagitia invicem obiectavere, neuter falso.* Quintil. 11, 3, 168. *tales sunt illae inclinationes vocis, quas invicem Demosthenes atque Aeschines exprobrant.* 3, 10, 4. *litigatores idem crimen invicem intentant.*

Quintil. 1, 3, 11. *sunt etiam nonnulli acuendis puerorum ingeniis non inutiles lusus, quum positis invicem cuiusque generis quaestiunculis aemulantur.* i. e. ab altero alteri propositis.

Quintil. 10, 7, 29. *ac nescio, an utrumque — invicem prosit, ut scribendo dicamus diligentius, dicendo scribamus facilius.*

7. Quod antiquiores et elegantiores scriptores verbis *inter*, *inter se* expresserant, posteriores dicebant *invicem*, veluti *invicem diligere, invicem litigare, invicem pugnare, invicem differre.* Saepe etiam adduntur verba *inter se.* *Esse aliquid invicem* significat *einander etwas seyn.* Et aliae sunt notandae dictiones, in quibus *invicem* reddi debet *einander*, quum idem alter alteri fecisse dicitur.

Plin. Epist. 7, 20, 7. *quae omnia huc spectant, ut invicem ardentius diligamus.* cf. 4, 1, 2. Lucan. 1, 61. *inque vicem gens omnis amet.* Plin. Hist. n. 36, 15, 24, 8. de Scauri theatris: *in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter sese aversis, ne invicem obstreperent scenae.* 4, 5, 13. *haec invicem obstare.* 8, 5, 26. 12, 10, 46. *si non crebra haec lumina et continua fucrint et invicem offecerint.* Tacit. Ann. 14, 17. *oppi-*

dana lascivia invicem incessentes. Quintil. 5, 13, 33. *at haec Cicero pugnare invicem ostendit.* Tacit. Hist. 3, 46. *ubi flagrare Italiam bello, cuncta invicem hostilia accepere — utraque Danubii ripa potiebantur.* i. e. *alles unter einander feindselig.*

Quintil. 8, 5, 27. *quum illa rotunda et undique circumcisa insistere invicem nequeant.* i. e. *inter se necti.* 12, 10, 1. *plurimum tamen invicem differunt.* 1, 4, 16. *quid O atque V permutatae invicem?* Boeth. de Consolat. phil. 2, 12. *sed visne rationes ipsas invicem collidamus?*

Liv. 41, 3, 3. *mox etiam pugna cum vulneribus et caede invicem militum nautarumque oritur.*

Plin. Hist. n. 17, 24, 37, 10. *necant invicem inter sese umbra vel densitate atque alimenti rapina.*

Plin. Pan. 83, 6. *idem estis invicem, quod fuistis.* Quintil. 12, 7, 10. *qui si nihil invicem praestent, indigni fuerint defensione.* Plin. Pan. 6, 4.

Plin. Hist. n. 10, 74, 95. *dissident olores et aquilae — noctu invicem ova exquirentes.* Tacit. Agr. 37. *rari et vitabundi invicem longinqua atque avia petivere.* i. e. *einander ausweichend.* Quintil. 9, 4, 129. *qui manibus invicem apprehensis gradum firmant.* 7, 10, 17. *quae invicem complectantur.* Tacit. Ann. 13, 38. *commeantibus invicem nuntiis nihil in summam pacis proficiebatur.* Phaedr. 3, 7, 3. *salutantes invicem.* Laborat hic locus metri vitio, sed qui se interponi insserunt, aeque falsi sunt atque ii, qui in Plin. Pan. 51, 4. animo supplendum censent *sc.* Verba sunt: *Licebit ergo civibus tuis invicem contueri: dabitur non cubiculum principis, sed ipsum principem cernere.* Non assentior Heldio, qui in Program. a. 1824. Baruthi edito restituendum censuit pronomen *te.* Primum enim beneficium in eo positum erat, ut cives invicem inter se contuerentur, alterum maius, ut principem ipsum cernerent. Recte igitur Schaeferus reddidit *nun wird es deinen Bürgern vergönnt seyn, einander zu sehen.*

8. *Invicem* facimus id, quod a nostra parte alicui opponimus, aut quod ex nostra parte agimus. Hinc etiam de adversa parte dicitur *invicem fieri*, et de contraria re. Barbari dicebant *vice versa.*

Horat. Carm. 1, 25, 1. *parcius iunctas quatiunt fenestras ictibus crebris iuvenes protervi. — Invicem mocchos anus arrogantes flebis in solo levis angiportu.* Interpretes male haec explicuerunt. *Invicem* est ex altera tua parte.

Sueton. Caes. 11. *nec obtinuit* (provinciam) *adversante optima-*

tium factione: quorum auctoritatem ut quibus modis posset invicem deminueret, tropaea C. Marii — restituit. Tiber. 28. *si perseveraverit, invicem eum odero.* Quintil. 10, 7, 21. *contumeliosos in se ridet invicem eloquentia.*

Sueton. Aug. 10. *percussores ei subornavit. Hac fraude deprehensa periculum invicem metuens veteranos simul in suum ac reipublicae auxilium — contraxit.*

Stat. Theb. 7, 816. *ecce alte praeceps humus ore profundo dissilit, inque vicem timuerunt sidera et umbrae.*

Liv. 2, 12, 5. *non praedo nec populationum invicem ultor.* Quintil. 3, 10, 4. *sui similis erit petitionum invicem diversarum.* Haec differunt ab illis. Ibi dicimus *der erwiedernde Rächer*, hic vero *die gegenseitigen Forderungen*, quae a duobus postulantur eadem. Sueton. Tib. 76. *eo testamento heredes aequis partibus reliquit Caium ex Germanico et Tiberium ex Druso nepotes, substituitque invicem.* i. e. Caium Tiberio et Tiberium Caio. Plin. Hist. n. 10, 23, 32. *genitricum senectam invicem educant.* i. e. pulli nutriunt mutata vice senes ciconias, ut ipsi aliquando ab iis nutriti sunt. 10, 74, 95. *aesalon vocatur parva avis, — cuius pulli infestantur a vulpibus. Invicem haec catulos eius ipsamque vellit.*

Idem est quod *contra* apud Plin. Pan. 39, 1. *cavit, ut in sororis bonis frater et contra in fratris soror, utque avus, avia in neptis nepotisque et invicem illi servarentur immunes.* Huc refero Propert. 3, 25, 15 (23, 35.) *exclusa inque vicem fastus patiare superbos.* ubi Burmannus fallitur in iudicio de inepta scriptura *inque vices.*

Plin. Hist. 19, 10, 57. *ex semine brassicae veteris rapa fiunt atque invicem.* i. e. *und umgekehrt.* 28, 6, 17. *invicem diversa aure.*

9. Denique invicem fit, quod ab utraque parte respondendo fit aeque. Quare etiam usurpatur de rebus, quas aequaliter duo experti sunt, et de locis, quorum ex altero ad alterum idem est transitus.

Quintil. 4, 5, 21. *sic utraque res invicem iuvabit: eritque iudex circa ius nostrum spe modestiae attentior, circa modestiam iuris probatione proclivior.*

Tacit. Hist. 1, 65. *multae invicem clades.* 4, 37. cf. Livii locum p. 454. Est *auf beiden Seiten.* Daret. Phryg. de Excid. Troi. 21. *multa invicem millia Orco dimittuntur.*

Quintil. 5, 10, 79. *est invicem consequens et quod ex diversis idem ostendit.* Plin. Pan. 32, 2. *his alternis commeatibus orien-*

tem occidentemque connectit, ut, quae ubique feruntur quaeque expetuntur, omnes gentes invicem capiant. i. e. in utraque terra. Plin. Hist. n. 6, 1, 1. *alitum quippe cantus canumque latratus invicem audiuntur.* i. e. in utroque litore.

10. Ex iis, quae modo dixi, colligi potest, quomodo factum sit, ut *invicem* pro *ab altera parte, contra* in opponendis rebus et sententiis usurparetur. Redde *dagegen.*

Plin. Epist. 2, 11. 25. *habes res urbanas. invicem rusticas scribe.* 6, 7, 2. *gratum est, quod nos requiris, quod his fomentis acquiescis. Invicem ego epistolas tuas lectito.*

Liv. 28, 44, 14. *requiescat aliquando vexata tam diu Italia: uratur evasteturque invicem Africa.* 23, 28, 4. *quum decreta senatus mandataque exposuisset atque edidicisset ipse invicem, quemadmodum tractandum bellum in Hispania foret.*

Quintil. 8, 6, 13. *secantur haec in plures ut a rationali ad rationale et idem de irrationalibus, et haec invicem quibus similis ratio est et a toto et a partibus.* Plin. Hist. n. 32, 1, 3. ubi de venenifero lepore marino narratur: *in India affirmant non capi viventem: invicemque ibi hominem illi pro veneno esse.* 17, 4, 3. *cretam in Albensium Pompeianorum agro et argillam cunctis ad vineas generibus anteponunt, quamquam praepingues —. Invicem sabulum album in Ticinensi — infecundum est.* Petron. 12. *rusticus quidam — propius accessit ac diligentius considerare pallium coepit. Invicem Ascyllos iniecit contemplationem super humeros rustici emptoris.*

11. Scriptores infimae aetatis non modo *ad vicem* pro *instar* dixerunt, sed pessimo exemplo *invicem* pro substantivo positum composuerunt cum praepositionibus *ad* et *ab.* Vide Cellarii Antibarb. p. 209. Curas post. p. 290.

Veget. Art. veterin. 3 (2), 7, 3. *praeterea si hieme curaveris, farinam triticeam, si aestate, hordeaceam aquae frigidae ad invicem amuli permixtam in potione praebebis.* Augustin. de Trinit. 7. c. ult. *Ab invicem* Cyprian. Epist. 63, 8. Hieronym. Epist. 18.

INVSQVE.

Quod poetae latini inter praepositiones et nomina interponere olim solebant vocabulum *usque*, postea uno accentu comprehendebatur, et adverbia facta sunt *ab-*

usque et *adusque:* de quibus vide Tom. 1. p. 72. et p. 189. Lexicorum auctores etiam *inusque* huic generi annumerant, et Bernartius in Notis ad Statii Theb. 1, 440. eos reprehendit, qui haec vocabula separata scripserant. At quae exstant exempla, omnia ita sunt comparata, ut particula *usque* interposita, non coniuncta videri possit: quamquam eius sunt aetatis, in qua copulandorum vocabulorum consuetudo invaluit. Veteres scriptores *usque* post nomen collocabant, veluti Cic. de Nat. d. 2, 61, 153. *hominum ratio non in coelum usque penetravit.* aut dicebant *usque in.*

Stat. Theb. 1, 439. *neque enim meus audeat istas civis in usque manus.* **Avien. Ora Marit. 605.** *Setii iugum radice fusa in usque Taphrum pertinet.* ubi vide **Wernsdorf. 639.** *tanto enim fastigio in usque celsa nubium subducitur:* quae etiam **v. 508.** leguntur, sed mutato *in usque* in *ad usque.* **525.** *iugum celebandicum in usque falsam dorsa porrigit Thetim.* **Solinus Polyh. 54.** *dicendum hoc loco, quatenus ab Alexandria Aegypti pergatur in usque Indiam.* ubi **Salmasius p. 835.**

IO.

1. Interiectio IO, quam natura formavit, laetitiam exprimit exsultantium vehementiorem. Quare proprie usurpabatur in alloquutione deorum laetificorum Bacchi et Hymenaei et in triumphantium clamore.

Plaut. Pseud. 2, 4, 11. *io, io, io: te, te, te tyranne, te rogo.* **Tibull. 2, 5, 83.** *laurus, io, bona signa dedit: gaudete, coloni.* **Plin. Epist. 3, 9, 13.** *io, io, liber ad te venio.* **Sueton. Galb. 13.** *io, Onesimus e villa.*

Plaut. Cas. 4, 3, 3. *io hymen hymenaee! io hymen.* **Catull. 61, 124.** *io Hymen Hymenaee, io.*

Ovid. Art. am. 2, 1. *dicite io Paean et io bis dicite Paean.* ubi **Scholion apud Iahn. Martial. 11, 2, 5.** *io, Saturnalia.*

Horat. Carm. 4, 2, 49. *tuque dum procedis, io triumphe! non semel dicemus, io triumphe! civitas omnis.* **Tibull. 2, 5, 118.** Vide **Brisson. de Formulis 4, 33. p. 330.**

2. Tum hac exclamatione utitur, qui aliquem instantius vocat, aut ad aliquid agendum excitat aut admonet.

Virgil. Aen. 7, 400. *clamat: io matres, audite, ubi quaeque, latinae.* **Ovid. Met. 5, 625.** *et bis, io Arethusa! io Arethusa!*

vocavit. Ovid. Met. 4, 513. *io, comites, his retia tendite silvis.* Stat. Theb. 4, 677.

Ovid. Her. 5, 117. *graia iuvenca venit, quae te patriamque domumque perdat. Io, prohibe.* Tibull. 2, 4, 6. *uror: io remove, saeva puella, faces.* Vossius putat coniungenda esse verba *uror io:* quod falsum. Nec mutanda est interpunctio in Ovid. Art. am. 3, 742. *labor: io cara lumina conde manu.* Tibull. 1, 1, 23. *agna cadet vobis, quam circum rustica pubes clamet: io messes et bona vina date.*

3. Admiratio declaratur cum magna laetitia coniuncta aut cum alia animi commotione, praesertim in interrogationibus.

Martial. 8, 4, 1. *quantus, io, latias mundi conventus ad aras suscipit et solvit pro duce vota suo!* 5, 25, 3. *ecquis, io, revocat discedentemque reducit? Ecquis, io, largas pandit amicus opes?* Stat. Theb. 10, 889 (894.) *fulmen, io ubi fulmen?* Ovid. Met. 3, 442. *ecquis, io, silvae, crudelius, inquit, amores?* Sil. Ital. 5, 633. *quid deinde, quid, oro, restat, io, profugis?* Apud Plaut. Merc. 5, 2, 109. veteres editiones: *io quae insomnia!*

4. Etiam dolentium vox dicitur esse, et I. Henr. Vossius doloris indicium proprium tribuit huic particulae. At ea nusquam dolorem significat, et qui afferuntur loci, omnes aliter sunt explicandi. Scilicet Graeci ἰώ ad flebiles sensus declarandos adhibebant. Latinum usum iure negavit Dausqueius, et Drakenborchius ad Sil. Ital. 5, 634. media via incedit inquiens, invocantis esse etiam in re minime laeta.

Plaut. Truc. 1, 2, 21. *io, enicas me miserum, quisquis es.* Haec eo modo sunt dicta, quo Merc. 5, 2, 52. *enicas me miserum tua reticentia.* et Rud. 4, 3, 7. *enicas iam me odio, quisquis es.* Non dolor exprimitur, sed indignatio cum rei admiratione. Ovid. Fast. 4, 447. *illa quidem clamabat: io, carissima mater, auferor.* ubi nihil est quam vociferatio: non aliter atque apud Horat. Art. p. 459. *succurrite, longum clamet, io cives.* Ovid. Met. 3, 713. *mater, io geminae, clamavit, adeste sorores.* Sil. Ital. 4, 779. *clamat: io coniux quocumque in cardine mundi bella moves, huc signa refer.* Mera est exclamatio evocantis. De loco 5, 633. vd. n. 3. Apud Tibull. 2, 4, 6. diximus iam, quomodo coniungenda sint verba. Stat. Theb. 11, 390. *io patria, o regum incertissima tellus, nunc certe victoris eris.* Revocanda est librorum antiqua scriptura *et o patria.*

5. Communi usu poetae particulam *io* duabus syllabis et iambica mensura pronuntiabant. Nihilominus Catullus in Epithalamio *io hymen hymenaee io*, primae litterae consonantis potestate tributa. Vd. Dawesii Miscell. Crit. p. 33. Mutatio verborum, quae Achilli Statio placuit, non pertinet ad modum particulae. Sed Schraderus in Emendat. Praef. p. 45. et apud Catullum et apud Martialem monosyllabum corrigendum esse existimabat, quod et sincerum et paullo subtilius est distinguendum. Nam in istis formulis solemnibus hominum iubilantium particula proprie in unam syllabam contrahebatur, atque hoc de usu Martialis scripsit 11, 2, 5. *clamant ecce mei Io Saturnalia versus.*

ISTAC.

Non repetam ea, quae de *illac* p. 202. dicta sunt. Sed pertinent omnia etiam ad *istac*, cuius usus haud frequens fuisse videtur. Dicebant Latini *istac* ita, ut intelligi posset *ista via*. Nam non motus ad aliquem locum, sed per aliquem locum, *via* significatur, et quo *istac* ab *illac* differat, id si non usu oblitteratum est, notatur *proxima et recta via.*

Plaut. Epid. 5, 1, 53. *exi istac per hortum.* Pers. 3, 3, 39. *abi istac avorsis angiportis ad forum.* Trin. 2, 4, 127. *ibit istac aliquo in maxumam malam crucem latrocinatum.* Monstrat digito viam, quae in peregrinam terram ducit. Terent. Heaut. 3, 3, 27.

Legitur in Plauti Most. 4, 2, 72. *quid istac pultas, ubi nemo intus?* ut *istac* pro *istic* dictum putes. Sed antiqui libri *ista* et *ita* habent: unde Lambinus *quid istas pultas?* Certe significatio particulae *istac* non hoc exemplo mutatur, sed scribendum erit *ita.*

Videntur critici non male emendasse Plaut. Trin. 2, 2, 101 (109.) *verum ego quando te et amicitiam et gratiam in nostram domum video allicere, etsi adversatus tibi fui, istac iudico.* Antiqui libri *istaec.* Explicant: in istam partem, hoc est in tuam partem iudico. Est potius: isto modo, in istam sententiam tuam. Sed alterum exemplum desidero auctoritate veterum librorum stabilitum.

ISTACTENVS.

Quem ad modum *hactenus* dicebatur, ita etiam *istactenus*. Nam Plautus Bacch. 1, 2, 58. *istactenus tibi, Lyde, libertas data est.* Alia exempla non exstant.

ISTI. ISTIC.

1. De formatione huius particulae p. 203. exposui, quum de *illi*, *illic* erat dicendum. Nec differt significatio alia ratione, quam qua *istud* ab *illud* distinguimus. Est igitur *in isto loco*, *in quo tu es.* Nam nunc satis est a grammaticis explanatum, *iste* referri proprie ad eum, quem quis alloquitur. Vide Max. Schmidtii Comm. de Pronom. p. 50. Opponitur *hic*, nec video Ciceronem umquam discessisse ab hac primitiva ratione. Sed usu vulgari *istic* non differt ab *illic*. Saepe propiorem vel proximum locum indicat, ut sit fere id quod *hic*.

Plaut. Aul. 1, 1, 17. *istic adstato.* Cas. 3, 2, 16. *non ornatis istic apud vos nuptias?* Aul. 2. 5, 13. *iam principio in aedibus turba istic nulla tibi erit.* Cic. ad Fam. 7, 13, 4. *te istic invitum non esse vehementer gaudeo.* 14, 14, 4. *ad me scribite, et vos quid agatis, et quid istic agatur.* i. e. apud vos. Cic. p. Rosc. Am. 30, 84. *quoniam istic sedes.*

Cic. ad Fam. 6, 19 (18), 9. *prius hic te nos quam istic tu nos videbis.* ad Att. 3, 12. *intelligo te re istic prodesse, hic ne verbo quidem levare me posse.*

Plaut. Aul. 4, 2, 1. *tu modo cave cuiquam indicassis aurum meum esse istic, Fides.* Paullo post idem locus vocabulo *illic* designatur. Cist. 2, 3, 55. *quis istic habitat?* Rud. 4, 4, 38. *crepundia istic in ista cistula insunt, quae istic inest in vidulo,* Liv. 7, 40, 13. *T. Quincti, quocumque istic loco seu volens seu invitus constitisti, si dimicandum erit, tum tu in novissimos te recipito.*

Plaut. Cist. 4, 2, 86. HA. *Hic in proximo.* PH. *Istic quidem edepol mei viri habitat gener.* Bacch. 4, 6, 17. *nunc hasce tabellas ferre me iussit tibi: orabat, ut, quod istic esset scriptum, ut fieret.* 4, 9, 129. *mane istic: iam exeo ad te.* Terent. Andr. 5, 2, 8. *quod istic tibi negoti'st.* Eun. 5, 2, 70. Ad. 4, 5, 10. conf. cum v. 8.

2. Componitur cum *ubi*. Tum idem significat, quod *ibi*. Accedit tamen etiam localis distinctio.

Plaut. Rud. 2. 7, 14. *istic, ubi vis, condormisce.*

Cic. ad Fam. 1. 10, 2. *velim — et nos aliquando revisas, et ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare.*

3. Pronominibus personarum additur *istic*, quod saepe dubium est utrum pro adiectivo, an pro adverbio accipias. Nemo dubitabit in his Plaut. Rud. 3. 2. 36. *quis istic est qui deos tam parvi pendit?* Sed adverbialiter dicta sunt Amph. 2. 1. 25. *tu istic ubi bibisti?* Acidalius et hic et in Amph. 2. 2. 115. *tute istic* interpretatur *tu iste*. Nos *du da*. Curc. 2, 2, 27. *qui istic clamorem tollis.*

4. Etiam hoc vocabulum loci de rebus usurpatur. Est igitur *in ista re*. *Istic sum* metaphorice dicitur pro *adsum*, *id ago*, *ich bin da*, *dabei:* quemadmodum *ibi esse*. Vide p. 168.

Terent. Andr. 2, 5, 9. *neque istic neque alibi tibi usquam erit in me mora.*

Terent. Hec. 1. 2. 39. PA. *Ausculta.* PH. *Istic sum.* Cic. de Fin. 5. 26. 78. *istic sum, inquit, exspectoque, quid ad id, quod quaeram, respondeas.*

5. Quod de forma *illi* est supra expositum, ad *istic* etiam spectat. Plurima tamen exempla dubia sunt vel propterea, quod comici *illic* et *istic* brevibus syllabis duabus pronuntiant.

In Plauti Cas. 3, 2. 16. Bothius scripsit *illi*, quod non erat necessarium. Acidalius restituendum putabat in Mil. 2. 3, 66. *nempe tu isti ais esse herilem concubinam.* Sed Lindemannus iure servavit *illic*. In Rud. 4. 4. 34. ille vir doctus scribendum esse dixit: *sed isti inest cistellula.* Cf. Bothium ad Cas. 430. Virgil. Aen. 2, 661. *patet isti ianua leto.* Plurimi codd. *istic:* sed Pompeius Comment. Donati p. 341. *est et aliud isti ianua leto.*

6. Interrogationis formam comici usurpant *isticine*, sive, ut alii scribunt, *isticcine:* de qua vide p. 83.

Plaut. Rud. 1, 2. 22. *isticcine vos habitatis?*

ISTIM. ISTINC.

De forma et usu verborum ISTIM et ISTINC, ne eadem bis mihi dicenda sint, vide p. 211. Documenta, quae et comicos et alios scriptores *istim* scripsisse confirment, non tam multa in antiquis libris reperiuntur, quam quae *illim* comprobant, nec sine caussa dubitavit nuper Henrichsen ad Cic. de Orat. 3, 41. Tamen res ipsa non abhorret a veritatis specie.

Apud Cic. ad Att. 7, 21. codex medic. habet *istum*, quod esse debet *istim*, ut Lambinus vidit. In Epist. ad Att. 1, 14. ad Fam. 6, 20. 9, 18. ex antiquis libris restituit Lambinus, quem vide ad Epist. 6, 20. et in Omissis p. 565. et ad Epist. ad Att. 4, 13. In Epist. 11, 17. Malaspina revocavit. Cf. Graev. ad 2, 7. Muret. Var. Lect. 12, 11.

1. Significat *istinc* ex isto loco, ab isto loco: nec tantum de eo loco, quem alter obtinet, quocum aliquis loquitur, sed quicumque intelligitur locus ab eo, qui loquitur, remotus: *von dort*. Atque dicitur etiam de actione, quae ex aliquo loco monstrato exit.

Plaut. Mil. 2, 3, 71. *serva istas fores, ne tibi clam se subterducat istinc, atque huc transeat.* Cic. ad Fam. 1, 10, 2. *qui istinc veniunt.* i. e. e Cilicia, ubi Valerius versabatur. ad Att. 7, 21. *de malis nostris tu prius audis quam ego. Istim enim emanant.* ad Fam. 6, 20 (21), 7. *tu cura, ut valeas et te istim ne temere commoveas.* Liv. 7, 40, 10. *istinc signa canent, istinc clamor prius incipiet.*

Terent. Hec. 3, 2, 4. *iterum istinc excludere?* Plaut. Truc. 4, 3, 72. *filium istinc tuum te meliust repetere.* Rud. 5, 3, 6. *una istinc cistella excepta est modo cum crepundiis.* Cic. ad Att. 11, 17. *illum ab Alexandria discessisse nemo nuntiat, constatque ne profectum quidem illim quemquam post idus mart.*

Plaut. Capt. 3, 4, 71. *istinc loquere, si quid vis: procul tamen audiam.* Rud. 4, 4, 104. *istinc procul dicito.* Quae si cum illis comparaveris, fortasse scribendum existimabis *istinc loquere, si quid vis, procul: tamen audiam.*

Cic. ad Att. 1, 14. *nosti iam in hac materia sonitus nostros: tanti fuerunt, ut ego eo brevior sim, quod eos usque istim exauditos putem.* h. e. apud te in Epiro, *sie sind bis von dort aus gehört worden.* Virgil. Aen. 6, 389. *fare age, quid venias, iam istinc, et comprime gressum.* Wagnerus bene concepit verbo-

rum sententiam, sed non opus est post *venias* gravius interpungamus: immo nectenda sunt verba *fare iam istinc*, ne oratio salebrosa displiceat.

Plaut. Rud. 3, 5, 34. *vos respondetote istinc istarum vicem.*

2. Opponitur *hinc*, ut idem sit quod *illinc*.

Plaut. Rud. 3, 5, 28. *age alter istinc, alter hinc adsistite.*

3. Sed cum verbis abeundi coniunctum dicitur de ipso loco, ubi is, qui loquitur, stat. Idem fere est quod *hinc*.

Plaut. Poen. 3, 6, 1. *age tu progredere, ut testes videant te ire istinc foras.* 5, 5, 40. *ite istinc, servi, foras.* Pseud. 4, 7, 98. *non tu istinc abis?* Most. 3, 2, 164. Capt. 3, 4, 125. *ite istinc.* Ennius apud Cic. Tusc. 3, 12, 26. et de Orat. 3, 41, 164. *nolite, hospites, ad me adire: illico istinc, ne contagio mea bonis umbrave obsit.*

4. Locus est Plauti Merc. 5, 2, 71. quo demonstrari posse videtur, Latinos graeco more dixisse *istinc stare*, *hinc stare*. Sed quae ibi leguntur verba *optume adveniens puere cape chlamydem atque haec: istinc sta illico*. ea et metro laborant, nec in antiquis libris inveniuntur. Hi enim praebent *atque haec sine illico*. Vnde venerit *istinc sta*, non patet. Scribendum videtur *cape chlamydem atque haec: sta illico*.

Wernsdorfius in Annal. Ienens. 1818. n. 73. p. 126. *istinc* pro *istic* poni demonstrat loco Cic. Epist. ad Att. 1, 14. supra a nobis allato. At ratio ibi in verbo *exaudire* posita est.

5. De rebus, unde quid sumatur, *istinc* dicunt comici.

Plaut. Pseud. 4, 7, 68. *memento ergo dimidium istinc mihi de praeda dare.* Rud. 4, 4, 33. *equidem neque ego partem posco mihi istinc de istoc vidulo.*

ISTO. ISTOC.

1. De natura et forma verborum *isto* et *istoc* vide quae p. 214. et Tom. 2. p. 417. exposui. Idem significat *illoc*, dativi forma, quod *istuc* ex accusativo natum, directionem ad aliquem locum versus, sive ad aliquem locum monstratum. Primariam significationem, qua *iste* cum suis cognatis ad secundam personam spe-

ctat, expressam videmus apud Terent. Ad. 2, 1, 14. *accede illuc, Parmeno.* (hoc est, ubi Sannio stat.) *Nimium istoc abisti.* (i. e. ad alteram partem, ubi tu nunc stas.) *Hic propter hunc adsiste.* Sed haec proprietas non ubique apparet.

Plaut. Mil. 2, 5, 45. *do fidem, si omittis, isto me intro iturum, quo iubes.*

Cic. ad Fam. 9, 16, 22. *liceat modo isto venire.* i. e. Neapolim, ubi tu es. 10, 17, 4. 8, 15, 5. *peream, si minima caussa est properandi isto mihi.* Plin. Epist. 3, 6, 6.

Plaut. Truc. 4, 2, 6. *nec quemquem interim istoc ad vos, qui sit odio, intromittam.*

Ovid. Trist. 5, 1, 79. *cur scribam, docui. Cur mittam, quaeritis, istos: vobiscum cupio quolibet esse modo.* Interpretes intelligi putant libellos: tamen necessarium videtur *istoc*, ut Faber, aut *isto*, ut Heinsius coniecit, etiamsi oppositionis vim in verbis *scribere* et *mittere* agnoscamus.

Plin. Epist. 4, 12, 7. *si cognoverit factum suum isto usque penetrasse* etc.

2. Sicut *istuc* etiam *isto* de rebus et de genere rerum dicitur, cui aliquid vel adiiciatur vel annumeretur. Hoc est *dazu.*

Cic. ad Q. frat. 3, 1, 3. *Trebatium vero meum quod isto admisceas, nihil est.* i. e. istis hippodamis. Sed quod Pareus Plaut. Bacch. 3, 1, 15. huc refert, non quadrat: nam ibi *malum istoc* est pro *malum istud*, ut 4, 8, 29.

3. Ablativum *isto* et *istoc* comici pro *eo* usurpabant, sive ut caussam exprimerent, veluti Plaut. Rud. 4, 7, 8. *isto tu pauper es, quum nimis sancte pius:* sive ut cum comparativo coniungerent: Plaut. Amph. 1, 1, 222. (227.) *ergo istoc magis, quia caniloquus, vapulabis.* Epid. 1, 2, 8. *iam istoc probior es, — quum in amore temperes.*

ISTORSVM.

Illorsum, quod a Catone dictum esse narratur, non aliis poterat exemplis demonstrari: potest autem *istorsum*, quod est *istoc versum*, ad istum locum versus, in hanc partem.

Terent. Heaut. 3, 3, 27. *abi sane istuc, istorsum, quovis.* Phorm. 5, 1, 14. *concede hinc a foribus paullulum istorsum sodes.* ubi Donatus *nunc istorsum adverbium est loci: alias nomen.* quae quum sensu careant, Faernus *istoc* scribendum censuit, Bentleius ex antiq. edit. restituendum *nunc paullulum.*

ISTVC.

1. De forma vocabuli *istuc* confer p. 216. Significat *ad istum locum.* Qui accuratiorem delectum habere consuerunt, non dixisse videntur, nisi de loco, in quo alter commorabatur, quem quis alloquutus erat.

Pompeius Comm. Donat. p. 341. *sed ne forte dicas, quare ergo dicimus istuc? Sed illud per apocopen dicimus. Maiores enim nostri plenas habebant eloquutiones. Sic et istuc, quasi istuce.*

Plaut. As. 3, 3, 55. *interea, si videtur, concedite istuc.* Merc. 4, 1, 25. *ecastor vero istuc eo quantum potest.* Poen. 3, 1, 1. *iam istuc ego revortar.* Terent. Eun. 4, 4, 38. Cic. ad Fam. 7, 14, 3. *dabo operam, ut istuc veniam ante, quam plane ex animo tuo effluo.* Horat. Epist. 1, 14, 8. *istuc mens animusque fert.* i. e. in agrum, ubi tu es. Ovid. Her. 18, 205. *pace brevi nobis opus est, dum transferor istuc.* Alii codd. *isto*, alii *istoc*, alii *istac.* Quis verum exploret? Eadem varietas apud Sueton. Cal. 55. exstat.

Cavendum est, ne pronomini *istuc*, pro *istud* dicto, qua forma etiam Cicero utitur Brut. 5, 18., adverbii officium tribuamus. Critici haud semel falsa opinione lapsi sunt. Vnum Ernestium nomino in corrigendo Tacit. Ann. 1, 42.

2. Per metaphoram dicitur de rebus, ut *illuc* sit *ad eam rem.*

Terent. Heaut. 2, 3, 33. *post istuc veniam.* Ad. 5, 3, 35. *scio: istuc ibam.* i. e. de ea re loquuturus eram.

3. Vix pretium est commemorare sententiam Bothii, qui, quum in codice aliquo Plauti Aul. 1, 1, 17. *istuc adesto* invenisset, *istuc* pro *istic* dici arbitratus est, et quod nescio an magis ineptum videatur, comparavit dictionem *in mentem esse.*

ITA.

Plerique grammatici nunc consentiunt, *ita* natum esse ex pronominali *i.* Hoc componitur cum demon-

strativa syllaba *ta*, cui cognatae formae sunt *tus* (vide *igitur*), *tum*, *ti* (in *uti*), *tem* (in *item*). Nimirum opinionem illam vetustam, quam Henr. Stephanus defendit, *ita* esse graecum εἶτα, vix operae pretium est refutare: haec enim vocabula nec origine nec significatione inter se nectuntur. Ratio vero, quae inter *is* et *ita* intercedit, eadem est, quae inter οὗτος et οὕτως apparet.

Priscianus p. 1007. *ita* **retulit inter adverbia primitiva, quae nullam regulam ad similitudinem vel collationem aliorum possent accipere, idque confirmavit argumento syllabae correptae** *a*.

Significat *eo modo*, *eum in modum*, atque definiendus est modus aut adiecto relativo aut aliis verbis: quam formam grammatici correlativam appellant. Latini autem hanc notionem etiam similiter exprimunt vocabulo *sic*, quod quomodo ab *ita* differat, grammatici contraria opinione constituunt. Nam Herzogius ad Caes. B. gall. 4, 29. particulam *sic* logicam vocat, quae iudicium moderetur ita, ut indicet, quomodo rem cogitemus comparando, quod sit *in dem Grade*, *dergestalt: ita* autem obiectivum nominans refert ad res factas, ut sit *tali modo*, *hac ratione*. Haec ego aut non perspicio, aut in componendis modis omnia aequaliter redeunt ad iudicium. Sed Ramshornius in Grammat. p. 894. et in Synomym. T. 2. p. 114. contraria docet: *ita* referri ad cogitationem, *sic* ad rem ante oculos positam. Vterque suam sententiam adeo exemplis demonstrat, et ut ipsis visum est, aptis atque idoneis. Equidem non possum non ad originem respicere vocabulorum. Nam quum compertum habeamus, *sic* mutatam esse formam vocabuli *hic*, non dubium videbitur, *sic* et *ita* eo modo differre, quo *hic* et *is*. Illud igitur habet vim demonstrativam, significans *hoc modo*, *ita* autem ex relativa sua natura proprie requirit componendae alterius rei expositionem, quam praestant *uti*, *quomodo*, aliaque vocabula. Definit ergo rei modum ratione vel verbis expressa vel ex universa sententia collecta, ideoque vim etiam obtinet vel augendi vel restringendi. Ex his vero facile intelligitur, quo pacto fieri potuerit, ut particulae hae promiscuo usu commutarentur, et *ita* pro *sic* poneretur.

Poetae non curant subtilius illud discrimen. Hor. Art. p. 151.
atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet, primo ne medium,

medio ne discrepet imum. Hic *ita* et *sic* idem significant referuntque ad antecedentia, non ad *ne*, quod sequitur. *Und so erfindet er neu, so mischt er Wahres mit Erdichtetem, damit ein Ganzes erscheine.* Ipse Cicero, quam sententiam de Leg. 2, 2, 5. verbis *ut — ita* expresserat, eamdem iterum aliis rebus accommodat per verba *ut — sic.*

I. 1. *Ita* in comparatione duarum rerum earumque conditione altera in parte sententiae invenit vocabula, quae sibi respondeant, *uti*, *ut*, *sicut*, *prout*, *ut si*, *quomodo*, *quo pacto*, *quemadmodum*, quae omnia relativa sunt. Ordo sententiarum, quo *ita* aut in priore aut in altera parte collocatur, iisdem caussis constituitur, quibus relativorum constructio regitur. De iis disputavi in Doctrina latine scribendi p. 340. In verbis *ita ut* compositis interpunctio, ut in relativis enuntiationibus, interponi potest, ac saepe ob orationis structuram debet: sed viva oratione copulantur etiam, ut unum verbum esse videatur, quemadmodum *sicut* scribitur.

Plaut. Merc. 2, 1, 38. *non ita amo, ut sani solent homines.* Terent. Heaut. 4, 3, 24. *aperte ita, ut res sese habet, narrare.* Eun. 4, 2, 1, *ita ut fit.* Plaut. Cas. 2, 3, 18. *nempe ita uti tu mihi es* (lepos). Cic. Phil. 4, 4, 10. *ita vero, Quirites, ut precamini, eveniat.* ad Fam. 4, 6, 4. *turpe enim esse existimo me non ita ferre casum meum, ut tu — ferendum putas.* de Off. 1, 16, 51, *ut — haec ita teneantur, ut sit constitutum.* de Leg. 3, 1, 2. *ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus.* Cassius ad Cic. 12, 13, 11. *te volo bene sperare et rem publicam, ut vos istic expedistis, ita pro nostra parte celeriter nobis expediri posse confidere.* Cic. ad Fam. 2, 17, 7. *omnis enim pecunia ita tractatur, ut praeda, a praefectis.*

Liv. 24, 19, 7. *multa magnis ducibus sicut non aggredienda, ita semel aggressis non dimittenda esse.*

Cic. Phil. 5, 17, 46. *eiusque rationem — ita haberi, prout haberi lege liceret.*

Terent. Eun. 1, 2, 36. *coepit studiose omnia docere, educere, ita uti si esset filia.* Cic. de Orat. 1, 53, 230. *caussa ita dicitur, ut si in illa commenticia Platonis civitate res ageretur.* ad Fam. 13, 21, 4. *mihique molestissimis temporibus ita fideliter benevoleque praesto fuit, ut si a me manumissus esset.*

Plaut. Asin. 3, 1, 2. *an ita es animata, ut qui expers matris imperii sies?*

Cic. Agr. 2, 1, 3. *me consulem — ita fecistis, quomodo pauci*

nobiles in hac civitate consules facti sunt. Agr. 1, 8, 25. *quum mihi — constitutum sit, ita gerere consulatum, quo uno modo geri graviter et libere potest.* Quintil. 11, 1, 92.

Cic. de Inv. 2, 20, 61. *omnium fore perturbationem, si non ita res agantur et in iudicium veniant, quo pacto oporteat.*

Cic. ad Att. 13, 21. *quare facies, ut ita sit in libro, quemadmodum fuit.* ad Fam. 13, 4, 10. Brutus ad Cic. 11, 26, 3. *nisi ista omnia ita fiunt, quemadmodum scribo.* Liv. 6, 15, 4. Tacit. Ann. 3, 55. *rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur.* Quintil. 7. 3, 1.

2. Praeter haec etiam alia vocabula, quae comparationem efficiunt, componuntur: *quam*, *quasi*, *tamquam*, *veluti*, *atque*, *ac si* et relativa alia.

Propert. 2, 5, 10. *non ita carpathiae variant aquilonibus undae, — quam facile irati verbo mutantur amantes.* Lucret. 4, 1143. *nam vitare, plagas in Amoris ne iaciamur non ita difficile est, quam captum retibus ipsis exire.* Sed quod legitur apud Lucret. 2, 1037. *ita haec species miranda fuisset, quam tibi iam nemo, fessus satiate videndi, suspicere in coeli dignatur lucida templa.* id Orellius quidem explicuit: haec species aeque tum miranda fuisset, ac nemo nunc in coelum suspicere dignatur. Quo modo nemo loquitur. Nec probari poterit duplicis accusativi cum verbo *suspicere* coniungendi ratio, quam exposuit Forbigerus. Equidem sic compono verba: quam videndi satiate fessus nemo iam dignatur suspicere in templa coeli.

Plaut. Amph. Prol. 115. *sed ita assimilavit se, quasi Amphitruo siet.* Cic. ad Att. 7, 4. *de republica ita mecum loquutus est, quasi non dubium bellum haberemus.* ad Fam. 6, 1, 10. *non debemus ita cadere animis, quasi quid evenerit.* de Senect. 4, 12. 23, 82. p. Quint. 5, 18. *quasi domini nummos haberet, ita constituit Scapulis se daturum.* ad Att. 5, 18. *quasi coram adsis, ita cerno συμπάθειαν amoris tui.* Vlpian. in Dig. 29, 1, 1.

Cic. in Verr. 4, 22, 49. *neque enim ita se gessit in his rebus, tamquam rationem aliquando esset redditurus, sed prorsus ita, quasi — reus numquam esset futurus.* Pollio ad Cic. 10, 33, 8. *ita porro festinavit uterque confligere, tamquam nihil peius timerent, quam* etc. Liv. 8, 38, 2. *castra in hostico incuriose ita posita, tamquam procul abesset hostis.* Quintil. 7, 4, 42. Caius in Dig. 35, 2, 73, 1.

Iustin. 12, 2, 1. *porro Alexander, rex Epiri, in Italiam — ita cupide profectus fuerat, veluti in divisione orbis terrarum — sibi occidens sorte contigisset.*

Varro de Re r. 1, 38, 2. *ego arbitror praestare ex aviariis turdorum ac merularum, quod non solum ad agrum utile, sed etiam ad cibum ita bubus ac subus, ut fiant pingues.* Neque enim *ita* ad *ut* referri potest. Vlpian. in Dig. 29, 5, 1, 15. *quia commixta familia est et una domus est, ita vindicandum atque in propriis servis senatus censuit.*

Paullus in Dig. 5, 3, 36, 3. *quia praedo, si dolo desierit possidere, ita condemnatur, atque si possideret.*

Quintil. 1, 5, 67. *sane ita se habet sacrum, quale apud Homerum quoque est.*

3. Formula est facta *ita ut*, et dicitur pro *ut*, quemadmodum *sicuti* in unum vocabulum coniungere solemus. Hinc autem factum est, ut in vulgari sermone bis poneretur *ita* negligentia quadam.

Ita ut occoepi formula est comicis valde usitata, ubi redeunt ad rem vel antea commemoratam vel non satis expositam. Plaut. Poen. 2, 24. *ita ut occoepi dicere.* Rud. 4, 4, 21. et 75. Trin. 4, 2, 52. Saepe reddas: *wie gesagt.*

Caes. B. gall. 7, 76. *huius opera Commii, ita ut antea demonstravimus, fideli atque utili superioribus annis erat usus in Britannia Caesar.* Librarii quidam hac abundantia offensi omiserunt *ita.*

Cato de Re r. 144, 2. *scalae ita ut datae erunt, ita reddito.*

4. Verbis *ut* — *ita* nonnumquam duae res comparantur, in quibus non modo similitudinem qualitatis, sed eam aequalitatem intelligimus, quae in eo cernitur, quod utraque res aut plane eiusdem conditionis sive potestatis est, aut exsistit simul. Quare exprimitur sensus verborum *et* — *et*, *non modo* — *sed etiam.* Vbi *tam* — *quam* ponuntur, mensura adhibetur ad constituendam aequalem conditionem.

Cassius ad Cic. 12, 13, 10. *Dolabellam ut Tarsenses, pessimi socii, ita Laodiceni multo amentiores ultro arcessierunt.* Cic. de Off. 3, 13, 53. *ita expedire, ut turpe non sit.* ubi *ut* est *wie*, et sententia: expedire idemque turpe non esse. Acad. 2, 28, 89. *Hercules quum ut Eurystei filios, ita suos configebat sagittis* etc.

5. Ea, quae per *ut* — *ita* aequalia vel similia comparantur, possunt etiam conclusionis cuidam formae submitti. Nam ex alterius rei conditione alteram constituimus. Tum vero interdum vis affirmativa accedit

in particula *ita:* quae reddi debet *wie — so gewiſs.* Necesse tamen est *ita* in secundo membro locum habeat.

Locus est Ciceronis de Leg. 2, 2, 5. in quo nisi hanc explicationem adhibeas, elegantiam dicendi desiderabis. Ibi enim scribendum est: *Ut ille Cato, quum esset Tusculi natus, in populi romani civitatem susceptus est: ita, quum Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris.* Qui *ita* pro *itaque* acceperunt, aut hoc ipsum scripserunt, non animadverterunt, quam distracta et inconcinna esset oratio. Sed redde illa verba ita: *wie jener Cato, da er zu Tusculum geboren, in das römische Bürgerthum aufgenommen worden ist, so gewiſs hatte er, da er von Geburt ein Tusculer, dem Staate nach ein Römer war, ein zweifaches Vaterland der Heimath und des Rechts.*

6. Per *ut — ita* componuntur sententiae generales cum re singulari, quae modo in considerationem venit. In quo usu cum *ita* copulantur aliae particulae demonstrativae: *tum, nunc.*

Liv. 22, 8, 3. *ut in affecto corpore quamvis levis caussa magis quam valido gravior sentiretur, ita tum aegrae et affectae civitati quodcumque adversi inciderit, non rerum magnitudine, sed viribus extenuatis — aestimandum esse.*

7. Nihil obstat, quo minus contraria inter se comparentur. Tum vero particula *ita* non adversativam significationem habet, quam quidam grammatici ei tribuunt, sed oppositio fit per alia nomina orationis.

Liv. 3, 55, 15. *haec omnia ut invitis, ita non adversantibus patriciis transacta.* 21, 11, 5. *Saguntini ut a proeliis quietem habuerant, nec lacessentes, nec lacessiti per aliquot dies: ita non nocte, non die umquam cessaverant ab opere, ut novum murum — reficerent.*

8. In iis, quae per *ita ut* componuntur, apparet illud orationis genus, in quo contrariam notionem cogitatione supponimus. Cogitamus igitur *non aliter, nihil aliud.* Atque hoc modo describitur rei praesens ac simplex conditio, aut etiam res non ornata vel neglecta.

Sueton. Vit. 8. *ita ut erat, in veste domestica imperator est consalutatus.* i. e. *so wie er eben war.* Aug. 78. *post cibum meridianum, ita ut vestitus calciatusque erat, — conquiescebat.*

i. e. non mutata veste. Galb. 1. *aquila gallinam albam ramulum lauri rostro tenentem, ita ut rapuerat, demisit in gremium.* i. e. gallina ramulum lauri nondum dimiserat.

Sueton. Galb. 20. *iugulatus est ad lacum Curtii ac relictus ita, uti erat.*

9. Singulari modo Pomponius Mela usurpat hanc particulam, ut duas res vel in loco vel in tempore aequaliter procedentes componat. Cf. Perizon. in Miscell. Observ. T. 7. p. 170.

Pomp. Mel. 1, 4, 1. *utque inde procedit, ita, media praecipue, in iuga exsurgens pergit incurva ad occasum.* 1, 8, 1. *fons media nocte fervet —, fit luce frigidus: tunc ut sol surgit, ita subinde frigidior —: prima nocte calidus atque ut illa procedit, ita calidior.*

10. In illa vero oppositione verborum, quum *ita* et *ut* relativa sint, oratio obliqua in eum modum formari solet, ut alterum membrum non ex altero pendeat et coniunctivo exprimatur, sed utrumque membrum aequaliter infinitivum recipiat: de qua re Zumptius in Gramm. 603. et Wopkensius in Lect. Tull. p. 379. (284.).

Tacit. Hist. 1, 17. *honorificum id militibus fore, quorum favorem ut largitione et ambitu male acquiri, ita per bonas artes haud spernendum.* Ann. 1, 12. Lactant. de Ira Dei 5. *quod sequitur de schola Epicuri est, sicut iram in deo non esse, ita nec gratiam.* Minuç. Fel. 34, 8. *quis tam stultus aut brutus est, ut audeat repugnare, hominem a deo ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari?* ubi Wowerius coniecit scribendum esse *potuit fingi.*

11. Sed non solum qualitates conferuntur inter se, verum etiam consequens cum caussa. Potest enim aliquid esse aut fieri *ita*, *ut* aliud quid sit aut fiat. Quare post *ita* sequitur *ut* finale sive consecutivum, *ne*, *ut ne.* Significat autem *ita* vel *in eum modum*, vel *tantopere.* Saepe intelligi potest *ea conditione*, *ea ratione*, *eo consilio.* Cum adiectivis et adverbiis et cum verbis coniunctum idem valet quod *tam:* nam quod in *tam* refertur ad magnitudinem, in *ita* ad notionem qualitatis, quae etiam magnitudinem in se habet, confertur. His possunt ea, quae Kritzius ad Sallust. Cat. 14, 1. disputavit, reformari. Ceterum *ita*, quod ad nomen quoddam pertinet, in altera parte sententiae potest apponi et cum *ut* vel *ut ne* copulari.

Cic. ad Fam. 15, 14, 10. *hoc a te ita contendo, ut in eo fortunas meas positas putem.* i. e. hoc modo. ad Att. 5, 9. *hoc tibi ita mando, ut dubitem, an etiam te rogem* etc. ad Fam. 1, 2, 7. *ita sum cum illo loquutus, ut mihi viderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducere.* Ovid. Trist. 3, 6, 9. *nil ita celabas, ut non ego conscius essem.* Quintil. 9, 2, 74. *ita ergo fuit nobis agendum, ut iudices illud intelligerent factum.* Cic. de Orat. 1, 25, 115. *neque haec ita dico, ut ars aliquid limare non possit.* de Fin. 3, 7, 23. *membra nobis ita data sunt, ut ad quamdam rationem vivendi data esse apparcant.* de Amic. 1, 1. *ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam, sumpta virili toga, ut — a senis latere numquam discederem.* de Off. 2, 15, 55. *nec ita claudenda res est familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut pateat omnibus.*

Liv. 45, 25, 4. *Rhodiis responsum ita redditum est, ut nec hostes fierent, nec socii permanerent.* 1, 3, 5. *pax ita convenerat, ut Etruscis Latinisque fluvius Albula — finis esset.* i. e. ea conditione. Iustin. 11, 4, 10. *quam rem ita graviter tulit Alexander, ut secunda legatione denuo bellum deprecantibus ita demum remiserit, ut oratores et duces — sibi dedantur.* i. e. *ita — si.*

Terent. Heaut. 4, 5, 35. *ita tu istaec tua misceto, ne me admisceas.* Cic. ad Fam. 2, 19, 2. *verebar, ne id ita caderet, — ne ante quam tu in provinciam venisses, ego de provincia discederem.* Columell. 5, 5, 4. Plin. Hist. n. 17, 21, 35, 2. *hos ergo in surculis nodos — medios secare oportet, ita ne profluat medulla.* Quintil. 11, 3, 148.

Varro de Re r. 3, 16, 16. *easque alvos ita collocant in mutulis parietis, ut ne agitentur, neve inter se contingant.* Cic. ad Fam. 16, 9, 5. *sed tamen ita velim, ut ne quid properes.*

Cic. ad Fam. 14, 7, 2. *statim ita sum levatus, ut deus mihi aliquis medicinam fecisse videatur.* h. e. tantopere. de Leg. Man. 3, 8. *etenim adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriam reportarent.*

Cum adiectivis: Cic. de Fin. 4, 19, 54. *sed ita falsa sunt ea, quae consequuntur, ut illa, e quibus haec nata sunt, vera esse non possint.* de Nat. d. 1, 9, 23. *deinde quod ita multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant.* Horat. Sat. 1, 1, 96. *ita sordidus, ut se non umquam servo melius vestiret.*

Cic. ad Fam. 7, 26, 1. *quum quidem biduum ita ieiunus fuissem, ut ne aquam quidem gustarem.* 7, 1, 10. p. Rosc. Am. 20.

55. *verum tamen hoc ita est utile, ut ne plane illudamur ab accusatoribus.*

Cum adverbiis: Cic. ad Att. 13, 19. *absolvi nescio quam bene, sed ita accurate, ut nihil posset supra, academicam omnem quaestionem libris quatuor.* Quintil. 1, 4, 3.

Tacit. Ann. 4, 8. *ita nati estis, ut bona malaque vestra ad rem publicam pertineant.* i. e. eo loco. Cic. de Am. 5, 19. *sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas quaedam.* i. e. eo consilio. Cic. Brut. 83, 286. *isque se ita putat Atticum, ut veros illos prae se pene agrestes putet.*

Cic. de Harusp. resp. 7, 13. *ita est enim interpretatio illa pontificum, ut iidem potestatem habeant iudicum.* quod Wolfio non ciceronianum esse videbatur. vide II. 20.

Caes. B. gall. 1, 12. *flumen est Arar, quod — in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, iudicari non possit.* Quintil. 9, 4, 131.

12. Latinae linguae proprium est, ut id esse dicatur, quod tantum videatur esse. Qua ex caussa dicimus *ita — ut sit* pro *ita — ut videatur esse.* Quod ideo moneo, ne quis particulae tribuat vim, quae ad eam non attinet.

Horat. Sat. 1, 2, 19. *vix credere possis, quam sibi non sit amicus: ita ut pater ille, Terenti fabula quem miserum gnato vixisse fugato inducit, non se peius cruciaverit atque hic.*

13. Verba *ita fit, ut* non modo primitivo sensu dicuntur, sed etiam de consequutione pro *inde sequitur,* et ex aliena sententia pro *inde sequatur.* Negavit id Goerenzius in usu Ciceronis ad libr. de Fin. 2, 33, 108. sed temere. Demonstravit hanc rem accurate Wopkensius in Lect. Tull. p. 186 (133.). Cf. Ochsneri Eclog. p. 111. et p. 340. Heindorf. ad Cic. de Nat. d. 1, 31, 88. Giesius ad Cic. de Div. 1, 56, 126.

Cic. Tusc. 3, 1, 1. *ita fit, ut animus de se ipse tum iudicet, quum id ipsum, quo iudicatur, aegrotet.* de Off. 1, 28, 101. *ita fit, ut ratio praesit, appetitus obtemperet.* Cic. de Off. 1, 45, 160. *etenim cognitionem prudentiamque sequetur considerata actio: ita fit, ut agere considerate pluris sit, quam cogitare prudenter.* Saepe reddi potest verbis *οὕτω δή, folglich:* vide Cic. de Div. 1, 55, 126. de Leg. 1, 22, 58.

Cic. de Nat. d. 1, 14, 37. *ita fit, ut deus ille — nusquam prorsus appareat.* Quod velut absurdum ex sententia aliena

Velleius deducit. 1, 43, 121. *ita fit, ut non modo homines a diis, sed ipsi dii inter se ab aliis alii negligantur.* Tusc. 2, 6, 17. de Leg. 1, 15, 42.

14. Ex quo Schwartzius et Schellerus et Matthiae tradiderunt, *ita — ut* significare *quidem — sed*, nullum fere criticorum librum invenimus, in quo non idem aliis exemplis demonstratum sit, nec tamen, quomodo id fieri potuerit, quisquam exposuit. At hi viri omnes particulae tribuerunt, quod totis sententiis proprium erat, nec satis perspexerunt, grammaticam formam aliam esse, quam rem in illa receptam. Nimirum *ita*, quod nihil aliud significat, quam *in eum modum*, *eo modo*, potest etiam significare conditionem et terminum, quo continetur aut restringitur res, atque in his sententiis collatis simul constituitur, nihil ex hac parte impedire vel obstare, quin ex altera parte aliud exsistat, sed ipsa illa restricta conditione effici, ut hoc alterum fieri aut esse possit. Quare sequitur *ut* cum coniunctivo. Illud vero, quod restrictionem addit, non inest in ipsa particula, sed accedit ad eam ex rerum conditione, quarum altera suo ipsius modo alteram moderatur. Atqui in tali rerum comparatione aut adiicitur in secunda parte sententiae *tamen*, aut opponuntur certe sententiae diversae, quae inter se coercentur.

Cf. Matthiae ad Cic. p. Rosc. Am. 34, 95. p. Sull. 15, 42. Zumptii Grammat. 726. Beier. ad Cic. de Off. 1, 25, 88. p. 199. Beneck. ad Iustin. 37, 1, 8. ad Orat. de Imper. Pomp. 3, 8. p. 89. Sed in iis, quae illi afferunt, exemplis, non pauca sunt alienae rationis.

Cic. p. Leg. Man. 3, 8. *triumphavit L. Sulla, triumphavit L. Murena de Mithridate —: sed ita triumpharunt, ut ille pulsus superatusque regnaret.* i. e. in eum modum triumpharunt, ut nihilominus Mithridates regnaret. p. Tull. 6. *unum hoc abs te, L. Quinti, pervelim impetrare — ut ita tibi multum temporis sumas, ut his aliquid ad iudicandum relinquas.* p. Rosc. Am. 34, 95. *vereor enim, cuicuimodi es, Rosci, ne ita hunc videar voluisse servare, ut tibi omnino non pepercerim.* i. e. in eum modum, ea conditione. Div. in Caec. 13, 44. *cuius ego ingenium ita laudo, ut non pertimescam, ita probo, ut me ab eo delectari facilius, quam decipi putem posse.* in Catil. 4, 7, 15. *qui vobis ita summam ordinis consiliique concedunt, ut vobiscum de amore reipublicae certent.* p. Sull. 21, 61. *qui ita de ambulatione et de suffragiis suis cum colonis dissenserunt, ut idem de communi salute*

sentirent. i. e. non magis quam ut —. de Off. 1, 25, 88. *et tamen ita probanda est mansuetudo atque clementia, ut adhibeatur rei publicae caussa severitas.* p. Rosc. Am. 26, 72. *ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de coelo non queant.* in Verr. 5, 67, 130. Liv. 1, 17, 8. *ita gratiam ineunt, summa potestate populo permissa, ut non plus darent iuris quam detinerent.* Iustin. 37, 1, 8.

Cic. de Orat. 3, 10, 39. *quod videmus ita esse necessarium, ut tamen eo minus nihil esse possit.* i. e. *es ist in der Mafsen nothwendig, als es dennoch das geringfügigste ist.* ad Att. 2, 21. *quae* (dominatio) *iucunda esset multitudini, bonis autem ita molesta, ut tamen sine pernicie.* i. e. *in dem Grade lästig, als doch ohne Nachtheil.* in Verr. 3, 8, 20. *nam ita diligenter constituta sunt iura decumano, ut tamen ab invito aratore plus decuma non posset auferri.* i. e. ut tamen ex altera parte. de Orat. 2, 38, 159. *quod si quis probabit, ita probabit, ut oratori tamen aptum non esse fateatur.* p. Sull. 15, 42. *quum scirem, ita iudicium in tabulas publicas relatum, ut illae tabulae privata tamen in custodia more maiorum continerentur,* etc. ad Fam. 5, 21, 1. *quod ego ita libenter accipio, ut tamen tibi non concedam.* Liv. 27, 27, 14. *ceterum ita fama variat, ut tamen plerique loci speculandi caussa castris egressum — tradant.* Sueton. Aug. 56.

Sueton. Ner. 1. *plures e familia cognosci referre arbitror, quo facilius appareat, ita degenerasse a suorum virtutibus Nero, ut tamen vitia cuiusque quasi tradita et ingenita retulerit.* Calig. 50.

Cic. de Fin. 4, 18, 49. *hi quidem ita non sola virtute finem bonorum contineri putant, ut rebus tamen omnibus virtutem anteponant.*

Liv. 22, 61, 5. *ita admissos esse, ne tamen iis senatus daretur.*

15. Haec dicendi ratio accommodatur etiam illi formae, in qua *ita tamen ut* cum sua sententia adiunguntur enuntiationi, quae ipsa rem non conditionatam exprimit.

Cic. ad Fam. 13, 56, 2. *ego quoque tibi imponam* (onus) *pro tuis in me summis officiis, ita tamen ut tibi nolim molestus esse.*

16. Ex eo, quem exposui, restringendi modo fieri solet, ut *ita*, quod in constituenda rei magnitudine, pro *tam*, *tantum* positum, potestatem augendi in se habet, minuendi vim recipere videatur, atque reddi possit *nur so sehr*, *nur so*. Id commune est vocabulis

tantum, *talis*, τοιοῦτος, οὕτω. Vid. Beneck. ad Cic. de Imper. Pomp. p. 131. Wolf. ad Demosth. Leptin. p. 258.

Cic. ad Att. 7, 13. *ita civile est* (bellum), *ut non ex civium dissensione, sed ex unius civis perditi audacia natum sit.* Liv. 23, 3, 4. *sed ante omnia ita vos irae indulgere oportet, ut potiorem ira salutem atque utilitatem vestram habeatis.* Cic. Verr. 3, 82, 190. *itaque hoc est, quod multi fortasse fecerunt, et ita multi, ut ii, quos innocentissimos meminimus aut audivimus, non fecerint.* ubi Zumpt. Alia vide in supra allatis. Liv. 5, 12, 4. *quum — res militiae ita prospere gererctur, ut nullo bello veniretur ad exitum spei.*

17. Schwartzius in Tursellino haec: „notandum hic est, *ita — ut* eleganter poni pro non tantum — sed etiam. Cic. ad Fam. 16, 1, 7. *nos ita te desideramus, ut amemus: amor, ut valentem videamus, hortatur: desiderium, ut quam primum. Illud igitur potius.* Vbi non audiendus est Schorus, qui p. 63. de Rat. disc. particulam *ut* hoc loco capit pro *sicut* et legi vult *amamus*, non *amemus*. Qua ratione tota frigebit sententia.“ Wielandus vertit: *ich sehne mich nach dir, wie ich dich liebe.* Borheckius autem: *wir sehnen uns deswegen nach dir, weil wir dich lieben.* Ramshornius in Gramm. p. 952. *nur in sofern, als es mit unserer Liebe zu dir bestehen kann.* Haec omnia perversa et falsa sunt. Coniunctivus in illa sententia, quam Schwartzius concepit, stare non potest: mutatione facta languescit oratio: germanici interpretes quo erraverint, per se patet. Cicero enim dicit desideramus te, ut fieri possit, ut te amemus, atque *ita* non significat *tantopere*, sed *eo consilio:* cum desiderio te amamus. Idem fortasse Borheckius in mente habuit, sed ambigue expressit.

Minuc. Fel. Octav. 35, 5. *quamquam imperitia dei sufficiat ad poenam, ita ut notitia prosit ad veniam, tamen* etc. Haec mutari iubent critici: Wopkens. in Lect. Tull. p. 379 (284.) alterum subiunctivum alteri accommodari existimat: et recte quidem, ut nunc video. *Ita ut* dicitur pro *ut*. vide n. 3.

18. Interdum inter se respondent *ita — quod.* Caussa enim ad modum agendi refertur. Reddi potest *in so fern — in wiefern.* Eodem usu, sed raro componuntur *ita — quum*, quod est *in sofern — als.*

Cic. in Verr. 1, 46, 119. *itaque L. Piso multos codices implevit earum rerum, in quibus ita intercessit, quod iste aliter atque ut edixerat, decrevisset.*

Cic. Brut. 62, 222. *nam M. Drusum — gravem oratorem, ita dumtaxat, quum de re publica diceret, — in praesidiis rei publicae — collocemus.* Tusc. 4, 38, 82. *etsi enim omnis animi perturbatio gravis est, nec multum differt ab amentia, tamen ita ceteros, quum sunt in aliqua perturbatione aut metus aut laetitiae aut cupiditatis, commotos modo aut perturbatos dicere solemus.* Apud Senecam restituendum puto de Benef. 1, 1. *sequitur enim, ut male collata male debeantur, de quibus non redditis sero querimur: ita enim perierant, quum darentur.* Vulgo *ista.* In his coniunctivus imperfecti legitime ponitur.

19. *Ita non — ut* negationem graviorem exprimit ideo, quod adiecto effectu documentum rei exhibetur. Dicimus *so gar nicht, so ganz und gar nicht.*

Cic. ad Fam. 7, 1, 10. *Graecos vero ita non ames, ut ne ad villam quidem tuam via graeca ire soleas.* Brut. 60, 217. *memoria autem ita fuit nulla, ut aliquoties tria quum proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quaereret.*

20. Haud raro post *ita* adiicitur sententia conditionalis, praemissa coniunctione *si.* Grammatici plurimi de tempore accipiunt, quasi sit, *tum, tum demum:* at temporis nulla est ratio, sed conditionis. Nam *ita* significat *ea conditione:* cui recte additur conditionis expositio. De tempore Latini dicunt *tum — quum.* Potest *demum* addi, quod redditur *so eben.* Sed Heindorfius ad Cic. de Nat. d. 1, 2, 3. contendit, in hac dictione necessario post *si* poni indicativum: cuius regulae caussam equidem non perspicio, etiamsi plurima exempla habent indicativum. Coniunctivum etiam in his dictionibus regit *si* ex cogitatione loquentis pendens. Sequitur non tantum praesens, sed etiam futurum et historica tempora. Wolfius in Analectis p. 289, in talibus conditionibus, inquit, *si* altero in membro eumdem verbi modum reposcit, qui praeierat: *si animadvertuntur ab his et si est aliquid tributum.*" Quod iudicium non dignum videtur tanto viro, et ne verum quidem est, uti exemplo Livii demonstrabo. Sed Heindorfius quaesivit de consequutione temporum. Quae Ellendtus ad Cic. Brut. 52. attulit, diversissimi sunt generis.

Varro de Re r. 1, 14, 2. *fossa ita idonea, si omnem aquam, quae e coelo venit, recipere potest.* Cic. Off. 1, 9, 28. *nam hoc ipsum ita iustum est, quod recte fit, si est voluntarium.* de Nat. d. 1, 2, 3. *haec enim omnia pure atque caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his.* Acad. 2, 7. *ita est maxima in sensibus veritas, si et sani sunt ac valentes, et omnia removentur, quae obstant.* de Senect. 11, 38. Liv. 42, 41, 6. *cuius conditionis iniquitatem ita non sum recusaturus, si vos quoque accipitis, ut etc.* 24, 38, 8. *vos, Ceres mater et Proserpina, precor, — ut ita nobis volentes propitii adsitis, si vitandae, non ferendae fraudis caussa hoc consilii capimus.* Quintil. 2, 4, 31. 7, 3, 21.

Liv. 30, 37, 6. *inducias ita se daturum, si per priores inducias naves onerariae captae — restituerentur.* In obliqua oratione etiam Cic. ad Att. 16, 6. Liv. 29, 3, 3. 36, 4, 9. 1, 8, 8. 42, 30, 3. 3, 65, 9. et alia, quae affert Drakenb. ad. 4, 5, 5.

Liv. 26, 25, 12. *si Aetoli pacem cum Philippo facerent, foederi adscriberent, ita ratam eorum pacem, si Philippus arma ab Romanis sociisque — abstinuisset.*

Liv. 21, 17, 6. *cum his terrestribus maritimisque copiis Ti. Sempronius missus in Siciliam, ita in Africam transmissurus, si ad arcendum Italia Poenum consul alter satis esset.* Cic. de Leg. 2, 10, 26. *nam a patribus acceptos deos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi.* Quintil. 11, 3, 130. *ambulantem loqui ita demum oportet, si in caussis publicis — quod dicimus quasi singulis inculcare peculiariter velimus.* Sueton. Claud. 25. *recitata vetere epistola graeca senatus populique romani, Seleuco regi amicitiam et societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes praestitisset.*

Liv. 21, 13, 5. *cuius* (pacis) *ita aliqua spes est, si eam, quemadmodum ut victor fert Hannibal, sic vos ut victi audiatis: si non id, quod amittitur, in damno, — sed quidquid relinquitur, pro munere habituri estis.* Gronovius correxit *audietis*, ut videtur ob sequens *habituri estis.* Equidem quum illud dicendi genus respicio, in quo coniunctio eadem bis posita diversum modum regit (vide Tom. 2. p. 486.) et quum hanc dictionem a Livio saepius usurpatam video (conf. Drakenb. ad 30, 44, 10. ad 41, 24, 5.), scripturam omnium librorum corrigere non ausim.

21. Possunt adeo verba *ita tamen si*, *atque ita si* in brevitate orationis coniungi, ubi germanice dicas *doch unter der Voraussetzung*, *wenn*. Conf. n. 15.

Cic. de Div. 1, 6, 10. *de quibus quid ipse sentiam, si placet, exponam: ita tamen, si vacas animo, neque habes aliquid, quod huic sermoni praevertendum putes.*

Cic. ad Fam. 15, 20, 2. *quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos litteris appellato: atque ita, si idem fiet a nobis.* Alii *fiat.*

22. In his omnibus conditio supponitur ideoque primariae sententiae adiungitur. Sed potest etiam inverti haec ratio et conditio praemitti ita, ut dicatur: quemadmodum conditionem statuo, ita etiam consequentiam. Hoc accedit propius ad germanicae linguae usum in coniungendis sententiis per *so.* Et conferri potest particula *tum* similiter usurpata, modo ne *ita* pro *tum* accipiatur.

Ovid. Trist. 1, 2, 105. *si fuit hic animus nobis, ita parcite, divi: sin minus, alta cadens obruat unda caput.* Iahnius negans hunc usum, referri mavult *ita* ad versum 87. ut sit: eo, quem exposui modo: quod et languore et obscuritate laborat. Quidni recte loquamur? *unter der Bedingung, dafs meine Gesinnung diese war, unter dieser schonet mein.*

23. Novum commentum videmus ab Herzogio ad Caes. B. gall. 1, 19. propositum. Is enim demonstrasse sibi visus est, quum *ut* de tempore pro *postquam* diceretur, etiam *ut* — *ita* dici pro *postquam* — *tum.* Id vero ab omni ratione et ab usu latino abhorret, nec ea, quae Bremius ad Cornel. Alcib. 4, 2. de temporali notione disseruit, huc pertinent: et quod aliis in locis *ita* adiungit rem, quae consequuta sit, nemo non intelligit alius esse caussae.

Caes. B. gall. 1, 19. *ubi prima impedimenta nostri exercitus ab his, qui in silvis abditi latebant, visa sunt (quod tempus inter eos committendi proelii convenerat) ita ut intra silvas aciem ordinesque constituerant atque ipsi sese confirmaverant, subito omnibus copiis provolarunt impetumque in nostros equites fecerunt.* Non pauci codices *ita* habent ante voc. *constituerant,* aut prorsus omittunt: nec potest ullum in hac sententia occupare locum. Post parenthesin oratio rursus incipit ab *ut.* Etiam Grysar in Doctrina stili p. 536. male haec verba interpretatus est, meliora docuerunt Davisius et Oudendorpius. Apud Sallust. Iug. 41, 3. Herzogius scribendum existimavit: *sed ubi illa formido mentibus decessit, scilicet ea, quae secundae*

res amant, lascivia atque superbia incessere: ita quod in advorsis rebus optaverant otium etc. Quod omni sensu esset destitutum.

Fortasse Herzogium in errorem induxit Ernestius, qui in verbis Cic. p. Mil. 19, 27. *atque ita profectus est, ut concionem turbulentam, quae illo ipso die habita est, relinqueret. ita* explicuit *eo tempore.* At iam Matthiae animadvertit, nec hoc significari, nec *ea conditione*, sed id indicari, quod cum illa profectione coniunctum esset. Cohaerent enim verba *atque ita*, de quibus Tom. 1. p. 500.

II. Alterum genus dictionum illud est, quod uno membro constat. Id enim, quo spectat *ita*, colligitur vel ex antecedente sententia, vel ex iis quae sequuntur, vel ex universa rei expositione. Quo fit, ut relativa natura particulae transmutetur in demonstrativam, qua significat *hoc modo*. Haec vero triplicem speciem induit, siquidem vel conclusionem efficit, vel eventum declarat, vel affirmationem enuntiat.

1. Ac primum in praecedente sententia inest, quod modum rei declarandae ostendit. Transit igitur *ita* in significationem particulae *sic*, hoc est, fit demonstrativa, significans *hoc modo*.

Cic. de Off. 1, 18, 59. *sed in his omnibus officiis tribuendis videndum erit, quid cuique maxime necesse sit —. Ita non iidem erunt necessitudinum gradus, qui temporum.* ad Quint. fr. 1, 1, 11. *Graecis id, quod acerbissimum est, quod sunt vectigales, non ita acerbum videri debet propterea, quod sine imperio populi romani suis institutis per se ipsi ita fuerunt.* i. e. vectigales. Sallust. Iug. 38, 2. *denique Aulum spe pactionis perpulit, uti relicto Suthule in abditas regiones sese veluti cedentem insequeretur: ita delicta occultiora fore.* Liv. 21, 21, 3. *credo ego vos, inquit, socii, et ipsos cernere, pacatis omnibus Hispaniae populis, aut finiendam nobis militiam, exercitusque dimittendos esse, aut in alias terras transferendum bellum. Ita enim hae gentes non pacis solum, sed etiam victoriae bonis florebunt.*

Cic. ad Fam. 4, 14, 5. *te ita velle certe scio.* ad Att. 8, 9. *ita tempestas ferebat.* p. Caec. 12, 33. *quod quum ita sit* etc. Sueton. Claud. 4. *ut ita dicam.*

Coniunguntur *quum ita.* Cic. Acad. 1, 7, 28. *et quum ita moveatur illa vis, — et quum sic ultro citroque versetur* etc.

2. Id, quo refertur *ita*, interdum exprimitur verbis proxime antecedentibus vel uno nomine, quod in prioribus eminet: quemadmodum Graeci praegredienti participio adiungunt reliquam sententiam per οὕτως. Vide Stallbaum. ad Platonis Phileb. p. 135. Klotzius, qui eamdem observationem fecit, etiam de caussa et effectu disseruit: hac particula, qua quod ante iam est pluribus explicatum, breviter in memoriam redigatur, tum potissimum uti Romanos, quum in ea re maius quoddam pondus situm sit. Mihi vero prorsus aliter visum est. Nam id, quod dicitur, hac particula restringitur ad eam notionem, quae modo est expressa: unde fit, ut intelligamus *eo ipso*, et germanice reddamus *als solches, an sich.*

Cic. p. Arch. 5, 11. *quoniam census non ius civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui sit census, ita se iam tum gessisse pro cive, is* etc. Hoc est: *die Schätzung zeigt nur, dafs, wer geschätzt worden ist, als solcher sich eben damals für einen Bürger gegeben habe.* Quintil. 12, 2, 17. *qui virtutes ipsas mente complexus ita sentiat, nec in cogitando laborabit, sed, quod sciet, vere dicet.* i. e. ita sentiat, ut virtutes est mente complexus. 12, 10, 35. *quae autem secundum naturam iudicantium dicta sunt, non ita posteris tradentur.* i. e. *nicht als solches.*

3. Potest etiam post *ita* id adiici, quod modum aut conditionem rei indicat. Spectat igitur particula ad id, quod sequitur: quod in iis quoque fit, quae expositioni praemittuntur.

Cic. de Div. 1, 53, 121. *ut igitur, qui se tradet ita quieti, praeparato animo quum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa et vera cernit in somnis.* p. Caec. 18, 53. *qui heres institutus esset ita, mortuo postumo filio.* ubi conf. Ernestium. Cf. Wopkens. Lect. Tull. p. 362 (269.) Gieseum ad Cic. loc. Bremium ad Cic. de Fin. 2, 6. p. 125. Cic. de Div. 2, 2, 6. *neque ita gessi, quasi homini aut temporibus iratus.*

Quintil. 9, 1, 25. *in tertio de Oratore ita scriptum est.* Sequuntur verba Ciceronis. 11, 2, 19. *haec ita digerunt.*

4. In hac dictione saepe abundantia quaedam exsistit, quando *ita* praemittitur ipsi rei expositioni. Id commune est omnibus demonstrativis. Vide Cort. ad Cic. Epist. 13, 42, 4. Bremium ad Cornel. Them. 9, 1.

Zumptii Gramm. 748. p. 603. Plerumque sequitur accusativus cum infinitivo, et *ita* additur verbis sentiendi, dicendi, affirmandi, dubitandi.

Cic. ad Fam. 13, 42, 4. *illudque mihi gratissimum est, quod ita sciunt Lucceii procuratores, et ita Lucceius ipse ex litteris tuis — intellexit, hominis nullius apud te auctoritatem aut gratiam valere plus quam meam.* Curt. 10, 1, 34. *ex Dario ita accepi, tria millia condita esse cum Cyro.* Cic. Tusc. 3, 18, 41. *nec vero ita dici potest, mentis laetitiam solam esse in bonis.* Fam. 13, 10, 2. *sed quum sibi ita persuasisset ipse, meas de se accurate scriptas litteras maximum apud te pondus habituras* etc. 1, 8, 11. 6, 2, 2. *quare velim ita statutum habeas, me tui memoriam cum summa benevolentia tenere.* p. Cluent. 19, 51. *collegi me aliquando et ita constitui, fortiter esse agendum.* p. Ligar. 1, 2. *habes igitur — confitentem reum, sed tamen ita confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero.* ubi vide Ernestium. ad Fam. 13, 24, 4. Liv. 1, 55, 4. Sallust. Cat. 14, 7. Iug. 85, 40. Liv. 3, 40, 6. *omnesque ita accipiebant, privatos eos a Claudio iudicatos.*

Id facilius admittitur, ubi non unam, sed plures res complectitur: quod fit in loco Cic. p. Cluent. 19, 51. Est *ita* pro *haec.* Sallust. Iug. 4, 5. *saepe audivi Q. Maxumum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere, quum maiorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi.*

5. Non raro, praesertim apud poetas, id, ad quod *ita* referri debet, ex sententia aliqua suppressa colligitur, nec potest ambiguitas ubique evitari.

Horat. Carm. 1, 24, 11. *tu frustra pius heu non ita creditum poscis Quinctilium deos.* h. e. frustra tu, qui pius eras, Quinctilium poscis a diis, quibus non ea conditione credidisti amicum, ut sibi totum arrogarent. Propert. 1, 19, 16. *et Tellus hoc ita iusta sinat.* h. e. ita iusta, ut fert res numenque divinum, hoc est, satis iusta.

Quintil. 6, 1, 3. *licet et dubitare — quam spem accusator habeat omnibus ita defensis.* Spaldingius explicuit: ut iam enumeratione significetur. Est potius: ita ut factum erat.

6. In quibusdam formulis respicitur experientia communis aut rerum natura, et cum ea confertur, sive secundum eam demonstratur id, quod in consideratione venit. *Ita fit* est ita fit, ut fieri solet.

Cic. de Nat. d. 3, 37, 89. *ita fit, inquit.* h. e. *so geht es nun*

einmal, ut interpretatur Heindorfius. Adhaeret enim nota mala. Terent. Ad. 1, 2, 63. *nam ita est homo.*

7. Grammatici quidam docuerunt, *ita* interdum notionem temporis in se habere, et *tum*, sive *deinde* significare, atque ut hanc sententiam demonstrarent, comparaverunt graecum usum verbi οὕτως, post participia interpositi, adeoque *ita* e graeco εἶτα ortum dixerunt. Vide Gifanii Observ. p. 280. (542.) Bremium ad Cornel. Alc. 4. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 35, 113. At et latino et graeco vocabulo οὕτως nihil exprimitur, nisi modus. In verbis *atque ita*, de quibus iam Tom. 1. p. 500. dixi, una notio effectus cum caussa compositi exprimitur: *und so.* Quo autem modo historici hac particula utantur, vide n. 15.

Cic. p. Cluent. 60, 168. *aliquot dies aegrotasse et ita esse mortuum.* h. e. non statim nec veneno, sed morbo. Liv. 21, 32, 2. *ad mare ac naves rediit, tutius faciliusque ita descendenti ab Alpibus Hannibali occursurus. Ita* non est *tum*, sed hoc reditu ad mare facto.

8. Graeci οὕτως loquuntur de eo, quod non alia ratione aliter fit, sed hoc uno modo, Germani *so geradehin*, *so ohne Weiteres*, *eben.* Id Latini non modo *sic*, sed etiam *ita* dicunt. Cf. Heindorf. ad Platon. Phaedr. 24.

Cic. Acad. 2, 35, 113. *qui* (Antiochus) *me valde movet, vel quod amavi hominem, sicut ille me, vel quod ita iudico politissimum et acutissimum omnium nostrae memoriae philosophorum.* Nemo interpretum haec recte explicuit. Est: *weil ich ihn eben für den feinsinnigsten Philosophen halte.*

9. Sed ipsa res potest ratione modi significari. Quare *ita* exprimit *id*, *hoc:* veluti *ita facere* est *hoc facere*, sive quidquid antea dictum est. Cf. Vorst. de Latin. falso susp. p. 292. Librarii non raro supposuerunt *id.* Vide Spalding. ad Quintil. 7, 1, 35.

Terent. And. 1, 2, 21. *ita aiunt.* Ad. 5, 5, 7. Andr. 3, 3, 18. *immo ita volo.* 1, 5, 63. *ita spero quidem.* Cic. ad Fam. 7, 18, 12. *ita te mandasse aiebat.* de Nat. d. 1, 22, 60. *quum — Hiero requireret, cur ita faceret.* de Amic. 11, 37. *et hercule ita fecit.* Terent. Eun. 1, 2, 103. *ita facere certum est.*

Tacit. Hist. 1, 52. *ita comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena.*

Male Waltherus *ità* pro *itaque* accepit, *id* omissum putans. Ovid. Met. 5, 534. *non ita fata sinunt.*

Plaut. Stich. 5, 5, 3. *nam ita est ingenium muliebre.* Cic. ad Att. 4, 1. *ita sunt res nostrae.* Cf. Schelleri Observ. p. 73. Plaut. Pers. 4, 2, 25. *ita sunt Persarum mores.* Bacch. 5, 2, 60. *vidi ego nequam homines, verum te neminem deteriorem.* PH. *Ita sum.* Terent. Phorm. 1, 3, 20. *ita planc plerique omnes sumus ingenio.* Ad. 1, 2, 63. Alia multa vide notata a Pareo in Lex. crit. p. 646. Cf. Heindorf. ad Cic. de Nat. d. p. 378. Cic. de Harusp. resp. 7, 13. *ita est enim interpretatio illa pontificum, ut iidem potestatem habeant iudicum.* p. Sulla 7, 22. *si ita sum, non tam est admirandum, regem esse me.* i. e. si peregrinus sum. p. Domo 27, 71. *me ita esse in re publica.* quod Wolfius temere censet non nimis latinum esse.

Ita esse pro *ita se gerere.* Plaut. Men. 5, 6, 18. *alii sese ita, ut in rem ducunt, sint, ego ita ero, ut me esse oportet. Ita inquam,* pro hoc dico, de uno nomine Cic. Phil. 14, 5, 12. *tot legionibus caesis, tanta multitudine interfecta, hostium dico: ita inquam, hostium, quamvis hoc isti hostes domestici nolint.*

10. Additur *ita*, ubi adest monstrativum vocabulum. Res enim magis definitur, nisi graviter dicendi studium parit abundantiam.

Cic. p. Tull. 9. *hoc ita existimavit.* ubi Heinrichium miror scribendum censuisse *hic*, i. e. Lucullus. Cic. de Div. 2, 8, 21. *quod certe vobis ita dicendum est.* ubi male iudicavit Davisius. Liv. 1, 55, 6. *quae visa species haud per ambages arcem eam imperii caputque rerum fore portendebat: idque ita cecinere vates.* 8, 9, 9. *haec ita precatus lictores ire ad T. Manlium iubet.* Atque hoc modo defendenda est codicum scriptura in 24, 16, 1. *ea demum vox ita animos accendit.* i. e. ea vox ita pronuntiata.

11. Cum hac demonstrandi potestate cognata est ea, qua ex antecedentibus aliquid colligitur et conclusio conficitur. Refertur enim *ita* ad aliquid factum aut ad alicuius rei veritatem, idemque fere est quod *itaque:* sed hoc procedit ad aliud, quod latius patet, illud acquiescit in re demonstranda. Quare librarii utrumque vocabulum saepissime commutarunt. Vide Cort. ad Sallust. Cat. 1, 7. Oudendorp. ad Caes. B. gall. 8, 27. Schelleri Observat. p. 252. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 1. p. 10. Hoc in usu particula primum obtinet locum enuntiationis.

Plaut. Rud. Prol. 1. *qui gentes omnes mariaque et terras movet, eius sum civis civitate coelitum. Ita sum, ut videtis, splendeas stella candida.* Cic. de Nat. d. 1, 40, 110. *sine virtute certe nullo modo* (efficitis beatum deum). *Virtus autem actuosa: et deus vester nihil agens: expers virtutis igitur: ita ne beatus quidem.* de Orat. 1, 25, 116. *adest fere nemo, quin acutius atque acrius vitia in dicente quam recta videat. Ita, quidquid est, in quo offenditur, id etiam illa, quae laudanda sunt, obruit.*

Cic. de Off. 3, 6, 31. *ita semper officio fungetur utilitati consulens hominum.* de Div. 2, 39, 82. *exemplis Ennii et Homeri propositis concludit: Ita nobis sinistra videntur, Graiis et barbaris dextra meliora.* Sallust. Cat. 1, 7. *ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio indiget.* Cic. Lael. 18, 65. *ita fit verum illud, quod initio dixi, amicitiam nisi inter bonos esse non posse.* ubi Gernhard. 21, 79. *sed plerique — amicos, tamquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. Ita pulcherrima illa et maxime naturali carent amicitia per se et propter se expetenda.* ubi idem Gernhard. Vide criticos de locis Cic. de Leg. 2, 2, 5. de Off. 2, 23, 82. 3, 2, 3. 1, 2, 6. Acad. 2, 41, 126. *Zenoni — aether videtur summus deus, mente praeditus, qua omnia regantur. Cleanthes — solem dominari et rerum potiri putat. Ita cogimur dissensione sapientum dominum nostrum ignorare.* 2, 47, 145. Sallust. Cat. 2, 6.

Plaut. Trin. 2, 4, 63. *hercle quin dicam tamen. Nam si sic non licebit, luscus dixero.* PH. *Ita tu nunc dicis non esse aequiparabiles vostras cum nostris factiones atque opes.* i. e. *ergo.* Senec. Herc. Oet. 996. *natus Alcidae times? Ita nulla peragas iussa.*

Cic. Tusc. 1, 6, 12, *si igitur non sunt, nihil possunt esse: ita ne miseri quidem sunt.* Cf. supra loc. de Nat. d. 1, 40.

12. Notandum est, quomodo in hac conclusione futurum usurpetur, quo Latini certiore notione exprimunt rem, quae fieri possit. Tum *ita* intellige *hac ratione*, *hac via*, vel etiam de re singulari modo accepta, quod est *so gefaßt*, *in dieser Hinsicht*.

Cic. de Off. 1, 18, 59. *ita non iidem erunt necessitudinum gradus, qui temporum.* ubi alia exempla contulit Beierus. 2, 7, 24. *ita facillime, quae volemus, — consequemur.* 3, 6, 31. *ita semper officio fungetur utilitati consulens hominum.* Liv. 9, 11, 11. *gerite bellum, quando Sp. Postumius modo legatum fecialem genu perculit. Ita dii credent Samnitem civem Postumium, non ci-*

vem romanum esse, et a Samnite legatum romanum violatum. Cic. de Off. 2, 6, 60. *quae si longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur. Ita fortasse etiam brevior videbitur.* Quintil. 7, 1, 37. 6, 2, 34.

13. In narrandis rebus *ita* concludit expositionem, et breviter exprimit sententiam: *ita factum est ut*, qua aut adiicitur eventus, aut iudicium apponitur omnia, quae narrata erant, in unum colligens. Plerumque autem nexum eo modo indicat, quo Germani dicunt *so, unter diesen Umständen.* Id saepe simpliciter ad caussam refert rem, ut possis explicare vel *ideo* vel *nam.* De usu Sallustii vide Cortium et Herzogium ad Cat. 55, 6. de usu verbi οὕτως in finiendis narrationibus apud Herodotum vd. 5, 65. 6, 135, 140.

Plaut. Poen. 1, 2, 148. *liberare iuravisti me haud semel, sed centies. Dum te exspecto, neque usquam aliam mihi paravi copiam, neque istuc usquam apparet. Ita nunc servio nihilo minus.* Liv. 4, 4, 7. *ita legati, quum se rem integram relaturos dixissent, comiter dimissi.* Cic. Verr. 2, 51, 127. *ita Iovis illud sacerdotium amplissimum per hanc rationem Theomnasto datur.* Tusc. 5, 23, 66. narrata re addit: *ita nobilissima Graeciae urbs — sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset.* Sallust. Cat. 61, 1. *ita cuncti suae hostiumque vitae iuxta pepercerant.* Haec addit in extrema narratione. Cat. 55, 6. *Ita ille patricius — dignum moribus factisque suis exitium vitae invenit.* Iug. 31, 13. *pars eorum occidisse tribunos plebis, alii quaestiones iniustas, plerique caedem in vos fecisse pro munimento habent. Ita quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est.* E Iustini libris exempla collegit Beneckius ad 33, 2, 7.

Liv. 1, 10, 3. *ne Crustumini quidem atque Antemnates prò ardore iraque Caeninensium satis se impigre movent. Ita per se ipsum nomen Caeninum in agrum romanum impetum facit.* i. e. *quare, ideo.* Cf. Drakenb. ad 34, 33, 5. Sic explicari debet Tacit. Agr. 2. ubi *ita* non ad *ut* spectat, quod sequitur, sed ad antecedentia. Sueton. Caes. 60.

Sallust. Cat. 8, 4. *ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis eam potuere extollere praeclara ingenia.*

14. Praesertim in iis usurpatur, quae rationem eorum, quae dicta sunt, eo reddunt, ut in conditione vel magnitudine vel bonitate rei caussam esse positam indicent, imprimis ubi particula additur adiectivis et adverbiis. Significat igitur *tantum, adeo, so sehr* vel *so.*

Plaut. Rud. 1, 1, 4. *non ventus fuit, verum Alcumena Euripidi: ita omnis de tecto deturbavit tegulas.* Aul. 3, 1, 5. *totus doleo, atque oppido perii: ita me iste habuit senex gymnasium.* Amph. 5, 1, 15. *ardere censui aedis: ita tum confulgebant.* Multa exempla notavit Pareus Lex. crit. p. 646. Sallust. Cat. 15, 4. *animus impurus — neque vigiliis neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitam vastabat.* ubi Cortius.

Cic. de Fin. 3, 20, 66. *itaque non facile est invenire, qui quod sciat ipse, non tradat alteri: ita non solum ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum.* ubi Goerenz.

Cic. ad Att. 7, 2, 1. *Brundisium venimus VII. Calend. Dec. usi tua felicitate navigandi: ita belle nobis flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites.* 7, 10. *de reliquo, neque hercule quid agam, nec quid acturus sim, scio: ita sum perturbatus temeritate nostri amentissimi consilii.* ad Q. frat. 3, 5. *de latinis vero, quo me vertam, nescio: ita mendose et scribuntur et veneunt.* ad Fam. 2, 5, 2. p. Deiot. 7, 21. *dii te perduint, fugitive: ita non modo nequam et improbus, sed fatuus et amens es.*

Liv. 8, 36, 3. *tantum momenti in uno viro L. Papirio fuit, ut — debellari eo die cum Samnitibus potuisse pro haud dubio habitum sit: ita instruxit aciem loco ac subsidiis, ita omni arte bellica firmavit.* Quintil. 10, 1, 69. *qui vel unus — diligenter lectus ad cuncta, quae praecipimus, efficienda sufficiat: ita omnem vitae imaginem expressit: tanta in eo inveniendi copia et eloquendi facultas: ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus.* Plaut. Men. 1, 1, 23. *nullus melius medicinam facit: ita est adulescens ipsus escae maxumae, cereales coenas dat, ita mensas exstruit.*

Comicis usitatus est hic dicendi modus: Plaut. Men. 4, 2, 31. *di illum omnes perdant, ita mihi hunc hodie corrupit diem.*

15. Historici tantum non omnes hac particula utuntur, ut exponant, quo modo alia res ex alia re nata sit, aut ut quid aliis rebus antecedentibus effectum sit enarrent. Grammatici id accipiunt pro *tum vero:* de qua re iam n. 7. dixi. Necesse est particula primum sententiae locum obtineat. Hoc modo nemo saepius loquutus est quam Livius. Haud raro exit oratio in consequentiam, tamen *ut*, quod sequitur, non refertur ad antecedens *ita*.

Liv. 1, 5, 6. *necessitas prior venit. Ita, metu subactus Romulo rem aperit.* Paullo post: *sciscitandoque eodem pervenit, ut haud procul esset, quin Remum agnosceret. Ita undique regi do-*

lus nectitur. Et proxime: *ita regem obtruncant.* 3, 40, 8. *ita labante iam caussa decemvirorum* etc. 2, 11, 9. *dextra laevaque hinc a porta collina, illinc ab paevia redditus clamor. Ita caesi in medio praedatores.*

Liv. 24, 16, 1. *ea demum vox ita animos accendit. Renovato clamore velut alii repente facti tanta vi se in hostem intulerunt, ut sustineri ultra non possent.* Ita codices. Editores post *accendit* interposuerunt *atque.* Th. Sam. Forbiger in Prolus. Lipsiae 1825. edita defendit *ita*, ut significet hoc modo, hoc rerum statu: sed quae comparat exempla 1, 5, 6. 1, 10, 3. sunt alius generis et habent *ita* primo loco collocatum. Pertinet ille locus ad ea, quae n. 10. exposui.

Caes. B. gall. 1, 15. *ita dies circiter quindecim iter fecerunt, uti inter novissimum hostium agmen et nostrum primum non amplius quinis aut senis milibus passuum interesset.* In his non respondent *ita* — *ut*, quod putabat Bünemannus ad Lactant. 7, 22, 19.

Curt. 6, 9, 36. *tum rex, ecquid videtis* etc. —. *Atque ita concione excessit.* i. e. post haec.

16. Pleonasmum in verbis *ita sic* statuerunt Drakenborchius ad Liv. 2, 10, 11. et critici quidam ad Phaedr. Prol. 2, 12. et compararunt *itaque ergo, iam nunc.* At diligentior cura removebit etiam hanc pleonasmi suspicionem.

Liv. 2, 10, 11. *ita sic armatus in Tiberim desiluit.* In his *ita* est pro *itaque, und so; sic* significat *οὕτως, so ohne Weiteres,* quod dicitur de rebus repentinis. Quintil. 2, 21, 20. *ita sic quoque recte diximus, materiam rhetorices esse* etc. Alterum sursum, alterum deorsum spectat. Phaedr. Prol. 2, 12. *ita sic rependit illi brevitas gratiam.* Totum versum corruptum esse nemo non vidit.

17. Cum adiectivis et cum adverbiis coniungitur *ita* non modo in iis, quae, ut supra p. 487. exposui, consequentiam e rerum magnitudine aut gravitate constituunt, sed etiam absolute ad augendam nominum vim. Vulgo accipitur pro *admodum, adeo:* quidam pleonasmum appellant: vid. Ellendt. ad Cic. Brut. p. 140. Sed in his quoque brevem sive ellipticam orationem et vim particulae demonstrativam facile agnoscamus: nam *ita multa* dicitur, ut cogitemus: ita multa, ut notum est, sive, ut res fert. Similiter Germani *so* usurpant, et Graeci *οὕτως.* Vid. Heindorf. ad Plat. Gorg. 127.

p. 196. Sed hoc in usu illud *ita* nomini quasi inhaerens non accentu distinguitur graviori, sed annectitur leviore voculatione.

Cic. de Amic. 10, 35. *haec ita multa quasi fata impendere amicitiis, ut omnia subterfugere non modo sapientiae, sed etiam felicitatis diceret videri.* Vbi *ita* non respondet vocabulo *ut.* Sed valde miror Klotzio aliquando placuisse scripturam *haec itaque multa.* Brut. 53, 197. *quae quidem omnia quum peri'c et scienter, tum ita breviter et presse et satis ornate — diceret.* Male Schützius haec mutat. Redde *so kurz.* de Fin. 2, 27, 88. *quid est igitur, cur ita semper deum beatum Epicurus appellet?* i. e. *so unablässig.*

Aliquanto differunt ea, quae comprobationem ex multitudine sive ex magnitudine rei addunt. Cic. Tusc. 1, 24, 59. *quorum quanta mens sit difficile est existimare: ita multa meminerunt.*

Plaut. Trin. 5, 2, 51. *evocate. Ita subito est, propere quod eum conventum volo.* Curc. 2, 3, 22. *ecquis est, qui mihi commonstret Phaedromum genium meum? Ita res subita est: celeriter mihi hoc homine convento est opus.* Dicimus: *es ist so eilig.*

18. *Non ita, haud ita* praemittuntur adiectivis et adverbiis, ut exprimatur, quod germanice dicimus *nicht gar, nicht eben:* nec tamen quisquam tam ineptus erit, qui dicat, *ita* significare *eben.* Elliptica est haec quoque forma. Nam inest sententia: non ita, ut quis putet, non tam, quam quis opinetur, non tantum, quantum natura esse possit. Hoc redit ad id quod parvum et exiguum est. Cf. Drakenb. ad Liv. 4, 12, 9. Ruhnken. ad Terent. Andr. Prol. 11. Sed quum res ipsa non parva cum maioribus comparata minor esse videatur, saepe his verbis non parvitas rei designatur, sed dicitur res non adeo magna esse. Quod vero Bremius ad Cornel. Paus. 1, 2. monet, interdum *haud ita* gravius negare, ut sit *ganz und gar nicht*, id nec iis, quae affert, exemplis confirmatur, et caussa erat in natura particulae *haud* quaerenda, de qua vide p. 22. Vbi praecedit in altera parte sententiae vocabulum amplius, potest illud in se habere id, quo referatur *ita:* veluti quum Cicero ait *sunt ea perampla atque praeclara, sed non ita antiqua*, sensus esse potest: non eo modo antiqua, quo perampla, hoc est, non perantiqua. Sed ratio manet eadem, quam antea exposui.

Iterum mihi invito (nam diligentiam eruditissimi viri admirari soleo) disputandum est contra Stürenburgium, qui in Comment. 1, 2. Cic. Officiis adiecta p. 127. novam doctrinam tradidit, sed prorsus falsam: *ita* in *non ita* significare *insofern*, et negare modo adiunctam et secundariam notionem sic, ut mente praecipiamus eius rei, de qua agatur, notionem affirmativam. Quae aliqua ex parte vera tam male invertit et falsis argumentis instruxit, ut ineptiae evadere videantur. Nam in verbis Ciceronis *non ita lato mari interiecto* inesse dicit *ut interiecto mari*, *ita non lato*. Non vidisse eum miror, hac in sententia scribendum fuisse *ita non lato*, non autem *non ita lato*. Recte supplebis sententiam: non ita lato, ut fortasse aliquis opinatur. Negat Stürenburgius voces has iungi posse cum solo verbo, sed barbare dici *non ita probo*, nec coniungi cum adiectivis, quae primariam loci sententiam in se habeant: quare soloecum esse: *res haec non ita facilis est*. Tamen dixit Cicero *ita malle*, *non ita laudat Curionem*, Tacitus *non ita redundare:* atque respiciendum erat genus verborum. Dixit Cicero *sunt ea non ita antiqua*, *est non ita turpe* et multa alia alii. Sed ut haec cum suo decreto conciliet, Stürenburgius fingit, Ciceronis fuisse proprium illum morem philosophice loquendi, in quo non praecipiatur rei, de qua agitur, notio affirmativa, sed repetatur notio rei cuiusdam, quam scriptor velit respici. Tum solis verbis et solis adiectivis locum esse, et quum dicit Cicero de Off. 3, 20, 81. *id*, *in quo violatur aequitas*, *non ita magnum*, *illud autem*, *quod ex eo paritur*, *permagnum videtur*, intelligi, non ita magnum, ut violatur in eo aequitas. Hoc, quod grammaticus vocat philosophice scribere, vereor ne quis ineptum appellet. Sed bene intellexit ille, interdum id, quo referretur *ita*, in verbis antecedentibus contineri: quod tamen non mutat rationem, quae una est relativa.

Terent. Andr. Prol. 11. *non ita dissimili sunt argumento.* Cic. in Verr. 4, 49, 109. *sunt ea perampla atque praeclara*, *sed non ita antiqua.* Acad. 2, 2, 5. *reliqui etiamsi haec non improbent*, *tamen earum rerum disputationem principibus civitatis non ita decoram putant.* de Orat. 2, 19, 77. *ac mihi quidem non ita molesti sunt.* Brut. 69, 244. *verum qui omnino nomen habuerint*, *non ita multos fuisse.* Orat. 8, 25. *non ita lato interiecto mari.* de Fin. 2, 13, 42. *accessione utuntur non ita probabili.* Brut. 10, 41. *Themistocles insequutus est*, *ut apud nos peranticuus*, *ut apud Athenienses non ita sane vetus.* Quae peius non possunt explicari, quam fecit Stürenburgius p. 132. dicens: hoc est: non ita sane vetus, ut apud Athenienses. Cornel. Pelop. 2, 3. *magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae.* Quintil. 2, 5, 18.

Liv. 4, 12, 9. *ex Etruria haud ita multum frumenti advectum est.* Cornel. Paus. 1, 2. *haud ita magna manu.*

Cic. in Verr. 2, 20, 49. *non ita multum tecum fuit.* Caes. B. gall. 5, 47. *non ita multum moratus.* B. civ. 2, 6. *hoc animo decertabant, ut — non ita multo se reliquorum civium fatum antecedere existimarent.* Cic. de Nat. d. 1, 31, 86. *quibus mediocres homines non ita valde moventur.* de Leg. 3, 11, 26. Brut. 66, 233. *nam huius aequalis et inimicus C. Fimbria non ita diu iactare se potuit.*

Formula est: *non ita multo post* Cic. de Off. 2, 6, 19. ubi Beier. p. Caec. 6, 17. Cornel. Cim. 3, 4. Liv. 1, 33, 2. *haud ita multo post.* Liv. 21, 29, 9. vide p. 23. *haud ita multo ante.* Liv. 32, 30, 1.

Cic. Orat. 18, 59. *rarus incessus nec ita longus.* Phil. 1, 3, 7. *nec ita multum profectus.* de Orat. 1, 43, 192. *neque ita multis litteris — continentur.* Quintil. 11, 3, 126.

19. Sed etiam cum iis verbis *ita* et *non ita* componuntur, quorum notio gradationem admittit. Significat *ita* enim *tantopere*, *in dem Grade*, et *non ita*, *nicht gar sehr*. Hoc non satis perspectum habuit Moserus, qui ad Cic. de Leg. p. 433. et 602. hunc usum negabat, nec Stürenburgius, qui fieri id non posse demonstratum ivit.

Cic. de Fin. 2, 6, 17. *quod quidem ego a principio ita me malle dixeram.* ubi Bremius. ad Att. 9, 14. *quod ille nuper ita se malle dixerat.* Nos *so wünschen* pro *so sehr wünschen* dicere solemus. Plaut. Most. 3, 2, 47. *nos profecto probe, ut voluimus, viximus. Sed, Simo, ita nunc ventus navem deseruit.* SI. *Quid est? quomodo, pessume? quaene subducta erat tuto in terra.* Quintil. 9, 4, 110. *quod quid ita placuerit iis, non video.* Cf. Cic. de Harusp. resp. 7, 13. p. 474.

Cic. ad Att. 3, 15. *Sed Axius eiusdem dici scribens ad me acta, non ita laudat Curionem.* Tacit. Hist. 2, 32. *Hispanias armis non ita redundare.*

Cic. de Leg. 2, 1, 3. *sed nimirum me alia caussa delectat, quae te non attigit ita.* Haec aut aliter accipienda, aut non integra esse dicam infra.

20. Quo modo vis demonstrandi valeat tantum, ut sententiae affirmationem afferat, non uno in exemplo iam vidimus. Augetur haec vis, ubi rem ita se vere

habere pro certo affirmatur et adverbium vicem adiectivi explet. *Esse ita* et *ita esse* confirmant, rem ita, ut dictum erat, se habere. Praecedit verbum *esse*, quando de veritate rei agitur. In colloquiis unum *ita* totam sententiam affirmat responsione: *ja*. vd. Lambin. ad Horat. Sat. 2, 7, 2. Quod quum Cellarius in Antibarb. p. 170. negasset, ipse in Curis poster. p. 76. demonstravit exemplis. Cf. Perizon. ad Sanctii Min. 4, 4. n. 59.

Cic. Verrin. 4, 52, 117. *est, iudices, ita, ut dicitur.* Terent. Phorm. 2, 3, 49. *ita ut dicis.* Quae hac plena oratione efferuntur Plaut. Most. 3, 2, 46. *ita, ut dicis, facta haud nego.*

Cic. ad Att. 12, 17. *velim des operam, ut investiges ex consponsorum tabulis, sitne ita.* de Off. 1, 44, 158. *non est ita.* p. Cluent. 59. 162. Verbis *ita est* frequentissime utitur Plinius in Historia naturali.

Cic. ad Att. 7, 8. *quod putasti fore, ut ante, quum istuc venirem, Pompeium viderem, factum est ita.* Curt. 10, 2, 18. *crederes uno ore omnes sustulisse clamorem: ita pariter ex tota concione responsum est, omnes queri.*

Virgil. Aen. 2, 582. *dardanium toties sudarit sanguine litus? Non ita.* Plaut. Amph. 1, 1, 208. (211.) *haeccine tua domust?* SOS. *Ita, inquam.* Terent. Eun. 4, 4, 54. *de istac rogas virgine?* PY. *Ita.* 4, 4, 30. *meus fraterne?* D. *Ita.* Andr. 5, 2, 8. *quid istic tibi negotist?* D. *Mihin?* S. *Ita.* Cic. de Orat. 2, 10, 43. *quidnam? inquit Catulus. an laudationes? id enim video poni genus tertium. Ita, inquit Antonius.* Horat. Sat. 2, 7, 2. *Davusne? Ita: Davus.*

Formula *ita ut dicis* apud Plaut. Capt. 1, 2, 15. Terent. Phorm. 2, 3, 49. quam illustrat Bothius ad Plaut. Capt. 56. et ad Terent. Eun. 229. varia non distinguens, non negat, sed ironice affirmat, quum contrarium sit in animo.

21. Componuntur cum *ita* aliae affirmationis particulae *vero*, *profecto*, *prorsus*, *plane*.

Plaut. Men. 5, 9, 37. *ita vero.* Plaut. Amph. 1, 1, 254. *ita enimvero.* Asin. 2, 2, 72. Amph. 1, 1, 214. *ita profecto.* Cf. Cic. p. Rosc. Am. 40, 121. *non est profecto ita, iudices.*

Cic. Tusc. 2, 27, 67. *ita prorsus.* de Leg. 3, 12, 26. *admodum aut prorsus ita est.* Curt. 9, 4, 28. *rex Demophoontem — intuens, si quis, inquit, te arti tuae intentum — sic interpellet, non dubitem, quin incommodus ac molestus videri tibi possit. Et quum ille ita prorsus futurum respondisset, censesne, inquit* etc.

Cic. Tusc. 1, 7, 13. *ita plane.* Coniectura a Goerenzio in Cic. de Fin. 2, 4, 11. facta non est probabilis. Cf. Acad. 2, 35, 113. *ita plane probo.* Lactant. 1, 11, 9. *ita plane: nam quum* etc. ubi Bünemann.

22. De verbis *immo ita* vide p. 230.

23. Proprie haec particula usurpatur in votis et in formulis asseverandi, contestandi, iurandi. Eae natae sunt ex suppressa sententia, qua veritas rei comparatur cum veritate voti vel asseverationis. Nam verba apud Terent. Eun. 3, 2, 21. *ita me dii ament, honestus est* continent plenam hanc sententiam: ut honestum esse dico, ita opto ut dii me ament. Sequitur *ut* correlativum vel cum indicativo, vel cum coniunctivo, qui alterum votum exprimit, aut omittitur, aut orationis forma invertitur. Graeci similiter loquuntur. Vid. Homer. Iliad. 13, 825. 8, 539. et quae collegit Matthiae in Grammat. 513. 4.

Plancus ad Cic. 10, 9, 2. *ita ab imminentibus malis res publica me adiuvante liberetur.* Senec. Troad. 600. *ita, quod minari maximum victor potest, contingat.* Horat. Sat. 2, 2, 124. *venerata Ceres, ita culmo surgeret alto, explicuit vino contractae seria frontis.* Quae nescio an interpretum nemo recte explicuerit. Nam quod Heindorfius dicit, *ita* esse *so wie jezt*, ut nunc imbres cadunt, id prorsus ineptum videtur: illud vero, quod Io. Adam. Schaeferus finxit, verba cum gestu fuisse pronuntiata, quasi sodales pocula altius sustulissent, mirabor, si non inveniat risores. Votum convivarum Cererem adorantium erat: ita surgat alto culmo. Inscriptio apud Orellium n. 4751. *ita valeas.* Plaut. Aul. 2, 1, 27. *ita di faxint.*

Cic. in Catil. 4, 6, 11. *nam ita mihi salva republica vobiscum perfrui liceat, ut ego — non atrocitate animi moveor.* ad Att. 5, 15. *ita vivam, ut maximos sumptus facio.* in Verr. 5, 14, 35. ad Fam. 10, 12, 1.

Terent. Heaut. 4, 3, 8. *atque ita me di ament, ut ego nunc non tam meapte caussa laetor, quam illius.* Phorm. 5, 3, 24. *at ita me servet Iuppiter, ut propior illi, quam ego sum ac tu, homo nemost.* Heaut. 5, 4, 7. Cic. in Verr. 5, 14, 37. *ex his ego rebus omnibus, iudices, ita mihi deos omnes propitios esse velim, ut, tametsi mihi iucundissimus est honos populi, tamen nequaquam tantum capio voluptatis, quantum sollicitudinis.* Alia vide in Parei Lex. crit. p. 645.

Plaut. Aul. 4, 10, 31. *ita te amabit Iuppiter, ut tu nescis?*

Merc. 4, 4, 22. *ita me amabit Iuppiter, uxor, ut ego illud numquam dixi.*

Cic. ad Fam. 5, 21, 1. *nam tecum esse, ita mihi omnia, quae opto, contingant, ut vehementer velim.*

Cic. ad Fam. 16, 20, 1. *sollicitat, ita vivam, me tua, mi Tiro, valetudo.* Balbus in Cic. Epist. ad Att. 9, 6. *ita incolumi Caesare moriar.* Cic. ad Att. 1, 16. *saepe, ita me dii iuvent, te spectatorem pugnarum mirificarum desideravi.*

24. Affirmationem, quam in recta oratione *ita* occupat, etiam in interrogatione obtinet. *Itane* igitur instantius interrogat, an sit res, quae incredibilis aut dubia est visa, sed ab aliis affirmata. Quare ex aliqua parte erravit Beierus, qui, ut Matthiae sententiam refutaret, ad Cic. de Off. 3, 17. p. 306. monuit, hac formula negari potius rem quam affirmari. Quaerit enim, qui sic loquitur, de veritate rei mirabilis vel incredibilis ita, ut affirmationem praesumat. Germani dicunt *also wirklich?* Graeci ἄληθες; Vid. Erfurdt. ad Sophocl. Oed. Reg. 358. Saepe adiicitur *vero* et *tandem.* Sed comici huic dictioni tribuunt unam vim vehementioris interrogationis: oratores autem eam usurpant cum indignatione et in cavillationibus. Nam praemittunt haec verba semper ipsi interrogationi seorsum posita. Vbi sequitur oratio recta, is, qui quaesivit, sibi ipse respondet. Simplex *ita* non videtur hanc interrogationis formam induisse.

Terent. Andr. 2, 3, 25. *itane credis?* Eun. 5, 8, 28. GN. *Itane?* T. *Sic erit.* Phorm. 2, 2, 1. *itane patris ais conspectum veritum hinc abiisse?* Phorm. 2, 3, 80. *itane es paratus facere me advorsum omnia, infelix?*

Cic. de Div. 2, 40, 83. *itane? si quis aliquid ex sua re atque ex suo sermone dixerit, et eius verbum aliquod apte ceciderit ad id, quod ages aut cogitabis, ea res tibi aut timorem afferet aut alacritatem?* 2, 32, 68. *itane? Censes ante coronam herbae exstitisse, quam conceptum esse semen?* Ita recte interpunctionem correxit Davisius. p. Rosc. Am. 39, 113. *itane est? In minimis rebus qui mandatum neglexerit, turpissimo iudicio condemnetur necesse est: in re tanta — is inter honestos homines — numerabitur?*

Cic. de Nat. d. 2, 4, 11. *itane vero? ego non iustus, qui et consul rogavi et augur et auspicato?* in Verr. 5, 30, 77. *itane vero? tu tua pericula communi periculo defendes.* ad Att. 14, 10.

itane vero? hoc meus et tuus Brutus egit, ut Lanuvii esset? Agrar. 2, 30, 82. in Verr. 1, 15, 40. 5, 30, 77. Phil. 5, 10, 27. de Div. 1, 13, 23. cf. Heindorf. ad Cic. de Nat. d. 2, 4, 11.

Cic. p. Cluent. 65, 182. *quid? Romae quaesitum de istis hominibus non erat? Itane tandem? mulier iam non morbo, sed scelere furiosa — in filii caput quaestionem habere conata est?* Interrogatio restitui debebat. In scriptura, quam Classen recepit, non unum est, quod vehementer displiceat.

Terent. Andr. 1, 5, 7. *id mutavit, quia me immutatum videt. Itane obstinate operam dat, ut me a Glycerio miserum abstrahat?* Vnus Bentleius sensit, quam incepte oratio procederet interrogatione. Sed non opus est particulam *ne* abiiciamus. Scribendum est: *itane? Obstinate — trahat.*

Petron. 25, 4. *ita? inquit Quartilla: minor est ista, quam ego fui quum primum virum passa sum?* Codices *itaque:* nec dubium, quin restituamus *itane?* c. 24, 4. *ita? inquit Quartilla, et Ascylto Embasicoetas detur.* Non est interrogatio, sed affirmatio.

25. *Quid ita?* In his *ita* aut simpliciter indicat rei modum vel eventum, de cuius caussa quaeritur, aut vim addit interrogationi vehementiorem, qua aliquis aliqua re arguitur vel exprobratur, aut qua admiratio de re incredibili exprimitur. Graeci τί δαί; Quare ponitur etiam in ironia, et addita quidem expositione rei improbandae.

Ennius in Alexandro apud Macrob. 6, 2. *o lux Troiae, germane Hector, quid ita cum tuo lacerato corpore miser?* Liv. 27, 34, 13. *si bonum virum ducerent, quid ita pro malo ac noxio damnassent? si noxium comperissent, quid ita male credito priore consulatu alterum crederent?* 3, 40, 10. *quid ita, quum nemo — controversiam fecerit, nunc demum — civiles discordias serant.* Senec. Nat. quaest. 4, 1, 1. *quaeram enim tecum id, quod libro superiori distuli, quid ita Nilus aestivis mensibus abundet.*

Liv. 32, 21, 13. *quid ita passus est Eretriam Carystumque capi? quid ita tot Thessaliae urbes? quid ita Locridem Phocidemque? quid ita nunc Eretriam oppugnari patitur?*

Cic. p. Rosc. Am. 12, 34. *accusatis Sex. Roscium. Quid ita? Quia de manibus vestris effugit, quia se occidi passus non est.* de Nat. d. 1, 35, 99. *quam molestum est, uno digito plus habere? Quid ita? Quia nec ad speciem, nec ad usum alium quinque desiderant.* de Leg. 2, 19, 47. *at, inquit Publii filius, ex patre audivi pontificem bonum neminem esse, nisi qui ius civile*

cognosset. Totumne? Quid ita? Quid enim ad pontificem de iure parietum? de Off. 2, 23, 83. *habitent gratis in alieno? Quid ita? Ut, quum emerim, aedificarim, tuear, impendam, tu me invito fruare meo?*

Liv. 3, 40, 9. *quonam fato incidisset, mirari se dictitans, ut decemviros — aut socii, aut hi maxime oppugnarent? Aut quid ita, quum per tot menses vacua civitate nemo, iustine magistratus summae rerum praeessent, controversiam fecerit, nunc demum, quum hostes prope ad portas sint, civiles discordias serant.*

Non huc referri potest Liv. 6, 15, 11. *at enim quid ita solus ego civium curam ago? nihilo magis, quod respondeam, habeo, quam si quaeras, quid ita solus Capitolium arcemque servaverim.* Neque enim interpungi poterat *at enim quid ita? solus* etc. sed coniungi debent verba in hunc modum: *warum so ganz allein?*

Comparari vero cum illis possunt haec: Liv. 42, 26, 5. *quaesitum, ecquid ita non adissent magistratum, ut ex instituto loca, lautia acciperent?* Non ad *ut* refertur *ita*, sed dicitur *warum so — ? wie so — ?*

26. Nullus est veterum liber, in quo explicando grammatici non monuerunt, post *ut*, *sicut*, aut ante *ut* consequutivum omissam esse particulam *ita*. Quam ob caussam etiam librarii saepissime id, quod omissum existimaverant, addiderunt. Vide Drakenborch. ad Liv. 9, 17, 4. Cognita est natura correlativorum, quorum alterum brevitatis caussa omittere licet: optimus quisque tamen scriptor etiam hoc dicendi genus diligentius curat, nec particulas illas omittit, nisi exacta rerum comparatio aut definitio non requiritur.

Exempla collecta videmus in Lindneri Comment. de Ellips. lat. p. 209. in Ramshornii Gramm. p. 504. p. 771.

27. A criticis multis saepe est disputatum de loco, quem particula haec in sententiis obtinere deberet. Goerenzius modo iudicabat ex gravioris soni ratione, quae ipsa non satis constat, modo transpositae particulae caussam quaerebat in hiatu evitando. At Cicero uti dixit Verr. 4, 49, 109. *non ita antiqua*, sic etiam scribere potuit *non ita attingit* de Leg. 2, 1, 3. quod ille vir doctissimus negavit. Sed alia est caussa. Particula enim ubi alicui vocabulo inhaeret eiusque notionem conformat, necesse est ei praeponatur proximo loco: quando per se stat significans *hoc modo*, aptam invenit

sedem ipsa significatione: ubi sua vi totam sententiam moderatur, priori loco ponitur. Formula *non ita* non potest distrahi, neque *ita* a suo nomine removeri in iis, quae n. 17. exposuimus.

Apud Cic. Acad. 5, 26, 77. *an, si id probas, fieri ita posse negas, ut ii, qui virtutis compotes sint, etiam malis quibus lam affecti, beati sint.* recte ita scribitur, quum verba *fieri* et *ita* non una notione cohaereant. de Div. 2, 2, 6. *neque ego me abdidi, — neque ita gessi, quasi homini aut temporibus iratus, neque ita porro aut adulatus, aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meae poeniteret.* alii libri *neque porro ita.* Gradatio, quam Giesius commemorat, nulla est, sed *porro* hac significatione postponi solet.

Liv. 42, 26, 5. *quaesitum, ecquid ita non adissent magistratum, ut ex instituto loca, lautia acciperent?* Inepte diceretur *non ita* quasi de consilio: factum erat, de quo quaerebant. Liv. 3, 20, 8. *non ita civitatem aegram esse, ut consuetis remediis sisti possit.* Propterea quod *ita* refertur ad *ut*, et graviorem vim habet, poterat ab *aegram esse* seiungi. Cic. de Leg. 2, 1, 3. *sed nimirum me alia quoque caussa delectat, quae te non attingit ita.* ATT. *Quae tandem ista est?* Suspicatus sum olim scribendum esse *itane? quae* etc. Nam qui explicuerunt *ita ut me*, non senserunt languorem orationis. Fortasse scripsit Cicero *quae te non attingit item.*

Valer. Flacc. 8, 318. (334.) *haud ita sed summo segnis sedet aethere Iuno.* Facilius erit construere verba haec dissipata, quam defendere licentiam poetae.

De collocatione verborum *ita se res habet* disputat Goerenzius ad Cic. de Leg. 1, 13, 36. sed parum concinne. *Ita* et *sic* praemittuntur verbis *se habet*, ubi notio sua vi valet: interponuntur autem, ubi cum verbo in unam notionem coeunt: quare illud tum plerumque fit, quum *ut* cum coniunctivo sequitur. Vtrum *se* ante *res* ponatur, an post hoc vocabulum, nil refert. Cic. p. Quint. 1, 2. *verum ita se res habet, ut —.* de Leg. 1, 21, 56. *sed certe res ita se habet, ut —.* Vtrum de Nat. d. 1, 28, 79. *sed tamen ita res se habet* scribas, an *sed ita tamen se res habet* cum aliis libris, non mutat sententiae formam.

Idem Goerenzius in Iahnii Annal. Vol. 1. p. 42. praestare dicit scripturam in Phil. 1, 3, 8. *quae mihi ita placuit, ut ea lecta de reversione coeperim cogitare*, quum legatur in Verr. 2, 6, 17. *nec recuso, quin me ita audiatis, ut —.* At neutrum praestat, sed quum dico *quae ita mihi placuit*, diversus est

sensus. Illud enim significat fere: quae mihi quidem ita placuit: hoc habet pronomen encliticum *mihi*: ἢ οὕτως μοι ἤρεσε.

In formulis *ita me dii ament*, *ita mihi deos propitios velim*, non interponi solere ante pronomen aliud vocabulum, observavit Zumptius ad Cic. Verr. p. 29.

*) Commutantur a librariis *ita* et *item*. cf. Heindorf. ad Cic. de Nat. d. p. 30. Beier. ad Cic. de Off. T. 1. p. 154. T. 2. p. 99. Bene restituerunt *item* critici in Apuleii libro de Deo Socratis p. 135. Oudend. Et *itaque*. vd. Heusinger ad Cic. Off. 1, 2, 8. 3, 30, 8. Gernhard. ad Lael. 21, 80. 25. 96. et *ista*. vd. eumdem illum Heusinger. ad 2, 6, 1. Beierum T. 2. p. 39.

ITAQVE.

In ITAQVE, cuius origo non est dubia, duplex natura voculae *que* videtur nobis observanda. Nam coniunctio duas res vel notiones coniungit ac copulat, syllabicum autem adiicitur vocabulis relativis et demonstrativis, ut iis vim afferat expletivam. Cf. Tom. 2. p. 173. Quare grammatici veteres duo vocabula *itaque* et *itáque* non modo significatione, sed etiam accentu distinguere solebant. Priscianus de Accent. (2, 10.) p. 1288. *sunt quidem tres syllabae, in quibus accentus corrumpitur, que, ne, ve: ut itáque, quando adverbium est: nam quando coniunctio est, itaque dicimus.* Quae an communi usu fuerint stabilita, nescimus. At unum vocabulum, quod erat, mutavit cum tempore significationem suam, et potuit mutare ob duplicem, quam nominavi, encliticae naturam. Per tempora igitur usum persequamur.

I. 1. Antiquo tempore copulativa addebatur verbo *ita*, ut esset *et ita*. Hoc *itaque* ponebatur in altera sententia, praecedente altera particula *ita*, cuius significatio ea est, quam supra exposui.

Plaut. Amph. Prol. 15. *ita huic facietis fabulae silentium, itaque aequi et iusti hic eritis omnes arbitri.* **Truc. 2, 6, 45.** *ita dolui, itaque ego nunc doleo.* **Amph. 2, 2, 130. Cist. 2, 1, 36.** *at ita me di deaeque, superi atque inferi et medioxumi, itaque me Iuno regina et Iovis supremi filia, itaque me Saturnius patruus eius.* **Capt. 1, 5, 18. 4, 2, 98. Pseud. 5, 1, 9. Pers. 5,**

2, 4. Terent. Andr. 3, 3, 18. *immo ita volo, itaque postulo, ut fiat.* ubi Donatus. Hec. 2, 1, 10. 4, 2, 3. 4, 2, 28. *si cetera ita sunt ut vis, itaque ut esse ego illa existumo.*

Caes. B. gall. 1, 52. *ita nostri acriter in hostes signo dato impetum fecerunt, itaque hostes repente celeriterque procurrerunt.* Cic. Brut. 3, 10. *homines — mihi ita cari, itaque iucundi, ut eorum adspectu omnis, quae me angebat, de re publica cura consederit.* Phil. 13, 3, 6. de Fin. 1, 10, 34. Liv. 1, 4, 8. *ita geniti itaque educati, quum primum adolevit aetas — venando peragrare circa saltus.*

2. Hic usus per omnia tempora mansit in coniungendis enuntiationibus, etiam non praecedente *ita*, nec poterat ullum demonstrationis genus inveniri, quod non huic copulationi aptum videretur. Exempla collegit Menckenius Observat. p. 548.

Cic. in Verr. 2, 35, 88. *nunc his locis posita sunt, ut mihi semper Scipionis fore videantur, itaque dicantur.* Div. in Caec. 1, 2. *quum quaestor in Sicilia fuissem, iudices, itaque ex ea provincia decessissem, ut Siculis omnibus iucundam diuturnamque memoriam quaesturae nominisque mei relinquerem.* ad Fam. 13, 30, 3. *peto igitur abs te, ut eum — in meis intimis maximeque necessariis scias esse, itaque tractes, ut intelligat* etc. Cluent. 19, 51. *itaque feci.* i. e. et hoc feci. p. Deiot. 7, 19. de Invent. 2, 24, 72. Cornel. Alc. 4, 2. *inimici vero — illud tempus exspectandum decreverunt, quo exissent, ut sic absentem aggrederentur: itaque fecerunt.* Cic. ad Fam. 5, 11, 2. *itaque faciam.* ubi Cortius. 3, 3, 2. 3, 5, 9. Liv. 3, 30, 7. *tricesimo sexto anno a primis tribunis plebis decem creati sunt, bini ex singulis classibus: itaque cautum est, ut postea crearentur.* ubi vide Drakenb. Fragment. Vatic. 1. *qui a muliere sine tutoris auctoritate sciens rem mancipi emit, vel falso tutore auctore, quem sciit non esse, non videtur bona fide emisse. Itaque et veteres putant et Sabinus et Cassius scribunt.* Conf. Heumanni Poecil. Tom. 2. p. 366. Apud Sallustium nunc legitur Cat. 14, 1. *in tanta itaque corrupta civitate.* vide Kritzium.

3. *Itaque*, quod est *atque ita*, usurpatur proprie in annectendis iis, quae ex ante dictis prodeunt, aut cum iis caussali nexu cohaerent. Sensus hic reddi potest: atque hoc modo, atque eo facto, et ita factum est. Idem Latini saepe simplici vocabulo *atque* exprimunt. Vide Tom. 1. p. 475. Illa vero dictione historici optimi saepe usi sunt.

Plaut. Epid. 3, 3, 46. *ego si allegassem aliquem ad hoc negotium minus hominem doctum — os sublitum esset: itaque me albis dentibus meus derideret filius meritissimo.* **Bacch. 2, 3, 8.** *adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phryxi, itaque tondebo auro usque ad vivam cutem.* **Servi loquaces apud Plautum saepissime in narrationibus usurpant hunc dicendi formam, sicuti apud nos de plebe homines frequentissime pronuntiant** *und so*, *und da.* **Mil. 2, 1, 30. 2, 1, 58. 60, 3, 1. 181. 182. 195.**

Plaut. Rud. 2, 3, 38. *nos cum scapha tempestas dextroversum differt ab illis: itaque nos ventisque fluctibusque iactamur exemplis plurimis miserae perpetuam noctem.*

Cic. post redit. 2, 3. *numquam de me siluistis, numquam meam salutem non ab his consulibus, qui vendiderant, flagitavistis. Itaque vestro studio atque auctoritate perfectum est, ut ille ipse annus — hos tribunos haberet, qui et promulgarent de salute mea et ad vos saepenumero referrent.* **Caes. B. gall. 1, 10.** *Dumnorix gratia et largitione apud Sequanos plurimum poterat et Helvetiis erat amicus —. Itaque rem suscipit. Und so übernahm er die Sache.* **Cic. ad Att. 1, 14.** *ille alter uno vitio minus vitiosus, quod iners, quod somni plenus —: itaque mirum in modum omnes a se bonos alienavit.* **Sallust. Iug. 51, 2. ubi vd. Kritzium.**

II. Postquam vero latina lingua, oratorio ornatu iam insignis, etiam philosophiam complexa erat et vocabula invenerat ad argumentationis usum idonea, particula *itaque* sic usurpari coepit, ut *que* vim copulativam omitteret et aequationi inserviret. Hinc factum est vocabulum, quod in iudiciis conclusionem adderet, et ex antedictis aliud consequens deduceret. Ab *igitur* quomodo differat *itaque*, iam p. 187. exposui. Conclusionem enim format ex rebus ipsis, non tantum ratiocinatione: caussam spectat, quae est in rerum nexu et vicissitudine posita et argumentione adducta.

Grysar in libro de Arte lat. scrib. p. 517. caussam, quam spectat particula, appellat fortuitam. Id omnino est falsum.

1. Hoc in usu primum ea sunt commemoranda, quibus additur consequens, illis similia aut aequalia, quae antea p. 500. demonstravi. Nam quae apud antiquos scriptores modo annecti solebant partes, eae postea in composita oratione iniungebantur, atque copulativa vis particulae in coniungendis enuntiationibus

consequutivis olim adhibita transiit in demonstrativam. Nec male haec a me pronuntiari, monstrat satis ille usus, quo post alia nomina particula interponebatur. Item ex *und so* fit *so nun*, *also*, *daher*. Non pauci scriptores eam amarunt orationis formam, in qua postquam rei factae conditio erat dicta, significabatur id, quod ob hanc caussam fieret aut futurum esset.

Cic. Partit. orat. **6, 22.** *sed multa sunt suavitatis praecepta, quae orationem aut magis obscuram aut minus probabilem faciunt. Itaque etiam hoc loco nobis est ipsis, quid caussa postulet, iudicandum.* ad Att. **1, 14.** *prima concio Pompeii qualis fuisset, scripsi ad te antea, non iucunda miseris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non gravis. Itaque frigebat.* i. e. *daher gebrach das Interesse.* **Caes.** B. civ. **2, 7.** *sed nasidianae naves nullo usui fuerunt, celeriterque pugna excesserunt. — Itaque ex eo numero navium nulla desiderata est: ex Massiliensium classe quinque sunt depressae.* **Cornel.** Phoc. **1, 1.** *etsi saepe exercitibus praefuit, summosque magistratus cepit, tamen multo eius notior integritas vitae quam rei militaris labor. Itaque huius memoria est nulla: illius autem magna fama.* **Curt. 7, 4, 27.** *quod* (sabulum) *ubi cumulatum est, magnorum collium procul species est, omniaque pristini itineris vestigia intereunt. Itaque qui transeunt campos, navigantium modo noctu sidera observant, ad quorum cursum iter dirigunt.* **Horat.** Epist. **1, 1, 10.** *nunc itaque et versus et cetera ludicra pono.*

Quintil. 9, 4, 1. *de compositione non equidem post M. Tullium scribere auderem —, nisi et eiusdem aetatis homines — reprehendere id collocandi genus ausi fuissent, et post eum plures multa ad eamdem rem pertinentia memoriae tradidissent. Itaque accedam in plerisque Ciceroni.* **Tacit.** Agr. **10.** *Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos, non in comparationem curae ingeniive referam, sed quia tum primum perdomita est. Itaque quae priores nondum comperta percoluere, rerum fide tradentur.* **Walchius** male interpretatur *et ita.* **Quintil. 6, 3, 101.** *has aut accepi aut inveni frequentissimas, ex quibus ridicula ducerentur: sed repetam necesse est, infinitas esse tam salse dicendi quam severe: quas praestat persona, locus, tempus, casus denique, qui est maxime varius. Itaque haec, ne omisisse viderer, attigi, illa autem — adeo infirma, sed plane necessaria.* **Sallust.** Cat. **41, 3.** *haec illis volventibus tandem vicit fortuna rei publicae. Itaque Q. Fabio Sangae — rem omnem, uti cognoverant, aperiunt.* i. e. *dem zu Folge.*

Quintil. 1, 5, 31. *praeterea numquam in eadem flexa et acuta.*

quoniam eadem flexa et acuta: itaque neutra claudet vocem latinam. Mutant *utique.* At concludit Quintilianus ita: quae flexa, etiam acuta est: atqui acuta numquam est ultima: itaque neutra claudet vocem latinam.

2. In demonstratione rerum ponitur *itaque*, ubi cogitandum est: ex hac re consequitur, ex hoc colligi potest, hinc efficitur ut statuamus. Procedit demonstratio ab uno ad alterum argumentum: quo fit, ut plures enuntiationes proxime appositae praefixum habeant *itaque.* Vide Cic. de Fin. 4, 14, 37. In his autem *itaque* non multum abest a significatione vocabuli *igitur.*

Cic. de Leg. 2, 1, 2. *ductus vero aquarum, quos isti nilos et euripos vocant, quis non, quum haec videat, irriserit? Itaque ut tu paullo ante de lege et de iure disserens ad naturam referebas omnia, sic in his ipsis rebus, quae ad requietem animi delectationemque quaeruntur, natura dominatur.* 1, 8, 24. *nam quum de natura omni quaeritur, disputari solet, et nimirum ista, ut sint, disputantur, perpetuis cursibus conversionibusque coelestibus exstitisse quamdam maturitatem serendi generis humani: quod sparsum in terras atque satum, divino auctum sit animorum munere: quumque alia, quibus cohaerent, homines e mortali genere sumserint, quae fragilia essent et caduca: animum esse ingeneratum a deo. Ex quo vere vel agnatio nobis cum coelestibus vel genus vel stirps appellari potest. Itaque ex tot generibus nullum est animal praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei.* Quintil. 8. Prooem. 5.

3. Praemissa generali sententia, additur per *itaque* exemplum, quod aut confirmat antecedens dictum, aut rem aliquam in illo genere sitam esse ostendit. In his significatio particulae *que* saepe ad eam prope accedit, quae est *quoque.* Est enim *auf diese Weise, auf gleiche Weise.*

Cic. de Fin. 2, 4, 12. *quod vestri quidem vel optime disputant, nihil opus esse, eum, qui philosophus futurus sit, scire litteras. Itaque, ut maiores nostri ab aratro abduxerunt Cincinnatum illum, ut dictator esset, sic vos de pagis omnibus colligitis bonos illos quidem viros, sed certe non pereruditos.* h. e. ut illud disputant, ita vos — colligitis.

Cic. Acad. 1, 7, 26. *earum igitur qualitatum sunt aliae principes, aliae ex iis ortae. Principes sunt uniusmodi et simplices: ex iis autem ortae variae sunt et quasi multiformes. Itaque aër — et ignis et aqua et terra prima sunt.* Librarii quidam, ut sententiam clarius redderent, adiecerunt *quoque.* 2, 31, 99. *duo*

placet esse Carneadi genera visorum: in uno hanc divisionem: alia visa esse, quae percipi possint: alia, quae non possint: in altero autem: alia visa esse probabilia, alia non probabilia. Itaque quae contra sensus contraque perspicuitatem dicantur, ea pertinere ad superiorem divisionem: contra posteriorem nihil dici oportere. Quintil. 5, 13, 14. expositis iis, quae in pluribus simul aggrediendis et in amoliendis singulis praestent, addit haec: *itaque propositio quoque secundum hanc utilitatem accommodabitur, ut nunc singula ostendamus, nunc complectamur universa.* Curt. 3, 2, 17. *erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi suam naturam plerumque fortuna corrumperet. Itaque veritatis impatiens, hospitem ac supplicem — abstrahi iussit ad capitale supplicium.*

4. Eadem caussa ibi apparet, ubi aliud exemplum demonstrationi, aliud argumentum argumento additur, continuata conclusione.

Cic. Acad. 2, 25, 79. *eo enim rem demittit Epicurus, si unus sensus semel in vita mentitus sit, nulli umquam esse credendum. Hoc est confidere suis testibus et importune insistere. Itaque Timagoras Epicureus negat sibi umquam, quum oculum torsisset, duas ex lucerna flammulas esse visas.* i. e. *auf gleiche Weise.* de Fin. 2, 10, 32. *nec tamen argumentum hoc Epicurus a parvis petivit, aut etiam a bestiis —, ut diceret ab his duce natura hanc voluptatem expeti nihil dolendi. Neque enim haec movere potest appetitum animi: nec ullum habet ictum, quo pellat animum status hic non dolendi. Itaque in hoc eodem peccat Hieronymus.* i. e. item Hieronymus peccat summum bonum in non dolendo ponens. 2, 4, 11. *itaque hoc frequenter dici solet a vobis, non intelligere nos, quam dicat Epicurus voluptatem.* Haec reddi debent *auf gleiche Weise.* de Nat. d. 1, 31, 85. *video nonnullis videri, Epicurum, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis reliquisse deos, re sustulisse. Itaque in illis selectis eius brevibusque sententiis, quas appellatis κυρίας δόξας, haec, ut opinor, prima sententia est: quod* etc. Critici, qui *itaque* conclusionis particulam esse existimarunt, nesciebant, quo eam referrent, nec quomodo proxima verba annecterent: unde natae sunt ineptae opiniones. At *itaque* traducit ad aliud exemplum ambiguitatis, qua Epicurus usus esse videbatur.

5. Supra diximus *itaque* poni pro *atque ita.* Hoc apud philosophos in eum modum usurpatur, ut copulativa vis particulae evanescat et una maneat potestas continuandi et cum aliis comparandi. Quamobrem saepe idem est quod *atque*, cuius vis aequandi a nobis est de-

monstrata: saepe etiam pro *ita* accipi potest: interdum, ubi additur argumentum rei ante dictae, explicari licet verbis *etenim*, *nam*.

Cic. de Fin. 2, 10, 32. *at ille pellit, qui permulcet sensum voluptate. Itaque Epicurus semper hoc utitur, ut probet, voluptatem natura expeti.* Codices quidam substituunt *atque*.

6. Ii, qui rerum factarum continuam seriem exponunt, per *itaque* transeunt ad aliud quid, quod aut ex priore re processit, aut temporis nexu cum ea cohaeret, ubi nos *so nun* dicimus. Hic autem rerum nexus grammaticos eo induxit, ut dicerent significari *praeterea*, *insuper*. Saepissime utitur hoc vocabulo Iustinus.

Cic. p. Cluent. 8, 25. *quatuorviros, quos municipes fecerant, sustulit: se a Sylla et alios tres praeterea factos esse dixit: et ab eodem sibi esse imperatum, ut Aurium illum, qui delationem nominis et capitis periculum ostentarat et alterum Aurium et eius C. filium — proscribendos interficiendosque curaret. Itaque illis crudelissime interfectis non mediocri ab eo ceteri proscriptionis et mortis metu terrebantur.*

7. Transitus fit per particulam *itaque* ad aliam sententiam, ut ex antecedentibus colligamus caussam argumentationis. Interdum oratio dissoluta esse videtur, in qua cogitatione nectendae sunt res.

Cic. p. Coel. 6, 14. *huius in magnis catervis amicorum si fuit etiam Coelius, magis est, ut ipse moleste ferat se errasse, sicuti nonnumquam in eodem homine me quoque erroris mei poenitet, quam ut istius amicitiae crimen reformidet. Itaque a maledictis pudicitiae ad coniurationis invidiam oratio est vestra delapsa.* h. e. quae quum ita sint, et quum vos cognoveritis vestra impudicitiae maledicta non constare, ea reliquistis et crimina intendere coepistis coniurationis. Quintil. 9, 4, 16. expositis compositionis virtutibus transit ad demonstrandum veterum usum: *itaque ut confiteor pene ultimam oratoribus artem compositionis, quae perfecta sit, contigisse, ita illis quoque priscis habitam inter curas — puto.*

8. Erunt fortasse, qui hunc usum negent antiquissimis scriptoribus fuisse incognitum, idque exemplis e Plauti comoediis depromptis demonstrent. Tamen in his quoque inest *et ita*. Neque enim illud *ita*, quod consequentiam et conclusionem indicat, non admittit *que*. Dicebant igitur veteres Latini *itaque* pro *et quum ita*

sit, *und so*, vel pro *et ob hanc caussam.* Nec desunt loci apud recentiores scriptores, ad quos hanc explicationem adhibeas.

Plaut. Amph. 1, 1, 110. (115.) *et enimvero, quoniam formam cepi huius in me et statum, decet et facta moresque huius habere me similes item: itaque me malum esse oportet, callidum, astutum admodum.* **Stich. 1, 3, 39.** *haec verba subigunt me —, ut faciam praeconis compendium itaque auctionem praedicem, ipse ut veneam.* **Asin. 2, 4, 14.** *abscede et sine me hunc perdere, qui semper ira incendit: cui numquam unam rem me licet semel praecipere furi, quin centies eadem imperem atque ogganniam. Itaque iam hercle clamore ac stomacho non queo labori suppeditare.* **Aul. 2, 2, 1.** *praesagibat mihi animus, frustra me ire, quom exibam domo. Itaque abibam invitus.* **Capt. Prol. 37. Poen. 4, 2, 12. Mil. 2, 1, 14.** *is deridiculst, quaqua incedit, omnibus: itaque hic meretrices labiis dum ductant eum, maiorem partem videas valgis saviis.*

Cic. de Nat. d. 3, 17, 44. *sed ut Stoicos nihil de diis explicare convinceret. Itaque insequebatur.* **de Fato 4, 7.** *Athenis tenue coelum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis, itaque pingues Thebani et valentes.*

9. Rhetoricum usum particulae cernimus in iis, quae, interposita alia sententia, continuant orationem interruptam et suspensam: quam rem bene declaravit Gronovius ad Liv. 2, 12, 2. Quae Goerenzius ad Cic. Acad. 1, 12, 45. affert exempla, alieni sunt generis.

Cic. Catil. 2, 2, 4. *utinam ille omnes secum suas copias eduxisset. Tongilium mihi eduxit, quem amare in praetexta coeperat. — Reliquit quos viros! quanto alieno aere! quam valentes! quam nobiles! Itaque ego illum exercitum et gallicanis legionibus et hoc delectu, quem in agro piceno et gallico Q. Metellus habuit — magnopere contemno.* **Cic. Acad. 1, 12, 44.** *cum Zenone — ut accepimus, Arcesilas sibi omne certamen instituit, non pertinacia aut studio vincendi, ut mihi quidem videtur, sed —* (sequitur caussae expositio). — *Itaque Arcesilas negabat esse quidquam, quod sciri posset.* **Liv. 2, 12, 2.** *quum C. Mucius, adolescens nobilis, cui indignum videbatur populum romanum servientem, quum sub regibus esset, nullo bello nec ab hostibus ullis obsessum esse, liberum eumdem populum ab iisdem Etruscis obsideri, quorum saepe exercitus fuerit: itaque magno audacique aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus, primo sua sponte penetrare in hostium castra constituit.*

10. Huius digressionis et annectendae orationis genus maxime occupat parenthesin et ea, quae parenthesis in modum interponuntur. Post ea enim non modo vocabulum *igitur*, sed etiam *itaque* restituere solet orationis turbatae continuationem. Cf. Davis. ad Cic. de Fin. 1, 6, 19.

Cic. de Amic. 1, 2. *quum saepe multa, tum memini domi in hemicyclio sedentem, ut solebat, — in eum sermonem illum incidere, qui tum fere multis erat in ore. Meministi enim profecto, Attice, — — quanta esset hominum vel admiratio vel querela. Itaque tum Scaevola quum in eam ipsam mentionem incidisset* etc. Acad. 2, 31, 99.

11. Atque hoc etiam fit in iis, quae speciem prae se ferunt anacoluthiae. Restituitur orationis tenor, atque per *ita* ad animum iterum revocatur id, quod interpositis aliis verbis remotum est.

Cic. de Fin. 1, 6, 19. *deinde ibidem homo acutus, quum illud occurreret, si omnia deorsum e regione ferrentur, et, ut dixi, ad lineam, numquam fore, ut atomus altera alteram posset attingere: itaque attulit rem commenticiam: declinare dixit* etc. Apodosin videmus in verbis *attulit rem c.*: sed interposita verba nexum sustulerunt: quare *itaque* dixit Cicero, quod est *quum hoc occurreret*. Manutius et Ernestius alienam esse censuerunt particulam: quae Goerenzius affert, prorsus diversa sunt.

12. Quam in *igitur* observamus vim ad expositionis negotium suscipiendum et ad orationem incipiendam, eam grammatici tribuerunt etiam particulae *itaque*, raritate exemplorum non admoniti, ut de ratione quaererent. Equidem vero quum respicio ipsos locos, quos illi afferunt, opinionem valde dubiam esse existimo.

Cic. Partit. orat. 7, 23. c. F. *Reliquum est igitur, ut dicas de conversa oratione atque mutata.* c. P. *Est itaque id genus totum situm in commutatione verborum.* Editio veneta a. 1485. *est quidem.*

13. Negant Bothius et Lindemannus in notis ad Capt. 3, 1, 8. a Plauto umquam *itaque* positum esse cum vi explicativa in sententiis, quibus ea, quae antecedunt, comprehenduntur: quod demonstravimus in *ita* p. 485. Idemque Bothius mirabili argumentatione in notis ad Plaut. Cist. p. 250. docet, *itaque* ob *que* co-

pulam, quae ante dictis aliquid addat, non dici posse pro *ita*, quoniam caussa rei antecedat, non consequatur eam. Quasi caussa non possit alicui sententiae addi declarationis gratia. At non satis compertum habuisse viri docti videntur usum antiquum Plauti, quo *itaque* etiam pro *ita* positum videmus annexa copula, quae abesse potest.

Plaut. Epid. 1, 1, 77. *tantae in te impendent ruinae: nisi suffulcis firmiter, non potes subsistere: itaque in te irruunt montes mali.* **Poen. 1, 1, 70.** *inest amoris macula huic homini in pectore, sine damno magno quae elui neutiquam potest. Itaque hic scelestus est homo leno Lycus.* **Pers. 4, 3, 11.** *hunc ego hominem hodie in transennam doctis ducam dolis: itaque huic insidiae paratae sunt probe.* **Stich. 2, 1, 3.**

Mil. 5, 16. *viduam esse censui: itaque ancilla, conciliatrix quae erat, dicebat mihi.* **Pers. 4, 3, 35.** *neque isto redire his octo possum mensibus. Itaque hic est, quod me detinet, negotium.* **Explicari hoc poterit** *nam hic est* **etc. Eodem modo Cist. 4, 2, 1.** *nisi quid mihi opis di dant, disperii, neque unde auxilium expetam habeo. Itaque petulantia me animi miseram habet.* **Metrici expediant numeros: verbum** *itaque* **non est vitio correptum.**

14. Scriptores quidam coniungere solebant particulas *itaque ergo:* de qua re vide Tom. 2. p. 465.

15. Livius composuit vocabula *tum itaque*, ubi meliores scriptores alterum utrum omisissent.

Liv. 22, 24, 8. *tum itaque ut exiguum spatii vallum a vallo aberat, — equitatus — late caedem fugamque hostium palatorum fecit.*

16. Collocantur verba *itaque — quoque*, ut dicatur aliud quid pariter effici aut consequi.

Curt. 4, 6, 22. *oppidani ad pristinum fastigium moenium novum exstruxere munimentum: sed ne id quidem turres aggeri impositas poterat aequare. Itaque interiora quoque urbis infesta telis erant.* **Quintil. 5, 13, 14. vide p. 504.**

17. Quemadmodum *sic adeo* dicebatur, de quo Tom. 1. p. 146. expositum est, etiam componebantur verba *itaque adeo*, quae reddas *und so eben*, καὶ οὕτως γε.

Plaut. Men. 5, 1, 14. *non tu scis mulier, Hecubam quapropter canem Graii esse praedicabant?* MV. *Non equidem scio.* ME.

Quia idem faciebat Hecuba quod tu nunc facis: omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat. Itaque adeo iure coepta appellari est canis. Fragm. apud Gell. 3, 3. *itaque adeo iam oppletum est oppidum solariis.* Terent. Hec. 2, 1, 3. *itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus.*

18. Notanda est etiam forma orationis, in qua praemisso *itaque* expositio rei fit per particulas *quum, dum, si.*

Liv. 22, 16, 5. *itaque quum per Casilinum evadere non posset* etc. Iustin. 36, 1, 4. *itaque quum et Parthorum et Elymaeorum — auxiliis iuvaretur* etc. 22, 8, 8. *quum itaque in castra fugisset* etc.

Varro de Re r. 1, 2, 12. *itaque dum id nobiscum una videatis* etc. Phaedr. 1, 27, 7. *itaque aurum dum custodit* etc.

Varro de Re r. 1, 2, 2. *itaque si ita est, ut annuis, morere nobiscum oportet.*

19. Multum est a grammaticis de positura particulae disputatum. Vide Zumptii Gramm. 357. p. 322. Boetticheri Lexic. Tacit. p. 237. Equidem ea tantum exponam, quae ipse inveni. Atque Cicero et Caesar semper posuerunt particulam in initio enuntiationis. Nam quod in Partit. orat. 7, 23. legitur *est itaque*, dubia est scriptura alias ob caussas, ut iam monui. In Phil. 7, 3, 8. *itaque ego ille, qui semper pacis auctor fui cuique pax, praesertim civilis, quamquam omnibus bonis, tamen in primis fuit optabilis: omne enim curriculum industriae nostrae in foro, in curia, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est: hinc honores amplissimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, si quam habemus, consequuti sumus: ego itaque pacis, ut ita dicam, alumnus* etc. Hic *itaque* vicem praestaret verbi *igitur* in oratione post parenthesin restituenda. At codex vaticanus habet *igitur:* quod Orellius ne memoravit quidem. Atque ita scripsit Cicero: sed librarii, qui vocabulum *itaque* supra dictum hic iterum esse ponendum existimaverant, idem substituerunt. Livii tempore, primaria significatione oblitterata, et particula pro *igitur* accepta, scriptores haud contemnendi eam secundo loco vel tertio ponere consueverunt. Cf. Boschii Praef. in Antholog. graec. Tom. 4. p. 5.

Plancus ad Cic. 10, 15, 2. *Namque assiduis internuntiis cum Lepido egi, ut — communi consilio rei publicae succurreret, —*

obsequioque meo, si ita faceret, ad omnes res abuteretur. Profeci itaque per Laterensem internuntium. Acute sensit Ernestius, quam incommodum aut absonum esset *itaque*, quod nemo explicuit: coniecit ille igitur *profecique.* Epistola haec est non magna arte, sed negligenter composita, in qua nec antecedens *ita*, uti Ernestio videbatur, offensionem habet, nec haberet duplex *que*, quod Orellio displicuit. Persuasum mihi est, Plancum scripsisse: *profeci utique per Laterensem internuntium.* ut Cic. ad Att. 16, 11. *Romam utique statim.* 12, 41. *hoc quidem utique perficies.* Apud Livium 8, 13, 17. Sigonii emendatio etiam quorumdam codicum testimonio confirmatur: *et vestram utique de iis curam quam primum absolvi, et illorum animos — seu poena seu beneficio praeoccupari oportet.* Vulgo *itaque.*

Liv. 34, 34, 9. *versis itaque subito voluntatibus.* 32, 16, 7. *intra paucos itaque dies — repleta omni rerum copia sunt castra.* 6, 17, 8. *non negatur itaque tantum de captivis.* 4, 54, 6. *pro ingenti itaque victoria id fuit plebi.* 3, 20, 4. Curt. 7, 10, 7. *quaero itaque, an vivere velitis non inimici mihi?* Hunc unicum esse locum, in quo Curtius ita loquutus sit, observavit Io. Henr. Ernesti. Sueton. Aug. 10. 25. et saepe alias. Quintil. 1, 1, 14. 5, 10, 57. 6, 3, 28. 8. Pro. 16. 10, 4, 3. 11, 1, 85. 11, 1, 63. Iustin. 11, 12, 9. et saepe. Horat. Epist. 1, 1, 10. Dubitari tamen potest de hac collocatione: nam librarii saepe, ut orationi nexum adderent, inopportuno loco interposuerunt *itaque.* Vide Drakenb. ad Liv. 6, 17, 8.

Plin. Hist. n. 18, 6, 8, 2. *omnibus sententiis absolutus itaque est.* Apud Quintilianum 12, 10, 62. corrupta legi verba omnes critici consentiunt. Scribendum mihi videtur: *hic iram, hic misericordiam inspirabit, hic iudicis fidem appellabit et flebit. Et per omnes affectus tractatus hic utique illum sequetur, nec doceri desiderabit.* Conf. Cic. p. Flacc. 42, 106.

20. Non pauci inveniuntur loci, in quibus haec particula duobus enuntiationibus proximis est praefixa, sive in diversa sententia, sive in simili conclusione. Nullam veteribus praebuit haec repetitio offensionem, neque ubi *ita* in eadem sententia positum erat. Critici autem nostri de vitio cogitare solent.

Cic. de Fin. 2, 10, 32. *itaque in hoc eodem peccat Hieronymus. At ille pellit, qui permulcet sensum voluptate. Itaque Epicurus semper hoc utitur* etc. de Orat. 1, 28. male disputat Heindorf. ad libr. de Nat. deor. p. 83.

Vellei. Pat. 2, 20, 2. *itaque, quum ita civitas Italiae data esset* etc. Cf. Miscell. Observ. Tom. 8. p. 44.

*) A librariis cum hac voce saepe sunt commutata *utique*. Vid. Plaut. Mil. 3, 1, 195. Drakenb. ad Liv. 7, 28, 3. 8, 13, 7. *atque*. Idem ad 5, 21, 17. *ita*. Heusing. et alii ad Cic. de Off. 1, 2, 6. 3, 2, 3. Drakenb. ad Liv. 21, 53, 7. *igitur*. Zumpt. ad Quintil. 8, 4, 12. Addidere *itaque* saepe nectendae orationis caussa. Vid. Drakenb. ad Liv. 27, 23, 7.

ITATENVS.

In novis illis vocabulis, quae postrema latinitatis aetas conformavit, erant quaedam cum adverbio *tenus* composita. Dicebant enim *adeotenus* et *itatenus*.

Claudianus Mamertus, scriptor saeculi Christianorum quarti, de Statu animae 2, 10. (11.) *duoque ista itatenus uniuntur, ut sint et negotio et sensu et verbo indiscriminalia.* ubi vide Barth. 2, 13. *sana quippe catholicae fidei doctrina itatenus intersito gradu ab imis ad media, a mediis ad summa conscendit, ut — in tertium coelum Pauli pedissequos rapiat.*

ITEM.

Quo modo ITEM ex ea stirpe, cui *is*, *ita*, *idem* assignavimus, prognatum sit, iam p. 467. expositum est. Syllaba *tem* enim accusativi est forma in terminationem adverbii adhibita: de qua Tom. 1. p. 559. dixi. Reddi potest eius vis per voculam *eben*, ut *item* significet *eben so:* sicuti *autem* est *dagegen eben*. Quae Lischius in Iahnii Annal. Tom. 11. p. 26. disseruit, ut demonstraret hac syllaba superlativum pronominis significari, ea ne specie quidem veritatis fallere possunt.

Caninius et Petrus Nunnesius *item* opinabantur per transpositionem litterarum factum esse ex ἔτι. Gerh. Vossius vel ab *ita* derivandum putabat, vel ortum ex *itidem* per syncopem: quam sententiam rursus, tamquam novam, proposuit Hartungius de Particul. graec. Tom. 1. p. 157. me acriter perstringens, quasi hanc originationem nescivissem et *tem* cum *dem* inscite commiscuissem. At meam sententiam etiamnunc probo. Nam syllabae *tem* et *dem* unius sunt generis et rationis, et potestatem habent distinctionis demonstrativam, quemadmo-

dum etiam in graeca lingua τὲ et δὲ communem habent naturam demonstrativam. Nemo non videt contractione non opus esse in iis, quae ipsa habent formam explicitam. Vide ITIDEM.

Item quum sit correlativum vocabulum, alteram relationis partem vel ex adverso oppositam sibi habet, vel eam cogitatione substitui iubet. Significat *eodem modo*. Nam quod cum Donato alii grammatici multi dixerunt, esse *similiter*, id non quadrat omnino. Quae enim similiter fiunt, non semper fiunt *eodem modo*. Neque vero id obscurum est, quo differt vocabulum *ita*, a librariis et a grammaticis saepe cum *item* commutatum. Qua de re disputavit Hermannus in Comment. de Bentleio p. 15. inquiens: „*ita* significat *eo modo*, *item* autem *eodem modo*. Vnde similia quum comparantur, recte dicitur *item*, non etiam ubi exemplum affertur, comprehensum iam iis, quibus quia comprehensum est, est etiam simile. Cui rei significandae *ita* aptum est.“ Discrimen vero, quod Bentleius non satis considerasse visus est, non in ipsis vocabulis erat situm, sed in forma componendarum sententiarum. Nemo enim reprehendet eum, qui dixerit: hic malas scribit fabulas: itemque Phasma scripsit. Non potest enim *item* poni in exemplo explicationis caussa adiiciendo, sed potest una aliqua res cum toto genere aequiparari, atque dici: hic ut malas scripsit fabulas, item scripsit Phasma. Differunt igitur illa vocabula ea ratione, qua *is* et *idem*: *ita* definit modum, *item* indicat unum esse eum modum, nec similia comparat, sed aequalia, unitatem conditionis vel modi significans. Quare saepe gradu distinguuntur ad constituendam aequalitatem rerum, et quae alias *ita*, ut dictum est, fieri, alias narrantur fieri *item*, ut dictum est.

1. Ex altera parte collocantur relativa *ut*, *quemadmodum*, *sicuti*, sive ea praecedunt, sive sequuntur, et pronomen relativum.

Varro de Ling. L. 8, 38. (9, 59.) *dei et servi nomina quod non item ut libera nostra transeunt, eadem est caussa.* Dici poterat *non ita ut:* illud autem significat *nicht auf dieselbe Weise, ganz so.*

Plaut. Amph. 3, 3, 5. *proinde heri ut sint, ipse* (servus) *item sit.* Cic. Acad. 2, 13, 42. *ut enim de sensibus hesterno sermone vidistis, item faciunt de reliquis.* de Leg. 2, 5, 11. *ergo ut illa*

divina mens summa lex est, item, quum in homine est, perfecta est in mente sapientis. Verr. 4, 59, 132. *nam ut ante demonstrabant, quid ubique esset, item nunc, quid undique ablatum sit, ostendunt.* Librarii vocabulum *ite* saepe mutarunt in *ita*, nec potest semper argumento sententiae demonstrari, utrum praestet. Ita differunt libri in Cic. Tusc. 5, 3, 9. nec reprehendi poterit ipsum *ita*. Neque aliter de Fin. 3, 14, 38. et 5, 10, 30.

Plaut. Pseud. 3, 2, 21. *non ego item coenam condio, ut alii coqui.* Curc. 4, 2, 13. *item genus est lenonium inter homines —, ut muscae culices pedesque pulicesque.* Capt. 4, 2, 104. *quia enim item asperae sunt, ut tuum victum autumabas esse* Codices tres *ita*, quod ipsum non malum. Varro de Ling. L. 5, 7. (6, 53.) *et sic compositilia alia item, ut declinata multa.* Cic. Orat. 60, 202. *ita fit, ut non item in oratione, ut in versu, numerus exstet.* de Inv. 2, 54, 165. *quae omnia item, uti contraria rerum bonarum, in rebus vitandis reponemus.* Verr. 4, 9, 21. *fecisti item, uti praedones solent.* Sallust. Iug. 47, 4.

Plaut. Capt. Prol. 55. *non pertractate facta est, neque item ut ceterae.*

Cic. in Verr. 2, 22, 54. *ita caussa componitur, ut item palaestritae bidenses peterent ab Epicrate hereditatem, quemadmodum palaestritae syracusani ab Heraclio petissent.*

Cic. de Orat. 1, 26, 118. *nullae enim lites neque controversiae sunt, quae cogant homines sicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti.* Cf. Heusingeri Observat. p. 112. de loco Lactant. 6, 23, 18.

Plaut. Amph. 2, 1, 67. (64.) *Davo prognatum patre eodem, quo ego sum, forma, aetate item, qua ego sum.* Curc. 2, 3, 54. *respondit mihi paucis verbis atque adeo fideliter, quod tibi est, item sibi esse magnam argenti inopiam.*

2. His vocabulis, quae particulae *item* respondent, annumerari potest *quasi:* nec improbabilis esset usus vocabuli *quam*, si exempla comprobarent usum: sed adhuc desunt. Quod vero Anton. Schorus in Phrasibus negaverat, *item* post se habere etiam *ac* et *atque*, Schwartzius iis exemplis demonstratum ivit, quae iam Hadrianus Cardinalis attulerat. At sunt ea maximam partem alieni generis. Quae rem confirment, pauca inveniuntur.

Plaut. Poen. 1, 2, 31. *soror, cogita, amabo, item nos perhiberi, quasi salsa muriatica esse autumantur sine omni lepore et sine*

suavitate, nisi multa aqua usque et diu macerantur. Rud. 3, 4, 27. *quasi murteta iuncis, item ego vos virgis circumvinciam.* De loco dubio Livii 39, 19, 5. longum est hic disputare.

Vt *quam* post *item* positum compararent, afferebant Cic. ad Att. 14, 12. Sed ibi nunc omnes critici interpunctionem mutaverunt, et cum Gronovio scripserunt *quamquam.*

Varro de Ling. L. 9, 4. (10, 74.) *analogiae non item ea definienda, quae dirigitur ad naturam verborum, atque illa, quae ad usum loquendi.* Non huc pertinent loci 8, 40. (9, 67.) *quare in utraque denique re scindere conantur analogiam et quom in dissimili re similia vocabula quaerunt, et quom item ea, quae metimur, atque ea, quae numeramus, dici putant oportere.* Varr. de Re r. 2, 7, 15. nam in iis *atque* est *et:* sicuti apud Cic. ad Att. 2, 24. *quare ut Numestio mandavi, tecum ut ageret, item atque eo, si potest, acrius te rogo, ut plane ad nos advoles.* De Plaut. Rud. 4, 3, 71. vid. n. 7.

3. In comparatione rerum *item* significat aequalitatem vel similitudinem conditionis: nam ipso hoc vocabulo non distinguitur, utrum aequalitas omnes rei partes, an aliquot comprehendat.

Plaut. Capt. 1, 1, 12. *quasi quom caletur, cochleae in occulto latent, suo sibi succo vivunt, ros si non cadit: item parasiti rebus prolatis latent in occulto, miseri victitant succo suo.*

Plaut. Bacch. 4, 9, 28. *vinctus sum, sed dolis exemi: item se ille servavit dolis.*

4. Id, cui aliquid aequiparandum est, saepissime exprimitur verbis, quae antecedunt, atque ad ea respicit *item:* saepe etiam omittitur altera pars comparationis, ubi, quod conferamus, ex ipsa sententia intelligitur. Tum *item* est *pariter*, et prope accedit ad significationem particularum *quoque* et *etiam.* Vide n. 12.

Caes. B. gall. 1, 36. *Ariovistus respondit, ius esse belli, ut, qui vicissent, iis quos vicissent, quemadmodum vellent imperarent: item populum romanum victis non ad alterius praescriptum, sed ad suum arbitrium imperare consuesse.* 1, 43.

Plaut. Rud. 4, 3, 86. *hunc meum esse dico.* TR. *Et ego item esse aio meum.* Plaut. Amph. 5, 2, 5. *Alcumenae usuram corporis cepi et concubitu gravidam feci filio. Tu gravidam item fecisti.* i. e. item ut ego. Edit. parm. *etiam.* As. 2, 2, 108. LE. *Quaeso aequo animo patitor.* LI. *Patitor tu item.* Cic. in

Verr. 4, 19, 41. *litterae mittuntur isti a patre vehementes, ab amicis item.* ad Fam. 9, 13, 2. *qui est item Calenus, Leptae nostri familiarissimus.* de Fin. 5, 28, 83. *ut item sapiens fuerit.*

Sallust. Cat. 42, 3. *ex eo numero complures Q. Metellus Celer praetor ex senati consulto, caussa cognita, in vincula coniecerat: item in ulteriore Gallia C. Murena.* 51, 36. *potest alio tempore, alio consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi.*

Terent. Andr. 1, 1, 62. *item alio die quaerebam.*

5. Quemadmodum *ita ut*, *sicut* in prima parte sententiae collocari solent (vide p. 470.), etiam *item ut*, hoc est *eben so wie*, componuntur. *Vt item* coniunxit Plautus sequente *pariter*.

Plaut. Rud. 2, 4, 4. *accipiam hospitio, si mox venis, item ut affectam.* Cist. 1, 2, 21. *eamdem puellam peperit, quam a me acceperat, sine obstetricis opera et sine doloribus, item ut aliae pariunt, quae malum quaerunt sibi.* Capt. 5, 4, 11. Men. 5, 7, 49. Poen. 1, 1, 15. Pseud. 3, 2, 79. *quia sorbitione faciam ego te hodie mea, item ut Medea Peliam concoxit senem.* Terent. Heaut. 3, 1, 8. *item ut alium meum amico atque aequali suo video inservire et sociam esse in negotiis, nos quoque senes est aequum senibus obsequi.* 5, 4, 12. *non, si ex capite sis meo natus, item ut aiunt Minervam esse ex Iove, ea caussa magis patiar.* Quae male explicuit Kritzius ad Sallust. Cat. 27, 2. Phorm. 2, 3, 66.

Plaut. Asin. Prol. 14. *ut vos item alias, pariter nunc Mars adiuvet.*

6. Proprie componitur *item* cum nomine *omnia*, sicut *pariter*, et cum nominibus *cetera*, *reliqua*.

Cic. de Orat. 3, 46, 181. *hoc in omnibus item partibus orationis evenit.*

Cic. de Orat. 2, 27, 118. *et item de ceteris rebus eiusdem generis.*

7. Opponuntur duae res similes aut idem facientes aut ad unam rem relatae, et per *item* aequantur: veluti *ego item feci* est ex altera parte ego quoque idem feci. Additur etiam *contra*, quod est ex altera parte contraria. Vide Tom. 2. p. 122.

Plaut. Pers. 1, 1, 48. *quaere tamen: ego item sedulo, si quid erit, faciam ut scias.* Aul. 3, 2, 17. *volo scire, sinas an non sinas nos coquere hic coenam?* EV. *Volo scire item ego meae domi*

meane salva futura? Men. 2, 3, 7. *atque eccum video, qui mihi est usui et plurimum prodest: item huic ultro fit, ut meret, potissimus nostrae domi ut sit.* Capt. 2, 3, 56.

Lucret. 2, 576. *nunc hic, nunc illic superant vitalia rerum, et superantur item.* Plaut. Rud. 4, 3, 71. *sunt alii puniceo corio, magni item atque atri.* i. e. et alii quoque magni et atri.

Plaut. Aul. Prol. 18. *atque ille vero minus minusque impendio curare minusque me impartire honoribus. Item a me contra factum est: nam item obiit diem.* Amph. 1, 1, 66. *nos nostras more nostro et modo instruximus: item et hostes contra legiones suas instruunt.* Ita est scribendum, nec mutandum est voc. *nostras*, cui interpres quidam addidit *legiones.* Cas. Prol. 48. *at eam puellam hic senex amat effictim, et item contra filius.* Pers. 5, 2, 32. Terent. Ad. 1, 1, 24. *in eo me oblecto: solum id est carum mihi: ille ut item contra me habeat, facio sedulo.*

8. Sed dissimilia etiam et contraria possunt comparari. Etenim non id spectamus, quo duae res conveniunt, sed quod ipsae comparantur inter se.

Plaut. Aul. 2, 2, 49. *venit hoc mihi, Megadore, in mentem, te esse hominem divitem factiosum: me item hominem pauperum pauperrimum.* Tacit. Agr. 33. *ut superasse tantum itineris, silvas evasisse — pulcrum et decorum in frontem: item fugientibus periculosissima, quae hodie prosperrima sunt.* Haec est bonorum librorum scriptura, non *ita*, quod ii scripserunt, qui vim et usum particulae *item* non cognoverant. Walchius adeo vitium grammaticum odoratus est: nos Tacitum numquam sic loquutum esse neque cum Walthero contendimus, neque ad ellipsis praesidium cum Rothio confugimus. Lucret. 4, 553 *asperitas autem vocis fit ab asperitate principiorum, et item levor levore creatur.* Lactant. de Opif. Dei. 4, 14. *iam cogebat eos necessitas existimare, animas cum corporibus nasci et item cum corporibus exstingui.*

9. Ad conferendas aut enumerandas res aequales Latini adhibent formulas *et item*, *itemque*, vel dicunt *item* sine copula. Gravior et distinctior est vis quam in *atque.* Disciplinarum auctores hoc modo nectunt singula decreta, et componunt exempla aut observationes. Quemadmodum Varro saepissime. Interpretes id haud bene explicant verbis *deinde*, *praeterea.* Librarii saepe omiserunt *que* copulam, cuius necessitas, nisi accedit codicum auctoritas, non semper potest certo argumento demonstrari. Cf. criticos ad Cic. de Fin. 2, 4, 14. 3, 19,

63. Potest quidem, ubi alterum *itemque* praecedit, ut apud Cic. de Off. 1, 30, 109. de Fin. 3, 15, 51. Acute iudicavit Zumptius de duobus Ciceronis locis in Verr. 4, 11, 26. 1, 22, 59. Recentiores scriptores, veluti Suetonius, in pluribus rebus nominandis *item* usurpant pro copulativa particula.

Cato de Re r. 98. exposito unguento, quod tineas a vestimentis arceat: *et item ligneam supellectilem omnem si ungues, non putescet. — Item ahenea omnia unguito, sed prius extergeto bene.* Plaut. Trin. 4, 2, 53. *hanc me iussit Lesbonico suo gnato dare epistolam et item hanc alteram suo amico Callicli iussit dare.* cf. v. 32.

Cic. de Div. 2, 6, 17. *solis defectiones itemque lunae praedicuntur in multos annos.* de Off. 3, 5, 24. *etenim multo magis est secundum naturam excelsitas animi et magnitudo, itemque comitas, iustitia.* Sallust. Cat. 47, 3. *senatus decernit, uti abdicato magistratu Lentulus itemque ceteri in liberis custodiis haberentur.*

Cic. de Off. 1, 12, 37. *indicant duodecim tabulae, ut, status dies cum hoste: itemque, adversus hostem aeterna auctoritas.* 1, 30, 107. *alios videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere, itemque in formis aliis dignitatem inesse, aliis venustatem.* 1, 44, 157. *itaque nisi ea virtus, quae constat ex hominibus tuendis, id est ex societate generis humani, attingat cognitionem rerum, solivaga cognitio et ieiuna videatur: itemque magnitudo animi, remota a communitate coniunctioneque humana, feritas sit quaedam et immanitas.* Quae verba iniuria damnant Pearcius et Facciolatus. de Leg. 1, 21, 55. ad Att. 2, 19. *totius theatri clamore dixit, itemque cetera.* de Leg. 2, 21, 52. Caes. B. gall. 1, 3. *in eo itinere persuadet Castico, — ut regnum in civitate sua occuparet —: itemque Dumnorigi Aeduo —, ut idem conaretur, persuadet.* Sallust. Cat. 30, 2. Lactant. 4, 8, 6.

Cornel. de Reg. 2, 2. *unus Epirotes, Pyrrhus —. Vnus item Siculus, Dionysius prior.*

Cic. de Off. 3, 5, 25. expositis aliis exemplis: *itemque magis est secundum naturam* etc. Varro de Ling. L. 5, 7. (6, 75.) *hinc c a n t i t a t, item alia.* Sallust. Iug. 105, 2. *cum praesidio equitum atque peditum, item funditorum balearium.* Vlpian. in Dig. 47, 18, 1, 2. *simili modo et saeculari et directarii erant puniendi: item effractores.* Vbi nescio an Osannus operam perdiderit emendans *id est*: nam Vlpianus diversis nominibus distinguit genera vel vere diversa, vel vulgari denominatione

distincta: quamquam verba *id est* et *item* a librariis saepe sunt commutata.

Locos, in quibus Varro exempla et praecepta unius generis per hanc particulam componit, invenies in quacumque pagina, veluti 7, 37, 38. (8, 66, 67.). Quintil. 9, 4, 128. 7, 7, 7.

Sueton. Caes. 9. *venit in suspicionem conspirasse cum M. Crasso consulari, item P. Sulla et L. Antonio.* Aug. 4. *superstitibus liberis Octavia maiore, quam ex Ancharia, et Octavia minore, item Augusto, quos ex Atia tulerat.* Caes. 56. *exstant et ad Ciceronem, item ad familiares.*

10. Vno vocabulo apponitur *item*, ubi eadem vel similis res relativa enuntiatione est definienda, aut ubi aequalitatis sive similitudinis notio est acuenda.

Cic. de Div. 1, 48, 107. *itaque Romulus augur, ut apud Ennium cum fratre item augure — dant operam simul auspicio augurioque.* in Verr. 5, 19, 49. *cur Tauromenitanis item foederatis navem imperasti?* i. e. ut Mamertini erant foederati. 4, 12, 29. *tam te has phaleras a Philarcho Centuripino abstulisse dicebant, quam alias item nobiles ab Aristo Panormitano.* ad Att. 2, 1. *de iisdem rebus graece item scriptum librum* etc. Quintil. 6, 1, 47. *cuius adversarius, item puer, circa iudices erat — latus.* i. e. qui etiam puer erat.

Plaut. Amph. 1, 1, 110. (115.) *quoniam formam cepi huius in me et statum, decet et facta moresque huius habere me similes item.*

11. Pro *eiusdem generis* scripsit Varro de Re r. 2, 5, 16. *lapides substernendi, aut quid item, ne ungulae putrescant.* 2, 9, 12. *substernitur eis acus aut quid item aliud.* Victorius omisit *item.* Et Plautus Amph. 1, 1, 123. (128.) *neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo, nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem.*

Plaut. Rud. 4, 1, 65. *si ibi amare forte occipias atque item eius sit inopia, iam inde porro aufugies?*

12. Ex his facile colligitur, quo modo fiat, ut *item* pro *etiam* sive *quoque* ponatur et cum his particulis saepe a librariis commutetur. Collocatio particulae ita adhibitae iisdem caussis regitur, quibus Tom. 2. p. 547. dixi particulam *etiam* vel interponi vel post nomen collocari. *Alia item* est *alia quoque: item alia* autem *eodem modo alia.*

Plaut. Curc. 1, 1, 27. *ego item volo.* Cic. de Amic. 2, 7. *Itaque ex me quaerunt, credo ex hoc item Scaevola, quonam pacto mortem Africani feras.* ad Fam. 6, 3, 1. *superioribus litteris benevolentia magis adductus, quam quo res ita postularet, fui longior. — Hoc item tempore brevior esse debeo.* ad Q. frat. 3, 4. *aiunt nonnulli, Sallustius item, me oportuisse accusare.* Bene emendarunt Cic. de Leg. 2, 27, 68. *habemus igitur huius quoque auctoritatem de sepulcris summi viri: a quo item funerum sumptus praefinitur.* Orat. Part. 35, 121. *ab reo autem querela conflati criminis collecturumque suspicionum et accusatoris insidiae et item commune periculum proferetur.* Gellius; Praef. *est item, qui historiae naturalis.* Non potest probari coniectura Ernestii, qui apud Sueton. Domit. 17. pro *id est* scribendum esse existimabat *item*, quasi diceretur pro *et*. Librorum scriptura bene se habet: nam loci et negotii ratione constituitur insidiarum genus.

Sallust. Cat. 51, 22. *at aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exsilium permitti iubent.* Sed Plaut. Capt. 3, 1, 31. *item alii parasiti frustra obambulabant in foro.* Sallust. Cat. 27, 4. *docet se Manlium praemisisse ad eam multitudinem, quam ad capienda arma paraverat: item alios in alia loca opportuna.*

13. Quibusdam in formulis abundare videtur. Sed optimus quisque scriptor *item* addit, ut aequalitatem distinctius designet.

Varro de Ling. L. 5, 7. (6, 55.) *hinc etiam famigerabile et sic composititia alia item, ut declinata multa.* Plaut. Aul. 2, 1, 8. *unum tamen cogitato, tibi proxumum me mihique item esse te.* Gellius Praef. *namque alii Musarum inscripserunt, — alius Antiquarum Lectionum, atque alius Ἀνθηρῶν et item alius Εὑρημάτων.* Cic. de Off. 2, 3, 13. *earumque item rerum, quae noceant et obsint, eadem divisio est.* Errarunt ii critici, qui *item* ob varietatem scripturae (in quibusdam enim libris legitur *iterum*) abiecerunt. Lactant. de Opif. Dei 10, 10. *ut pedes duo et item manus non tantum ad utilitatem aliquam usumque vel gradiendi vel faciendi valent, sed et habitum decoremque ad mirabilem conferunt, sic* etc.

Dubia est scriptura apud Horat. Epist. 2, 1, 45. *caudaeque pilos ut equinae paullatim vello et demo unum demo et item unum.* Ita Bentleius ex aliis codicibus, alii *itidem*, vulgo *etiam*, quod defendi potest. Sed *et item* non male se habet.

Caes. B. gall. 3, 9. *Veneti reliquaeque item civitates, cognito*

adventu Caesaris, — *pro magnitudine periculi bellum parare* — *instituunt.* Oudendorpius refert in duobus codicibus non legi *item*, nec potest defendi exemplis a criticis comparatis, veluti 8, 29. *in Aulercis Lexoviisque, reliquis item civitatibus.*

14. *Non item* in extrema sententia apponitur, ut res, quae conferuntur, diversas aut contrarias esse appareat. Cf. Goerenz. ad Cic. de Leg. 1, 17. p. 73.

Varro de Ling. L. 8, 19. (9, 26.) *ad hanc analogiam ad diem servant, ad mensem non item.* Terent. Eun. 3, 1, 8. *vel rex semper maxumas mihi agebat quidquid feceram: aliis non item.* Cic. Orat. 43, 147. *nam omnium magnarum artium sicut arborum altitudo nos delectat, radices stirpesque non item.* Tusc. 4, 14, 31. *sed corporum affectiones sine culpa accidere possunt, animorum non item.* 14, 32. *inter acutos autem et hebetes interest, quod ingeniosi, ut aes corinthium in aeruginem, sic illi in morbum et incidunt tardius et recreantur ocius: hebetes non item.* ad Att. 2, 19. *o spectaculum uni Crasso iucundum, ceteris non item.* Acad. 2, 7, 22.

15. *Item* modum quum significet actionis iteratum, potest etiam ad rem agendam referri: nam quod item fit, idem esse potest. Quare *item* etiam pro *idem* dicebatur, et hoc pro illo. Atque scriptorum aliis magis placuit adiectiva forma, veluti Ciceroni, aliis autem adverbialis, ut Sallustio. Erravit igitur Kritzius ad Sallust. Cat. 27, 2. demonstrans, *item* semper ad verbum sive praedicatum spectare, neque obiecti loco esse, quod ex verbo penderet. Scilicet suo iure se defendet adverbium, sed ipsum poni potest pro adiectivo. Exempla varia, quae Kritzius contulit, nos disposuimus suis locis. Latini vero in notionibus coniungendis liberiores interdum id, quod ad praedicatum referri debebat, si quidem per sententiae rationem licuit, ad subiectum transferebant, ut unam in formam coirent verba. Tum *idem* de eo dicitur, qui in eadem re versatur, item agens: quemadmodum dicunt *hesternus veni, multus adest.* Cf. Doctrin. artis lat. scrib. p. 379. 6.

Plaut. Men. 5, 9, 37. *huic item Menaechmo nomen est.* Sallust. Cat. 27, 2. *ipse cum telo esse, item alios iubere.* Est pro *idem alios iubere.* Iug. 100, 4. *ipse armatus intentusque, item milites cogebat.* Hoc non recte Kritzius explicuit *etiam milites cogebat*: est enim: idem facere milites cogebat. Cat. 51, 7. *hoc item vobis providendum est*, — *ne plus valeat apud vos P.*

Lentuli — sceleus quam vostra dignitas. Ita plurimi codices, nec male, quamquam id Kritzio visum est: alii pauci libri *idem*, quod nihil aliud significat quam *hoc item.* Sic Cic. p. Lege Man. 5, 13. *vident et sentiunt hoc idem.* Cic. ad Att. 14, 12. *nam id erat quondam quasi necesse: nunc, quoquo modo se res habet, non est item.*

Cic. de Off. 1, 30, 109. *audivi ex maioribus natu hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica.* Cic. de Senect. 19, 68. *at sperat adolescens diu se victurum: quod sperare idem senex non potest.* de Fin. 3, 7, 25. *quod idem in ceteris artibus non contingit.* de Am. 21, 80. *quod nisi idem in amicitiam transferatur.* de Fin. 3, 13, 44. Bene restituit Davisius Cic. de Fin. 4, 5, 13. *quod idem quum vestri faciant.* Ea enim, quam Goerenzius sensisse videtur, ratio huc redit, ut dicamus, Ciceronem ubi fieri posset adiectivum accommodasse relativo. Quare probi sunt libri, qui exhibent de Orat. 1, 19, 87. *quod idem fieri nullo modo posse.* Critici optimo iure restituerunt in Lael. 4, 14. *quod idem Scipioni videbatur.* frustra repugnante Goerenzio. Ego vero caussam non quaeram cum Klotzio in discrimine sententiarum, sed in adaequanda orationis forma. Quare bene nunc revocavit Stürenburgius, Nonium sequutus, apud Cic. de Off. 3, 3, 15. *quod idem in poematis, in picturis usu venit.* Cornel. Att. 4, 1. *idem poemata pronuntiabat et graece et latine, sic ut supra nihil posset addi.* i. q. *item.* Ovid. Fast. 1, 114. *ante quod est in me postque videtur idem.* Cic. de Leg. 1, 23, 61. *idemque quum coelum, terras — perspexerit* etc.

Eadem ratione Cicero dixisset de Leg. 2, 11, 28. si vera esset scriptura: *quoniamque idem exspectatione rerum bonarum exigitur animus.* At scribendum mihi videtur *quandoquidem exspectatione* etc. Perverso iudicio usus est Stürenburgius ad Cic. p. Arch. 9, 20. *itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari.* Hoc falsum esse censuit Stürenburgius, et restituit *idem:* tamen interpretatus est haec verba ita: Marium, cui quidem Cicero supra tantummodo iucundum fuisse dixerat Archiam, ob similem caussam eximie dilexisse L. Plotium: quod ipsum significatur vocabulo *item*, hoc est *eadem de caussa:* neque potest *ille Marius idem* pro *idem ille Marius*, hoc est, quem antea nominavi, dici. Postponitur *idem*, quod pro *item* dicitur. Quare qui scripserunt *item*, recte scripserunt: sin *idem* a Cicerone profectum est, id pro *item* assimilationis ratione cum subiecti nomine coniungitur. p. Ligar. 7, 20. *sed tamen Ligarium senatus idem legaverat.* h. e. ut senatus censuit Ligarium ex Africa exire, item legavit Ligarium.

16. Quod *iterum* fit, dici etiam potest *item* fieri. Quare non raro librarii utrumque commutarunt vocabulum. At ubi antea dicitur aliquid bis esse factum, et additur expositio per vocabula numeralia, Latini posuisse videntur *semel — iterum*, non *item*. Tamen pro *rursus* Curtius et fortasse alii *item* dixerunt.

Sueton. Caes. 36. *ipse prosperrime semper, ac ne ancipiti quidem umquam fortuna, praeterquam bis, dimicavit: semel ad Dyrrachium —: item in Hispania.* Sed plurimi codices *iterum.* Aug. 25. ubi etiam codices discedunt. Tib. 6. *quos — vagitu suo pene bis prodidit: semel quum a nutricis ubere, item quum a sinu matris raptim auferretur.* Vbi Vrsinus scripsit *iterum*, idque legitur in cod. harlem. Conf. Cannegieter. in Observ. Misc. Tom. 6. p. 603. et Oudendorp.

Alia est ratio in Sueton. Aug. 16. *traiecto in Siciliam exercitu — uno demum navigio aegerrime effugit. Item quum praeter Locros Rhegium pedibus iret, — pene exceptus est.* Non pauci libri *iterum.*

Curt. 6, 7, 28. *rex item quaerens, an Philotan adisset* etc. Est id quod antea *rursus.*

17. *Item simul* dicitur pro *una omnes.*

Catull. 61, 36. *vos item simul integrae virgines, quibus advenit par dies, agite in modum dicite.* Sallust. Iug. 99, 1. *de improviso vigiles, item cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnes signa canere.* quae Kritzius ad Catil. 27. p. 127. non recte interpretatur.

18. *Ergo item* componuntur ita, ut ex aequalitate conclusio fiat cum affirmatione. Neque aliter *item igitur*, quo aequalis ratio ex altera deducitur.

Cic. de Leg. 1, 18, 48. *ergo item iustitia nihil expetit praemii.*

Cic. de Div. 1, 32, 71. *si sine oculis non potest exstare officium et munus oculorum: — qui vel semel ita est usus oculis, ut vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine divinatione non potest officium et munus divinationis exstare, — satis est ad confirmandam divinationem, semel aliquid ita esse divinatum, ut nihil fortuito cecidisse videatur.*

19. In verbis *quoque item* componendis non repugnat particularum natura, et probari posset, quod vulgo legitur apud Cic. de Fin. 2, 9, 26. si codices consentirent.

Lucret. 5, 750. *solis item quoque defectus lunaeque latebras pluribus e caussis fieri tibi posse putandum est.* Cic. de Fin. 2, 9, 26. *qui si diceret cupiditatum esse duo genera, naturales et inanes: naturalium quoque item duo, necessarias et non necessarias, confecta res esset.* At quatuor codices omittunt utrumque vocabulum, duo autem *item.*

20. In enuntiatione disiunctiva additur *item*, ut res appareat in utraque parte aequalis.

Plaut. Mil. 3, 1, 48. *vel cavillator facetus vel conviva commodus item ero.* h. e. aeque ero cavillator facetus atque conviva aliis indulgens.

21. *Sic item* ne coniungatur, nulla impedit caussa, quum significet *sic eodem modo.*

Caes. B. gall. 1, 44. *ut ipsi concedi non oporteret, si in nostros fines impetum faceret, sic item nos esse iniquos, quod in suo iure se interpellaremus.* Male quidam scripserunt *iterum:* quamquam defendit Doederlinus pleonasmo offensus.

22. Formulae sunt *item unus alterve, unus et item alter*, in quibus *item* additur, ut intelligatur item esse, utrum unus an alter.

Terent. Andr. 1, 1, 49. *sed postquam amans accessit, pretium pollicens, unus et item alter — accepit conditionem.*

Cic. ad Fam. 3, 9, 7. *longi subsellii — iudicatio et mora si quem tibi item unum alterumve diem abstulerit —, tua tamen dignitas suum locum obtinebit.*

*) Cum *item* a librariis commutari solent *iterum:* vd. Drakenb. ad Liv. Epit. 14. et ad 38, 11, 4. Heusinger. ad Cic. de Off. 2, 3, 12. Beier. Tom. 1. p. 26. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 27, 68. Tacit. Ann. 15, 11. et *ita:* Heusinger. et Beier. ad Cic. de Off. 2, 14, 37. Drakenb. ad Liv. 39, 19, 5. Zumpt. ad Cic. Verr. p. 792. De compendio verborum *id* ē Oudendorp. ad Caes. Bell. gall. 1, 36. Quomodo exciderit *item*, monstravit Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 157.

ITERVM.

In demonstranda origine huius particulae grammatici mirabiliter commentati sunt. Perottus in Cornucop. p. 113. et Vossius in Etymol. p. 314. ab *iter, iteris*

deducunt, quasi sit *per iter reversum:* quod absurdum videtur. Nunnesius graecum δεύτερος transmutatum putabat, quod non magis probabile, quam quod Adelungius in Lexic. T. 4. p. 211. cognatum appellat germanicum *wiederum.* Nam qui verborum similitudines auribus tantum captant, inanibus sonis saepe falluntur. Doederlinus autem Tom. 1. p. 181. brevem dicit formam verbi *alterum*, quod in vicem inusitati nominis *secundum* a Latinis esset substitutum. At praeterea quod non intelligitur illa brevitas formae, nec commutationis caussa patet, videtur *secundum* obsolevisse, postquam *iterum* erat factum. Nos analogiam sequimur verborum *inferus*, *posterus*, et *iterum* ortum esse censemus ex eadem stirpe demonstrativa, cui assignavimus *ita* et *item.* Syllaba *terus*, *terum* significat gradationem, unde etiam ad formandos comparativos adhibetur. Neque discrepat significatio ipsius particulae, quae est item sive eodem modo ut antea seu prius, hoc est, item rursus, item altera vice: *so noch einmal.*

Eamdem fere sententiam indicavit Ramshornius in Synonym. Tom. 1. p. 350. Quae nos simplicissima ratione ex ipsius vocabuli natura collegimus, Lischius in Iahnii Annal. Tom. 11. p. 25. ex reconditis samscriticae linguae fontibus hausit, atque docuit *iterum* esse comparativum pronominis *is*, quo demonstratio exprimatur magis distincta. Sed quo modo id demonstraverit, si quis cognoscere velit, adeat ipsum librum. Sed non minus mirabilia tradit Hartungius in libro de Casibus p. 292. *iterum* descendere ab graeco ἴος. i. e. *unus*, eique adiectam esse terminationem comparativi, sive uti ingeniose eam appellat, dutivi, qui exprimat rationem dualem. His igitur edocemur, quid significet *iterum?* Ille ait *eins mit Rücksicht auf zwei.*

Quae igitur ex illa primitiva notione prodiit significatio, duplex erat diversis temporibus. Sed de ea deinceps dicamus.

I. 1. *Iterum* communi in usu designabat in ordine aut in numero secundum locum eiusdem vel aequalis rei, primam rei agendae repetitionem, qua duplex appareat eadem res. Id iam Noltenius cognoverat, inquiens p. 895. *rursus* repetit sine respectu numeri et ordinis, *iterum* primam repetitionem respicit. Quae verba Doederlinus tribuit Ausonio Popmae, sed Messer-

schmidius ea e Nolteuii libro transtulit. Vide etiam Tom. 2. p. 278. et Smitsoni librum ibi nominatum. *Secundum* non dixerunt Latini: an *secundo*, demonstrabimus suo loco: neque idem significat, sed certo numero definit. Cicero δευτέρως reddidit *iterum*.

Plaut. Amph. 2, 2, 110. *iterum iam hic in me inclementer dicit atque id sine malo?* Epid. 3, 2, 18. *nunc iterum ut fallatur pater tibique auxilium apparetur, inveni viam.* Rud. Prol. 19. *iterum ille eam rem iudicatam iudicat.* i. e. sententiam latam corrigit et alterum pronuntiat iudicium. 3, 2, 44. *iterum haud imperabo.* 4, 8, 1. *iterum mihi istaec omnia itera.* Cic. de Leg. 2, 18, 45. *quocirca ne quis iterum idem consecrato.* Plato de Leg. 12. p. 206. *μηδεὶς οὖν δευτέρως ἱερὰ καθιερούτω θεοῖς.* Cic. Brut. 18, 72. *livianae fabulae non satis dignae, quae iterum legantur.* Curt. 10, 5, 22. *iterum se captas, iterum excidisse regno.* Tacit. Ann. 15, 11. *missis iterum ad Corbulonem precibus, veniret prope.* Iam antea semel ad Corbulonem miserat. Quod codices quidam praebent, *item* nemo non videt esse compendium scribendi. Martial. 7, 64, 10. *quod superest, iterum, Cinname, tonsor eris.*

Cum *deinde* coniunxit Liv. 2. 39, 12. *iterum deinde iidem missi non recipiuntur in castra.*

Cic. p. Domo 57, 145. *si in illo pene fato reipublicae obieci meum caput pro vestris cerimoniis atque templis perditissimorum civium furori atque ferro: et si iterum, quum ex mea contentione interitus bonorum omnium quaereretur, vos sum testatus* etc. Sueton. Aug. 16. *iterum quum praeter Locros Rhegium pedibus iret — pene exceptus est.* Sed ibi alii libri habent *item*.

2. Additur nominibus eo modo, quo *item* diximus p. 518. addi: praesertim in formulis *iterum consul, iterum tribunus*.

Cic. de Div. 1, 35, 77. *bello punico secundo nonne C. Flaminius consul iterum neglexit signa rerum futurarum magna cum clade rei publicae?* p. Sest. 16, 37. *res erat cum L. Saturnino iterum tribuno plebis, vigilante homine.* Vellei. Pat. 2, 34, 4. *Lentulus consularis et praetor iterum.*

Liv. 3, 19, 5. *loquaces, seditiosos, semina discordiarum iterum ac tertium tribunos pessimis artibus regia licentia vivere.* Plaut. Poen. 5, 2, 117. *iterum mihi gnatus videor, quia te repperi.*

3. Quod *iterum* fit, item fit. Quare usurpatur in iis, quae etiam *item* admittunt, ut dicatur eamdem rem fieri.

Plaut. Rud. 2, 7, 20. *eho, an te poenitet, in mari quod elavi, ni hic in terra iterum eluam?* Vide quae de loco Sueton. Aug. 16. modo dixi.

4. Haud raro componuntur verba *iterum* et *idem* in una sententia.

Cic. de Leg. 2, 18, 45. vd. n. 1. de Lege Man. 24, 69. vd. n. 5. Quintil. 11, 1, 77. *accidit etiam nonnumquam eadem caussa, de qua pronuntiarit, cognoscatque iterum.*

5. Collocantur verba *iterum nunc*, *iterum iam*, ubi Germani *noch einmal ietzt*, *wiederholt iezt* dicunt. *Numquam iterum* reddi potest *niemals wieder*, sed intelligitur, non altera vice.

Plaut. Most. 3, 1, 146. *ecce autem iterum nunc quid ego dicam nescio: iterum iam ad unum saxum me fluctus ferunt.* Epid. 3, 2, 18. vd. 1. Sallust. Cat. 52, 33. *ignoscite Cethegi adulescentiae, nisi iterum iam patriae bellum fecit.* Codices aliquot omittunt *iam:* itemque Cortius et Kritzius, qui caussam affert hanc: quum de sola facinoris repetitione, non de enumeratione agatur, plane absonam esse *iam* particulam. Mihi vero necessaria videtur haec particula: nam primo facinori nunc facto ignoscendum esse dicit Sallustius.

Plaut. Rud. 5, 3, 60. *numquam hercle iterum defraudabis me quidem post hunc diem.* Apud Cic. de Orat. 3, 41, 166. poeta: *neque me patiar iterum ad unum scopulum et telum classem Achivum offendere.*

Cic. de Leg. Man. 24, 69. *quum tantam multitudinem cum tanto studio adesse videamus* (alii *videmus*) *quantam nunc iterum in eodem homine praeficiendo videmus, quid est, quod aut de re aut de perficiendi facultate dubitemus?* Plurimi libri *non iterum.* Miror, recentissimum interpretem comprobasse hanc sententiam: si tanta multitudo, ut videmus, tanto studio adest, quantam nunc iterum in eodem homine praeficiendo adesse videmus, quid est, quod etc. nec sensisse, quam inepte Cicero loquutus esset: quum tantam multitudinem nunc videmus, quantam nunc iterum videmus, nec animadvertisse prima in parte sententiae recte se habere coniunctivum *videamus.* Cohaerent vocabula *iterum in eodem homine* secundum eum modum, quem n. 4. exposui, et scripsit Cicero: *quantam non iterum in eodem homine praeficiendo vidimus.* i. e. *wie groſs wir sie bei einer wiederholten Ernennung nicht gesehen haben.* Atque ita codices non pauci.

6. Sed duplex exsistit ratio. Nam quod iterum fit,

aut in rebus bis factis alterum est et habet ante se *semel*, ita ut eamdem rem item alio tempore factam videamus, aut intelligitur secundum, cui praecedit *primum*. In illo eamdem rem repeti conspicimus, in hoc duas res per temporis intervallum dispositas, sed item apparentes. Alterum illud dicimus *zum zweitenmale*, alterum *zweitens*. Vbi *semel* dicitur, plerumque praecedit *bis*.

Cic. in Verr. 3, 77, 179. *quod id frumentum improbissime per triennium partum non semel sed bis, neque uno sed duobus pretiis unum et idem frumentum vendidisti: semel civitatibus, HS XV. in medimnum: iterum populo romano, a quo HS XXI. in medimno pro eodem illo frumento abstulisti.* In his non diversitas pretii, sed idem frumentum consideratur. 5, 72, 185. *cuius simulacrum sanctissimum Segestae, bis apud Segestanos consecratum, semel ipsorum religione, iterum P. Africani victoria, tollendum asportandumque curavit.* p. Domo 52, 134. Liv. 1, 19, 3. Curt. 5, 4, 10.

Plaut. Mil. 2, 3, 26. *primumdum, si falso insimulas Philocomasium, hoc perieris: iterum, si id verum est, tu ei custos additus perieris.* Cf. II, 1. Corn. Cim. 2, 2. *primum imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugavit —. Idem iterum apud Mycalen Cypriorum et Phoenicum ducentarum navium classem devictam cepit.*

7. Haec nomina *semel iterum* coniunguntur per copulativas *atque*, *et*, *que*, et per disiunctivas *aut*, *ve*. His formulis exprimitur rem plus semel esse factam. Apud comicos nulla exstant huius generis exempla.

Cic. p. Cluent. 17, 49. *cognoscite nunc ita reum citatum esse illum, ut, re semel atque iterum praeiudicata, condemnatus in iudicium venerit.* Caes. B. gall. 1, 31. *cum his Aeduos eorumque clientes semel atque iterum contendisse.* Columell. 12, 52, 14. Vlpian. in Dig. 4, 8, 3, 1.

Cic. de Div. 1, 25, 54. *quod semel ille iterumque neglexit.*

Cic. Brut. 90, 308. *Piso saepe dicebat: minus saepe Pomponius, raro Carbo, semel aut iterum Philippus.*

Celsus 8, 2. *semel iterumve satis est admoto ferramento adurere.*

8. Id vero, quod secundum fit, post se habere potest tertium. Itaque etiam verba *primum*, *iterum*, *tertium* sive *tertio* constituunt ordinem rerum. Si quis

autem scriptor praemisso *semel* post *iterum* etiam *tertium* addidit, *semel* dixit pro *primum*, posterioris aetatis more. Vbi non distincte numeratur, possunt etiam alia nomina sequi. Suetonius tres locos epistolarum Augusti refert praemissis verbis *et iterum*, *et rursus*, Aug. 76.

Cic. p. Deiot. 5, 14. *ille Ephesum ad eum — pecuniam misit: ille iterum, ille tertio auctionibus factis pecuniam dedit.*

Cic. de Inv. 1, 39, 71. *ac primo quidem decipi incommodum est, iterum stultum, tertio turpe.* Cornel. Hann. 6, 1. *quem ipse primum apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam fugaverat.* Quintil. 11, 3, 36.

Vellei. Pat. 2, 38, 3. *immane bellicae civitatis argumentum, quod semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio consule, tertium Augusto principe — Ianus Geminus clausus dedit.*

9. Componuntur vocabula *iterum ac* sive *atque tertium*, *iterum et tertium* seu *tertio*, *iterum tertiumque*. Formulae sunt ad indicandam rem saepe factam.

Cic. de Div. 2, 59. *quid est tam incertum, quum talorum iactus? tamen nemo est, quin saepe iactans, venerium iaciat aliquando, nonnumquam etiam iterum ac tertium.* p. Rosc. Am. 22, 60. *iterum ac tertio nominavi.* Liv. 25, 16, 3. *iterum ac tertium venisse tradunt.* Plin. Hist. n. 18, 16, 43. Plin. Epist. 10, 97, 3. *confitentes iterum ac tertio interrogavi.*

Varro de Re r. 1, 18, 8. *fecerunt ii in sariendo iterum et tertio.* Quintil. 7, 1, 27. *id[iterum et tertium, et dum nihil sit reliqui.*

Cels. 4, 5, 5. *sanguis mittendus est, et si nihilominus ex ore processit, iterum tertioque et quotidie paullum aliquid.* 7, 2, p. 408. Plin. Hist. n. 36, 19, 30. *coquuntur varie ab aliis iterum tertioque in melle.* 14, 22, 28. *idque iterum tertiumque.*

Plin. Hist. nat. 27, 9, 48. *illinitur enim usque dum sudores evocet: iterumque et tertio ita ne sudor abluatur.*

10. Componitur cum *iterum* non raro vocabulum *saepius:* quo modo Graeci *αὖθίς τε καὶ πολλάκις*. Vid. Pricae. ad Apulei. Met. p. 247.

Cic. ad Fam. 13, 42, 4. *id ut re experiatur, iterum et saepius te rogo.* p. Lege Man. 11, 30. *testis est iterum et saepius Italia.* Liv. 3, 57, 4. *ut ille iterum ac saepius provocet* etc. Sueton. Ner. 33. Quintil. 12, 8, 8. Apulei. Met. 5. p. 159, 23. (Pric. p. 89.)

Cic. p. Font. 8, 16. *equites frumentum, pecuniam semel atque iterum ac saepius invitissimi dare coacti sunt.*

11. Arnobius, scriptor africanus saeculi quarti, novo modo, sed haud probabili, *iterum* coniunxit cum exclamatione *o*, ut videtur, ad ea, quae ante dixerat, respiciens. Significat igitur nomen iterum pronuntiandum. Advers. Gentes 1. p. 15, 35. *quid dicitis, o iterum?* Antecedunt verba *quid dicitis, o parvuli?* 5. p. 98, 10. *dicite, o iterum.* Antea legitur *quid dicitis, o gentes?* Sic saepe scripsit *o isti.* Vide Elmenhorst. p. 23.

II. 1. *Iterum* quum proprie significaret *idem rursus*, facile fieri poterat, ut notio eiusdem rei omitteretur, atque particula inde a Livii tempore usurparetur de re vel altera vice facta, vel ex altera parte item facta: quo quidem non dicitur eamdem rem esse factam, sed alteram eodem vel simili modo. Id igitur est, quod graecum αὖ. Neque vero perversum usum cum Noltenio in his agnoscemus, sed novum et ex primitiva significatione vocabuli profectum. At non dici potest pro *vicissim*, veluti *ego iterum tibi gratificabor:* quod merito Vorstius inter suspecta et falsa retulit c. 18. p. 165. Cf. Cellar. Antibarb. p. 171. Cur. post. p. 339.

Liv. 21, 18, 14. *quum is iterum sinu effuso bellum dare dixisset.* h. e. ut antea sinum ex toga fecerat, item nunc sinum effudit. Non enim *iterum* est cum *dixisset* coniungendum. Iustin. 21, 4, 6. *hoc consilio praeventus, iterum servitia concitat statutaque rursus caedium die, quum denuo se proditum videret, timens iudicium, munitum quoddam castellum — occupat.* Hic videntur omnia illa repetitionis vocabula idem valere. Sed *iterum* est rursus idem agens ad occupandam dominationem concitando servitia.

Tacit. Ann. 12, 65. *pares iterum accusandi caussas esse.* i. e. in Agrippina. In Caes. Bell. gall. 1, 44. recte legitur *sic item.* Vide p. 523. Pompon. Mela 3, 7, 1. *primumque omnis est invia, deinde ob immanitatem habitantium inculta. — Vasta deinde iterum loca belluae infestant.*

Quod Iac. Martinus, ut refert Vorstius, scripsit: *deambulatio est caussa sanitatis et iterum sanitas est caussa deambulationis:* id scribi debebat: *et item.* vid. p. 516. Nam id, quod supra p. 527. e Plauti Mil. 2, 3, 27. attulimus, diversum est: duae nominantur eiusdem argumenti caussae.

2. Ex eadem ratione *iterum* poterat adhiberi, ubi reversio ad rem iam actam erat significanda. Ita factum est, ut poetae et recentiores scriptores eo sensu dicerent, quo Germani loquuntur *noch einmal* et *wieder*, *wiederholt*, et cum verbis retro eundi, retro vocandi, quasi *rursus* esset, coniungerent. Paullus in Digest. 2, 13, 7, 1. *haec vox iterum duas res significat: alteram, qua demonstratur tempus secundum, quod Graeci δεύτερον dicunt: alteram, quae ad insequentia quoque tempora pertinet, quae graece dicitur πάλιν. Quod ita accipitur, quoties opus erit: nam potest fieri, ut bis editam sibi rationem quis perdiderit, ut verbum iterum pro saepius accipiatur.* Ita ponebatur pro *plus semel.* Cf. Heineccium in Brisson. de Verb. Signif. p. 667.

Iustin. 5, 6, 6. *ex qua colluvione hominum domini antea Graeciae conscripto exercitu vix libertatem tuebantur. Iterum tamen fortunam maris experiundam decernunt.* in quibus verbis Noltenius bene observavit mutationem antiquioris usus, nec Doederlinus eum poterat ita defendere, ut opponi diceret dominationem per bellum peloponnesiacum semel perditam. *Iterum* est item ut antea iam conati erant.

Iterum iste Romam se retulit, dixit Cicero p. Flacco 21, 50. de secundo reditu, sed Virgil. Ge. 4, 494. *quis et me, inquit, miseram et te perdidit Orpheu? quis tantus furor? En iterum crudelia retro fata vocant.* Tibull. 2. 6, 5. *ubi puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit atque iterum erronem sub tua signa voca.* Vbi Vossius mirum in modum fabulatur. Ovid. Art. 3, 63. *nec quae praeteriit iterum revocabitur unda.* Virgil. Aen. 6, 720. *iterum ad tarda reverti corpora.* Vd. Duker. et Drakenb. ad Liv. Epit. 14. Kritz. ad Sallust. Cat. 18, 6.

Iustinus non raro utitur vocabulo *iterato*: 5, 4, 3. 5, 9, 14. 11, 7, 11. 15, 2, 6. 16, 3, 7.

3. Haec vero notio augetur duplicatione vocabuli, et dicitur *iterum atque iterum*, *iterum iterumque*, de re saepius repetunda, aut de ea, quae in una repetitione non acquiescit. Vtuntur hac dictione poetae et cum iis recentiores scriptores pro *saepissime:* sed inepta nostris programmatariis hodie placet formula in pronuntiandis votis: *iterum atque iterum rogo.*

Horat. Sat. 1, 10, 37. *haec ego ludo, quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa, nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.* Virgil. Aen. 2, 769. *maestusque Creusam*

nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi. 3, 436. *repetens iterumque iterumque monebo.* Martial. 2, 14, 13. *nam thermis iterum cunctis iterumque lavatur.* Plin. Pan. 28, 6. *quanto maiorem infantium turbam iterum atque iterum videbis incidi.* 79, 1. *ille nos instituit et induxit, ut te iterum iterumque consulem habere cupiamus.* Flor. 2, 7, 15. *et iterum iterumque praeconem repetere illam vocem iubebant.*

*) De commutatione verborum *item* et *iterum* diximus p. 523. Sed et *interim* commutabatur. vd. Drakenb. ad Liv. 10, 18, 1.

ITIDEM.

Gesnerus, nescio quo auctore, refert *itidem* in se habere duplex *item*, ut reduplicatio augeat significationem. Forcellinus cum ceteris ex *ita* et *dem* compositum censet: in quo analogiam sequitur verborum *subigo*, *incido*. Sed vocabulo *item* poterat addi *dem*, unde fiebat *itemdem*, et dicebatur *itedem* ut *quasi* pro *quamsi* (*eudem* pro *eumdem* in inscriptione apud Gruterum 607, 1. scribendi est compendium) et *itidem*, uti *antisto* ex *ante*, *benivolus*. Ex hac autem compositione evadit aucta significatio, et *item* differt ab *itidem*, uti Germanorum *auf dieselbe Weise* et *auf eben dieselbe Weise*. Quae etiamsi in sermonibus saepe non accurate distinguuntur, tamen sunt partes quaedam significationis, quae non ad voculam *itidem* attinent, nec potest *item* pro contracta forma verbi *itidem* haberi.

In codicibus scriptis saepe legitur *ididem*, quod non mirabitur, qui in inscriptionibus *it*, *fecid* et alia huius generis invenit.

1. Componitur *itidem*, quod correlativum est, cum iis vocabulis, quae cum *item* coniungi solent: *ut*, *quasi*. Cf. p. 512. Sensus est: eodem prorsus modo — ut, *eben so — wie*. Comicorum in sermonibus saepe pro *item — ut* dicitur.

Plaut. Amph. 2, 2, 79. *quia salutare advenientem me solebas antidhac, appellare itidem ut pudicae suos viros, quae sunt, solent.* 3, 4, 9. *ut filium bonum patri esse oportet, itidem ego sum patri.* Capt. 2, 2, 11. Curc. 3, 80. Truc. 4, 2, 36. Terent.

Eun. 2, 3, 94. *atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?* 1, 2, 13. Hec. 5, 4, 26. Lucret. 3, 10. *tuisque ex, inclute, chartis, floriferis ut apes in saltibus omnia limant, omnia nos itidem depascimur aurea dicta.* Terent. Hec. 2, 2, 9. *ut veni, itidem incertum amisti.* i. e. ut incertus veni.

Plaut. As. 1, 3, 26. *quasi piscis, itidem est amator lenae.* Capt. 5, 4, 5. *quasi patriciis pueris aut monedulae, aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent, itidem mi haec advenient; upupa, qui me delectem, data est.* Most. 1, 3, 120. Rud. 3, 2, 46. 4, 3, 69.

2. Coniunguntur *itidem ut*, etiam praecedente *ita*, pleonasticam in formam, sed graviorem vim in se habent atque simplex *ut*.

Plaut. Curc. 5, 3, 12. *atque ita te nervo torquebo, itidem uti catapultae solent.*

Plaut. Aul. 2, 2, 37. (aetatem tuam) *scio esse grandem, itidem ut pecuniam.* Capt. Prol. 44. *itidem ut saepe iam in multis locis plus insciens quis fecit, quam prudens boni.*

3. Sed haec aequatio potest una in parte institui, et *itidem* absolute poni: quod fit omissa altera parte comparationis. Ex sententia enim universa colligimus id, quo particula spectat. Interdum necesse erit hoc supplementum mente substituere.

Terent. Eun. 2, 2, 3. *conveni hodie adveniens quemdam mei loci hinc atque ordinis hominem haut impurum, itidem patria qui abligurrierat bona.* i. e. ut ego.

4. Hoc modo *itidem* cum verbis componitur, ut exprimatur rem fieri aut factam esse eodem modo, quo antea vel ab aliis facta erat. Interdum nihil aliud significat quam *pariter* vel *una*.

Plaut. Bacch. 3, 3, 6. *feci ego istaec itidem in adolescentia.* Amph. 1, 1, 286. *nimis similist mihi. Itidem habet petasum ac vestitum.* Asin. 1, 3, 67. *itidem hic apud nos.* Aul. 2, 9, 9. *fugiam intro, ne quid hic turbae fiat itidem.* Capt. 3, 4, 75. *verum si quid metuis a me, iube me vinciri: volo, dum istic itidem vinciatur.* Terent. Phorm. 2, 3, 50. *itidem tu face.* Cic. Partit. orat. 22, 77. *temperantia autem in suas itidem res et in communes distributa est.* intellige, ut prudentia ante dicta.

Quintil. 5, 10, 60. *qui servus est si manumittatur, fit libertinus, non itidem addictus.* Ita correxit Regius codicum scriptu-

ram *idem*, quod Franclus et Spaldingius in *item* mutandum existimabant, idque Zumptius in textum recepit: sed Bonnellius in Lex. p. 461. monuit, non fuisse a codicibus discedendum. Freundius autem in Iahnii Nov. Ann. Tom. 13. p. 282. haec verba arbitratur absurdam sententiam in se habere: servum fieri manumissione libertinum, non addictum: nam libertino opponi addictum, ut qui recepta libertate ingenuus fiat. Tamen illa, quae in codicibus leguntur, verba eumdem sensum, quem Freundius desiderat, exhibent. *Non idem* enim, quod pro *non item* recte dicitur, addictum opponit non libertino, sed servo.

Cic. de Leg. 1, 10, 30. *ea, quae movent sensus, itidem movent omnium.*

Plaut. Stich. 4, 1, 16. *si res lassa labat, itidem amici collabascunt.*

5. Duobus nominibus per copulativas particulas iunctis additur *itidem*, ut aequalitas conditionis utriusque exprimatur. Nos *und eben so.*

Plaut. Rud. Prol. 74. *illa autem virgo atque altera itidem ancillula de navi timidae desiluerunt in scapham.*

6. Cum pronomine *idem* saepe in una sententia consociatur, saepe gravitatis caussa.

Terent. Andr. 3, 4, 20. *atque eadem haec, quae tibi dixi, dicam itidem illi.* Cic. de Leg. 2, 3, 8. *quia nunc itidem ab eodem et a ceteris diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia.*

7. Adiungitur in rebus ita comparandis *quoque*, amplificata oratione.

Plaut. Pseud. 1, 2, 26. *itidem vos quoque estis plagis omnes.*

8. Sed possunt haec, quae aequantur, diversis locis esse collocata. Quare adiicitur *contra*, ubi ex altera parte idem apparet.

Plaut. Curc. 1, 3, 7. *sisto ego tibi me, et mihi contra itidem te ut sistas suadeo.* Varro de Ling. Lat. 8, 38. (9, 55.) *nullius nostrum filium et filiam non apte discerni marem ac feminam, ut Terentium et Terentiam: contra deorum liberos et servorum non itidem.*

9. Haec omnia ad aequalem rem sive conditionem spectant, nec grammaticis assentiri possumus, qui *iti-*

dem proprie significare *similiter* dicunt. Atque inveniuntur loci, in quibus ne similitudinem ipso hoc vocabulo expressam putemus, interpretatio declarabit. Interdum tamen aequalitas non apparet in ipsa re acta, quae tantum similis aut etiam diversa esse videtur, sed in communi quadam ratione eius.

Plaut. Pseud. 1, 3, 148. *exossabo ego illum similiter, itidem ut muraenam cocus.* Pertinet hic locus ad eos, quos n. 2. attuli: sed Pseudolus negligenter loquitur. Terent. Hec. 3, 1, 31. *itidem illae mulieres sunt, ferme ut pueri, levi sententia.* At interpungenda sunt verba ita: *itidem illae mulieres sunt ferme, ut pueri, levi sententia.*

Cic. de Nat. d. 3, 24, 62. *exsectum a filio Caelum, vinctum itidem a filio Saturnum.* In his *itidem* pertinet ad *filium.*

10. *Item* uni vocabulo adiectum pro *quoque* dici et in coniungendis sententiis usurpari solebat (vide p. 518.): quod alienum videtur ab *itidem.* Dubito etiam, an *itidem* pro *iterum* dici possit, quod *item* esse debet.

Liv. 29, 16, 1. *altera itidem res prope aeque longo neglecta silentio relata a M. Valerio Laevino est.* Sed codices plurimi et optimi praebuerunt *altera item res.* In quibusdam editionibus Caesaris B. gall. 1, 36. legitur *itidem populum romanum victis non ad alterius praescriptum — imperare consuesse.* pro *item.* Vide Oudendorpium.

Horat. Epist. 2, 1, 45. *caudaeque pilos ut equinae paullatim vello, et demo unum, demo etiam unum.* Non recte ita dici ostendimus Tom. 2. p. 550. sed debebamus etiam monere, non *itidem*, quod Fea in duobus libris invenit, sed *et item*, quod Bentleius ex aliis libris restituit, esse comprobandum.

*) Cum *idem* librarii commutarunt *itidem.* vd. Cic. de Div. 1, 8, 14. Drakenb. ad Liv. 29, 16, 1.

IVXTA.

Ivxta ex eo genere est, quod verba *iugo*, *iungo*, *inbeo*, *ius*, *iustum* comprehendit, quae omnia notionem ligandi sive obligandi in se habent. Ab *iugo* fieri debebat *iuctum*, sed inserebatur littera *s*, nescio an vocalitatis caussa. Dixerunt enim Latini *sexus* pro *secus.* Scaliger ad Catull. Carm. de Coma Beren. v. 66. „*iusta* veteres pronuntiabant, pro quo nescio quo fato

iuxta nunc dicimus. Eodem modo *mixta* librarii nobis transmiserunt pro *mista*, *Vlyxes* pro *Vlysses*." Addi possunt alia *Sestius*, *praetestatus:* vid. Reinesii Var. Lect. 17. p. 630. Schneideri Grammat. p. 353. Nec desunt vestigia antiquae scripturae in codicibus. Cf. Drakenb. ad Liv. 6, 6, 18. Praeterea ea via, qua diversa vocabula *iustum* et *aequum* ad similem significationem promoventur, etiam *iuxta* ad significatum verbi *aeque* accedit. Syllaba extrema *ta* est illa, quam *ita* habet: de ea vide p. 467.

Antiquius vocabulum erat adverbium, nec ullo certo exemplo Plauti aut alicuius poetarum veterum poterit usus praepositionis demonstrari. Quae apud Varronem leguntur, nova iam esse videntur. Priscianus 14. p. 992. *iuxta enim, quod significat τὸ ἐγγὺς, quod apud Graecos sine dubio adverbium est, quia loco prope sive propter, quod est παρὰ, fungitur (est autem praepositio παρὰ graeca) et quia casum sequitur, nostri inter praepositiones posuerunt: quando vero verbo per se coniungitur, adverbium id esse existimant.* Additur accusativus et in aequalitatis notatione etiam dativus. Priscian. 18. p. 1172. *iuxta et prope et dativo et accusativo iunguntur.* Cf. Perizon. ad Sanctii Min. 1, 16, 1. p. 174. Historiarum auctores Sallustius, Livius, Tacitus hanc particulam saepissime usurpaverunt: numquam Terentius et Cicero: nemo enim orationem post reditum in senatu habitam interpolationibus esse deformatam negabit. Sed cum temporibus mutabatur etiam significatio particulae. Primum significabat coniunctionem: deinde recepit notionem propinquitatis, quae ad aequalitatem transferebatur: extremum aevum adiunxit accommodationis sensum.

Parens in Lex. Plaut. s. v. errat, quum dicit apud Ciceronem saepe hanc particulam inveniri.

Extremam syllabam poetae producere solebant. Vid. Probum p. 1428. Vno autem in versu Catulli de Coma Beren. 66. erant qui defenderent codicum scripturam *Callisto iuxta Lyconida*, et iure quidem: nam Ennium *contra* brevi ultima dixisse constat: eumque Catullus imitatur in multis. Vide Tom. 2. p. 110.

I. 1. Prima igitur significatio est coniunctim, de hominibus, qui collocati idem cum aliis faciunt, et de rebus coniunctis.

Varro de Vita pop. rom. apud Nonium 4, 233. *quum interea lucubrando faceret iuxta ancillas lanam.* Popma coniecit *quum Lucretia.* Sed *iuxta ancillas* est *cum ancillis.* Tacit. Hist. 2, 12. *occursantes domini iuxta coniuges et liberos.* Livius dixit 23, 7, 8. *cum coniugibus ac liberis obviam ire.*

Plin. Hist. n. 36, 15, 24. *theatra duo iuxta fecit amplissima e ligno.* Explicant: prope posita aut aequaliter formata. Erant autem theatra iuncta, *an einander.*

2. Additur adverbio praepositio *cum*, ut sit coniunctum cum aliquo: id vero idem fere significat quod *aeque cum aliquo.* Schwartzius autem reddi maluit *neben.*

Plaut. Aul. 4, 7, 1. *iuxta rem mecum tenes super Euclionis filia.* Pers. 4, 3, 75. *iuxta tecum aeque scio.* ubi *aeque* additum non offendit. Mil. 2, 2, 79. Pers. 2, 2, 67. *iuxta tecum, si tu nescis, nescio.* Pseud. 4, 7, 62. *an nescis, quae sit haec res?* SI. *Iuxta cum ignarissumis.* Trin. 1, 2, 160. *iuxtaque eum curo cum mea.* Sallust. Cat. 58, 5. *nunc vero quo in loco res nostrae sint, iuxta mecum omnes intellegitis.* ubi Cortius confert verba *pariter mecum, aeque mecum.*

II. 1. Tum de rebus prope positis usurpatur, sed non ea ratione, qua altera res ad alteram accedit, sed quod eam continuo nexu attingit. Idque etiam hominibus designandis convenit. Glossae *παρὰ, πλησίον.* Nonius reddit *proxime*, Priscianus *ἐγγύς.* Graeci etiam *ὁμοῦ* pro *ἐγγὺς* dixerunt. Cf. Brunck. ad Sophocl. Antig. 1180. Est enim *nahe an, nahe bei.* Quidam scriptores non usurpasse videntur hoc vocabulum, nisi de hominibus assidentibus.

Caes. B. gall. 2, 26. *Caesar quum septimam legionem, quae iuxta constiterat, item urgeri ab hoste vidisset* etc. Cornel. Timoth. 2, 3. *sic iuxta posita recens filii* (statua), *veterem patris renovavit memoriam.* Virgil. Aen. 6, 605. *furiarum maxuma iuxta accubat.* 3, 22. *forte fuit iuxta tumulus.* 571. *horrificis iuxta tonat Aetna ruinis.* Sallust. Iug. 65, 2. *cui Metellus petenti more regum uti sellam iuxta poneret — negaverat.* ubi Cort. Sueton. Dom. 11. Columell, 8, 13, 3. Plin. Hist. n. 3, 16, 20. *adest oppidum iuxta Industria.*

Tacit. Hist. 2, 72. *procul vel iuxta sitas vires circumspectabat.* Sallust. Epist. Mithrid. 6. (p. 988. Cort.) *quin socios amicos, procul iuxta sitos, inopis potentisque trahant.*

Tacit. 11, 31. *ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens iuxtaque Silius hedera vinctus gerere cothurnos.* i. e. iuxta eam. Plin. Hist. n. 6, 17, 19. *talem perlatum Pompeio iuxta res gerenti mithridatico bello.* i. e. in illa regione. 9, 62, 88. *polypum in tantum locusta pavet, ut, si iuxta vidit, omnino moriatur.*

Notandum est, quomodo duo adverbia composita non displicuerint. Sueton. Ner. 34. *abiecto clam iuxta pugione.* Tit. 7. *thermisque iuxta celeriter exstructis.*

Caes. B. civ. 1, 16. *Caesar — ad oppidum constitit iuxtaque murum castra posuit.* Cornel. Attic. 22, 2. *sepultus est iuxta viam appiam, ad quintum lapidem.* Datam. 1, 3. *habuit provinciam partem Ciliciae iuxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri.* Virgil. Aen. 7, 72. *iuxta genitorem adstat Lavinia virgo.* Plin. Hist. n. 19, 8, 51. *iuxta terram praeciditur.* Quintil. 8, 4, 22. *eam filiam appellans iuxta se locat.* Columell. 4, 8, 2. *si iuxta truncum radicem praecideris.*

Tacit. Germ. 17. *cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt.* i. e. ad focum. Plin. Hist. n. 12, 19, 43. *frutex et casia est iuxtaque cinnami campos nascitur.* 17, 23, 35, 27. *alia culpa iuxta urbem Varracinis.* i. e. in regione urbis. 34, 8, 19, 35. *iuxta rostra.* i. e. in foro romano.

Sed affertur a Servio ad Virgil. Aen. 9, 4. e Plauti Mostellaria *sine iuxta aram sedeam, et dabo meliora consilia.* ut demonstretur *sedere* esse *consilium capere:* quae in comoedia huius nominis nunc non inveniuntur. Sed adiectis vocabulis *iuxta aram*, grammatici argumentatio claudicat. Quare dubitari licet, an Servius ita in Plauti comoedia legerit, aut scripserit ipse: immo respexisse videtur Most. 5, 1, 54. sed verba addita sunt aliena recentioris originis.

Particula post nomen ponitur apud poetas et qui eos imitati sunt, historicos. Cf. Ruhnken. ad Vellei. P. 2, 91, 2. Virgil. Aen. 3, 506. vd. n. 3. 4, 255. *humilis volat aequora iuxta.* Tacit. Ann. 6, 39. *urbem iuxta.* 2, 41. 4, 5. 13, 15. *cubiculum Caesaris iuxta decoquitur virus.* Quod Cornelius Paus. 4, 4. scripsit *hanc iuxta locum fecerunt sub terra:* Bremius bene retulit ad universum illum usum, quo praepositio post adiectivum aut pronomen ponitur, etiam deficiente nomine. Plin. Hist. n. 14, 19, 23. *quamque iuxta hominis mors laqueo pependerit.*

2. Propinquitatis haec notio complectitur omnem viciniam, omnemque compositionem et consociationem. Quare *iuxta* saepe est id quod *apud*, *ad:* sed distinctius reddas *an der Seite*, sicuti etiam verba antea

allata *iuxta coniuges* reddere potes *an der Seite ihrer Frauen.*

Tacit. Hist. 2, 89. *ceteri iuxta suam quisque centuriam armis donisque fulgentes.*

3. Vicinitatis notio transfertur ad alias res inter se contingentes, veluti ad proximam cognationem et ad appropinquationem, etiam temporis. Sic scriptores argentei aevi loquuntur et *iuxta* pro *prope*, *apud*, *in* usurpant.

Sueton. Calig. 10. *tantique in avum et qui iuxta erant obsequii, ut* etc.

Tacit. Dial. 22. *quas* (orationes) *senior iam et iuxta finem vitae composuit.* Tacit. Ann. 6, 42. *nam populi imperium iuxta libertatem: paucorum dominatio regiae libidini propior est.* ubi Ernestius Thucydidem comparat, qui 3, 62. oligarchiam dicit esse *ἐγγυτάτω τυράννου.* Germ. 30. *velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiae est.* i. e. parum abest a formidine.

Tacit. Germ. 21. *quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem.* i. e. in libertate.

4. Hoc significatu etiam cum verbis motum significantibus componitur, ut vicinia loci intelligatur.

Virgil. Aen. 3, 506. *provehimur pelago vicina Ceraunia iuxta.* Ovid. Met. 8, 811. (809.) *neque enim est accedere iuxta ausa.*

Valer. Max. 5, 4, 1. *aditum iuxta moenia urbis Volsco militi struxit.* Guietus scripsit *ad.* Est autem *bis in die Nähe der Stadt.* Cf. Koeler. in Wolfii Analect. p. 333.

Tacit. Ann. 6, 13. *iisdem consulibus gravitate annonae iuxta seditionem ventum.* quod alias, ut apud Livium 6, 42, 10. *prope secessionem plebis res — venit.*

III. 1. Huc transiit significatio ad aequalitatem rerum designandam. Nam quod oratores vocabulo *aeque* dicebant, id scriptores alii, imprimis historici recentiores particula *iuxta* exprimere solebant. Atque huic notioni etiam dativus erat aptus.

Liv. 39, 9, 6. *huic* (Hispalae libertinae) *consuetudo iuxta vicinitatem cum Aebutio fuit.* i. e. consuetudo non alia fuit quam vicinitas. Sed potest etiam modus intelligi et ad ea, quae n. 7. posui, referri.

Coniungitur particula cum nominibus adiectivis: Liv. 24, 5,

13. *adiectique poenae ceteri iuxta insontes.* 32, 14, 3. *qui Argenta quique Pherinum — habent, aliaque castella iuxta ignobilia.* 38, 29, 2. *interiorem semper iuxta validum pro diruto novum obstruentes murum.* cf. Drakenb. ad 41, 6, 10. 23, 28, 3. *per dubios infestosque populos iuxta intentus ad Hasdrubalem pervenit.* Male Drakenborchius interpretatur: haud minus intentus ad cavendas insidias, quam infesti illi populi ad insidias ipsi struendas. Intellige: numquam minus intentus, semper aequo modo intentus. Cf. Crevier. ad 24, 20, 13.

Liv. 24, 19, 6. *Fabius omittendam rem parvam ac iuxta magnis difficilem — censebat.* In his Perizonius omissum putat *cum*, Walchius Emendat. Liv. p. 53. ablativum opinatur comparativis adiiciendum. Est vero dativus. Sed locus Taciti. Ann. 16, 11. non eiusdem generis est, uti Oberlino visum. Lucret. 1, 445. *quare in utraque mihi pariter ratione videtur errasse, atque ollis iuxta, quos diximus ante.* ubi quae exempla Forbigerus affert Sallustii, non habent dativum.

2. Adverbium a Plinio usurpatur pro *item*, hoc est, aequali modo.

Plin. Hist. n. 2, 67, 67. *iuxta vero ab ortu ex indico mari sub eodem sedere pars tota vergens in caspium mare pernavigata est Macedonum armis.* i. e. item ut septentrionalis oceanus. 8, 21, 30. *iuxta cornua mobilia.* i. e. aeque atque in cale.

3. Hac ratione duo nomina rerum aequiparandarum componuntur verbis *iuxta — ac*, *iuxta — et*, *iuxta — que*, sicuti *aeque ac*, *pariter ac* dicitur. Adverbium enim interponitur inter nomina aut post ea: saepe verbo aut adiectivo adhaeret: interdum praemittitur nominibus. In his omnibus distinguuntur sententiae accentu: nam in aliis duae res aequales componuntur, in aliis fit comparatio cum maiori aut minori re, et Livius quum dicit *vestrum imperium iuxta ac deos immortales intuetur genus humanum*, significat non aliter ac si essent dii, non minus quam deos. Tum vero particulam non licet post nomina poni, et nomen rei dubiae vel comprobandae primo loco collocatur: quod etiam in aliis formis fit. Frequentissime omnium usus est hac dictione Livius.

Varro de Re r. 2, 6, 1. *e queis feminas Q. Modius Equiculus — iuxta ac mares habere solebat.* Sallust. Cat. 37, 8. *quo minus mirandum est homines egentis, malis moribus, maxuma spe rei publicae iuxta ac sibi consuluisse.* ubi quae Cortius de

ordine verborum disputat, nullam habent rationem. Iug. 95, 3. *litteris graecis atque latinis iuxta, atque doctissime, eruditus.* Liv. 1, 54, 9. *absentiumque bona iuxta atque interemtorum divisui fuere.* ubi alia Drakenb. et ad 3, 33, 10.

Varro apud Non. 4, 233. *nequissimus ibis iuxta ac Publius Africanus.* Liv. 37, 54, 16. (genus humanum) *vestrum nomen imperiumque iuxta ac deos immortales iam pridem intuetur.* 5, 6, 5. *se iuxta hieme atque aestate bella gerere posse.* 3, 37, 10. *in re iuxta manifesta atque atroci.* ubi multi codd. *iusta.* 21, 33, 4. *perversis rupibus iuxta invia ac devia adsueti decurrunt.* quibus in verbis emendandis frustra laborarunt critici. *Decurrere* est militare vocabulum, armis ludere et aggredi hostem terrendi caussa: et dicit Livius montanos perversis rupibus in deviis et inviis iuxta adsuetos decurrisse. Pro adverbio posuit praepositionem et dixit *iuxta invia ac devia.*

Liv. 6, 6, 18. *parere atque imperare iuxta paratos.* Tacit. Ann. 1, 48. *ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios iuxta cadere.*

Sallust. Cat. 51, 30. *iuxta bonos et malos lubidinose interficere, ceteros metu terrere.* Tacit. Ann. 4, 1. *iuxta adulatio et superbia.*

Sallust. Iug. 85, 33. *hiemem et aestatem iuxta pati.* Tacit. Ann. 12, 17. *quum arma, munimenta, impediti vel eminentes loci amnesque et urbes iuxta perrumperentur.* 4, 59. Hist. 3, 58.

Liv. 9, 13, 9. *iuxta obsidentes obsessosque inopia vexavit.* Plin. Hist. n. 9, 35, 53. (margaritae) *nisi manibus, auribus, capite, totoque corpore a feminis iuxta virisque gestarentur.* 9, 41, 65.

Sallust. Cat. 2, 8. *eorum ego vitam mortemque iuxta aestumo.* 61, 6. *ita cuncti suae hostiumque vitae iuxta perpercerunt.* Iug. 85, 47. Tacit. Ann. 4, 56. Mela 1, 19.

Sallust. Iug. 88, 1. *plebi patribusque, postquam invidia decesserat, iuxta carus.* Liv. 6, 6, 18. vide antea. Tacit. Ann. 5, 8. *spem ac metum iuxta gravatus Vitellius.* i. e. spe ac metu aeque gravatus. Hist. 5, 7. *solo coeloque iuxta gravi.* Plin. Hist. n. 2, 3, 3. *nobis, qui intus agimus, iuxta diebus noctibusque tacitus labitur mundus.*

Sallust. Iug. 67, 2. *iuxta boni malique, strenui et imbelles inulti obtruncari.*

Iuxta ponere. Val. Max. 3, 8. Ext. 5. *se vita malle excedere quam metu violentae mortis amicos inimicosque iuxta ponere.* Cf. Taubmann. ad Plauti Trinum. 2, 4, 10.

4. Non alia est ratio, sed aliud orationis genus, quando *iuxta — ac si* et *iuxta — quam* componuntur.

Sallust. Iug. 45, 2. *praeterea transvorsis itineribus quotidie castra movere, iuxta ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire.* Liv. 22, 31, 3. *navalesque socii iuxta effusi ac si insulis cultorum egentibus praedarentur.* Cic. post redit. in sen. 8, 20. *reliquis officiis iuxta ac si meus frater esset, sustentavit.* Ita non Cicero scripsit, sed interpolator aut qui composuit hanc orationem. Cf. Wolfium.

Liv. 10, 6, 9. *ceterum quia de plebe allegebantur, iuxta eam rem aegre passi patres, quam quum consulatum vulgari viderent.*

5. Ex quo usus disiunctivarum particularum pro copulativis invaluit, etiam *iuxta* cum illis componebatur novo quidem modo, nec ante Tacitum cognito.

Tacit. Ann. 4, 74. *noctem ac diem iuxta gratiam aut fastus ianitorum perpetiebantur.* Nemo coniunget *iuxta* cum antecedentibus nominibus.

Tacit. Ann. 11, 33. *Getae praetorii praefecto haud satis fidebat, ad honesta seu prava iuxta levi.* Similiter 1, 6. *metuens ne reus subderetur, iuxta periculoso, ficta seu vera promeret.*

6. In rebus ordinandis eae, quae proxime ponuntur post alias, dicuntur *iuxta positae.* Germani dicunt *nächst*, quod superlativus est verborum *nahe* et *nach.* Significat igitur *iuxta* coniunctionem rerum ex ordine proximam et id quod continuo factum est: unde *post* significare putant. Est vero *zunächst, gleich nach, unmittelbar darauf.* Cf. Drakenb. ad Liv. 9, 9, 4.

Liv. 9, 9, 4. *neque ego inficias eo, tam sponsiones quam foedera sancta esse apud eos homines, apud quos iuxta divinas religiones fides humana colitur.* Non enim intelligo fidem humanam aeque ac divinas religiones cultam. Plin. Hist. n. 2, 7, 5. *nec ideo proximum illi genitum hominem, ut vilitate iuxta belluas esset.* Tacit. 2, 76. *iuxta deos in tua manu positum est* (imperium). Germani *nächst Gott.* Gellius 4, 9. *Nigidius Figulus, homo, ut ego arbitror, iuxta M. Varronem doctissimus.* Gerh. Vossius haec interpretatur una cum Varrone. Est vero Nigidius inter doctissimos secundus, praeter Varronem doctissimus.

Celsus 2, 16. *neque enim convenit iuxta inediam protinus satietatem esse.* i. e. *gleich nach dem Fasten.* Plin. Hist. n. 7, 45, 46. *iuxta haec variana clades.*

Mirum in modum Gellius 7, 3. *quae deinde Cato iuxta dicit, ea, inquit, confessionem faciunt* etc. i. e. *unmittelbar darauf.*

7. Grammatici tradunt recentissimo usu admodum pravo *iuxta* poni pro *secundum*, praesertim in afferendis praeceptis: tamen quo factum id sit, non demonstrant. Cf. Cellar. Antibarb. p. 169. Cur. poster. p. 222. At ex eo, quod *iuxta* coniunctionem significat, facile progredimur ad regulam alicuius rei, cui quis se adiungit, quamque sequitur. Est igitur *gemäfs.* Mali autem scriptores adiunxerunt nomina auctorum, veluti *iuxta Homerum.* Cf. Ger. Vossium de Vitiis Serm. 35. p. 165. Borrichii Cogitat. p. 277. Ruhnken. ad Muret. Tom. 2. p. 105.

Si antiquitas huius usus constaret, ad eum referri possent verba Livii 39, 9, 6. *huic consuetudo iuxta vicinitatem cum Aebutio fuit.* i. e. per occasionem vicinitatis, pro vicinitate.

Iustin. 1, 7, 1. *quem iuxta nocturnum visum ergastulo liberaverat.* 12, 3, 11. *conviviumque iuxta regiam magnificentiam ludis exornat.* 36, 1, 6. *benigne et iuxta cultum pristinae fortunae habetur.* Nazarii Paneg. Constant. 23, 2. *ubi magna venerunt, iuxta magnitudinem exantlandi operis erigitur.*

Iustin. 2, 12, 25. *Iones iuxta praeceptum Themistoclis pugnae se paullatim subtrahere coeperunt.* Vlpianus in Digest. 29, 5, 1, 28. *iuxta hoc tamen videtur et divus Hadrianus rescripsisse in haec verba.* Solinus 11. *iuxta siderum disciplinam.* Cod. Iustin. 10, 50, 2. *iuxta iuris publici auctoritatem.* Cod. Theod. 12, 6, 8. *iuxta inveteratas leges.* Salvianus 6. p. 125. *iuxta domini nostri dictum.* Hieronym. ad Rustic. Monach. 4. extr. *iuxta illud poeticum.*

Hieronym. Epist. 2. *iuxta prophetam Zachariam.* Epist. 82. *iuxta inclytum oratorem, silent inter arma leges.*

IV. 1. Alia adverbii forma est *iuxtim:* nam *im* syllaba, quam adverbia e verbis nata assumere solent, etiam ad alia accedit, sicuti *calim* dicebatur et *partim.* Significat *iuxtim* idem quod *iuxta.*

Apud Nonium 2, 457. *Sisenna ab urbe condita: Iuxtim Numicium flumen obtruncatur. Livius Aegistho: In sedes collocat se regias, Clytemnestra iuxtim: tertias natae occupant.* Lucret. 4, 501. *quur ea, quae fuerint iuxtim quadrata, procul sint visa rotunda.* 4, 1208. *quos utriusque figurae esse vides iuxtim.* ubi Lambin. Sueton. Tiber. 33. *assidebatque iuxtim.* ubi editio-

nes incorrectae *mixtim*. vd. Burmann. et Oudendorp. Apulei. Met. 2. p. 120, 31. *iuxtim se ut assideret, effecit*. Florid. p. 364, 17. *ubi iuxtim consedit*.

2. Scriptores post Domitianum, ut coniunctionem rerum significarent, dixerunt *iunctim*, quod etsi a librariis fere commutaretur cum *iuxtim* (vide Brant. ad Apulei. Met. 2. p. 169. Oudend.), tamen et usu et significatione distinguebatur. Recte enim legitur apud Sueton. Tiber. 9. *magistratus et maturius inchoavit et pene iunctim percucurrit, quaesturam, praeturam, consulatum*. In Claud. Mamert. Paneg. Maxim. 11, 4. restitui debet: *quam iuncti sedent!* Apud Gellium 12, 8. non dubito quin scribendum fit: *fors fuit ut apud eamdem mensam duo illi iuxtim locarentur*. Apulei. Metam. 2. p. 128, 40. *dumque iam iunctim proximamus*. Revocari debebat codicum scriptura *iuxtim*.

*) Commutabantur verba *iuxta*, *iacta*, *iuncta*, *iuxtim* et *uicti*. In Apulei. Met. 2. p. 121, 31. (p. 126. Oud.) restituendum videtur *iuxta proximat*. De verbis *iuxta* et *iusta* commutatis Drakenb. ad Liv. 6, 6, 18.

LICET.

Verbum LICET, quod significat *conceditur* sive *concessum est*, haec habuit fata. Antiquissimo tempore verbum, quod erat, coniungebatur cum infinitivo aut cum coniunctivo, praefixo *ut*. Sed poterat haec coniunctio omitti atque dici a Cicerone ad Att. 1, 16. *ex qua* (oratione) *licet pauca degustes*. 5, 1. *vel ipsi hoc dicas licet, humanitatem ei meo iudicio illo die defuisse*. Tum vero in sententiis, quae coniunctivo exprimebant aliquid fieri posse, interponi coepit *licet*, ut significaretur id, quod fieret, fieri cum concessione. Sic apud Horatium Epist. 1, 16. verba *tollas*, *licet* possunt ita accipi, ut coniunctivus non ex verbo *licet* pendeat. Vide Schmidium ad h. l. Cic. ad Fam. 16, 21, 4. *firmo id constantique animo facias*, *licet*. Cf. Kritz. ad Sallust. Cat. 35, 2. Atque hoc modo inseritur adeo in sententias concessivas, quae per particulas *quamvis*, *quantumvis*, i. e. *quam vis*, *quantum vis*, constituuntur.

Cic. de Leg. 3, 10, 24. *et praeter eos quamvis enumeres multos licet, quum deni creentur, nonnullos in omni memoria repe-*

ries perniciosos tribunos. Tusc. 4, 24, 53. *quamvis licet insectemur istos.* ubi bene Bentleius monstrat tria esse verba *quam vis licet.* de Nat. d. 3, 36, 88. ubi vide Heindorf. Lucret. 6, 601. *licet quamvis coelum terramque reantur incorrupta fore, aeternae mandata Saluti.* ubi Wakefield.

His enuntiatis opponi poterat alia sententia, quae significaret, nihilominus alteram rem fieri, eaque adiungebatur nulla copula interiecta. Sic Cic. ad Att. 14, 4. *sed omnia licet concurrant: idus martiae consolantur.* Ita enim est scribendum, non commate posito, quasi *licet* pro *etsi* positum sit.

Nemo non intelligit, in his omnibus *licet* non esse coniunctionem, sed verbum: nec Prisciani aliorumque grammaticorum decreta ad antiquiorem usum spectant. Cf. Priscian. p. 1028. Vossii Aristarch. 1. p. 378. Postea tamen facta est mutatio, cuius principia considerare nos oportet. Nimirum ubi accedebat altera sententia, Latini eam ut arctius copularent, pro coniunctione usurpabant verbum, cui saepe respondebat *tamen.* Nihilominus manebat una significatio concessionis, quam nos verbis reddimus *mag* vel *dürfte*, diversa quidem a particulis *quamquam*, *etsi:* sed verbale illud ab initio sententiae positum vicem coniunctionis praestat. Primus enim locus ei est assignandus, nisi praemittuntur vocabula, quae ipsi huic verbo inhaerent. Transitus autem in hunc usum apparet in locis illius generis, cuius est Cic. de Harusp. Resp. 9, 19. *quam volumus licet*, *Patres Conscripti*, *ipsi nos amemus*, *tamen nec numero Hispanos nec robore Gallos —*, *sed pietate ac religione — omnes gentes nationesque superavimus.* i. q. quamvis licet. Diomedes p. 387. *quamvis* et *licet* inter coniunctiones nominat. Cf. Priscian. 16. p. 1028.

Cic. p. Rosc. Am. 11, 31. *quoniam quidem semel suscepi, licet hercule undique omnes terrores periculaque impendeant omnia, succurram atque subibo.* Virgil. Aen. 6, 400. *nec vim tela ferunt, licet ingens ianitor antro aeternum latrans exsanguis terreat umbras, casta licet patrui servet Proserpina limen.* Quintil. 6, 4, 15. *nam improbitas, licet adversario molesta sit, iudici invisa est.* 10, 1, 99. *in comoedia maxime claudicamus, licet — Caecilium veteres laudibus ferant, licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur.*

Sequitur *certe.* Cic. Acad. 2, 32, 102. *licet enim haec quivis arbitratu suo reprehendat, quod negemus rem ullam percipi posse, certe levior reprehensio est.*

Addito *tamen*: Cic. ad Fam. 13, 27, 1. *licet eodem exemplo saepius tibi huius generis litteras mittam, quum gratias agam — : sed tamen non parcam operae et ut vos soletis in formulis, sic ego in epistolis, de eadem re alio modo.* ad Att. 3, 12. *licet tibi, ut scribis, significarim, ut ad me venires Dodonam: tamen intelligo te re istic prodesse, hic ne verbo quidem levare me posse.* Quintil. 2, 2, 8. *licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen viva illa, ut dicitur, vox alit plenius.* 12. prooem. 2. *quare nunc quoque, licet maior quam umquam moles premat, tamen prospicienti finem mihi constitutum est vel deficere potius quam desperare.* Plin. Epist. 2, 16, 3.

Vbi praecedunt alia vocabula, ea ad interpositum *licet* referenda sunt, veluti apud Senec. de Tranq. an. 7, 4. *constet illi licet fides et benevolentia, tranquillitas tamen inimicus est comes perturbatus et omnia gemens.*

Denique omnis illa ratio verbi negligi coepit, ideoque *licet*, pro coniunctione acceptum, adeo cum indicativo componebatur, ut significaret *quamquam*, *etsi*. Id fecerunt iurisconsulti, et post eos alii. Cf. Reinesii Epist. ad Daum. 104. et 106. ubi Daumius suspicatus est, *licet*, quod ob *ut* omissum cum coniunctivo esset consociandum, propterea indicativum admittere, quoniam *quod* pro *ut* suppositum esset. Equidem non assentior. Diomedes p. 387. *quamvis et licet recipiunt subiunctivum.* Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 102. Muncker. ad Fulgent. Myth. 1. p. 23. Burmann. ad Anthol. Lat. Tom. 2. p. 471.

Caius in Dig. 50, 16, 58. *licet inter gesta et facta videtur quaedam esse subtilis differentia, attamen καταχρηστικῶς nihil inter factum et gestum interest.* Vlpian. in Dig. 2, 15, 8, 25. *valet transactio, quia fructus habitationis praestatur, licet ruinae vel incendio sublecta transactio est.* Iulian. in Dig. 29, 7, 2, 2. *et ideo licet directae libertates deficiunt, attamen ad fideicommissarias eundum est.* Alia affert Heinecc. in Brissonii libro p. 734. et Daumius l. l. Ammian. Marcell. 22, 8, 2. 26, 6, 1. Apulei. Met. 2. p. 117, 24. *quod bonum, felix et faustum. Itaque, licet salutare non erit, Fotis illa tentetur.* Macrob. Sat. 1, 11. p. 261. *Diogenes etiam cynicus, licet ex libertate in servitutem venum ierat* etc. Corippus 1, 85. *licet haec deus omnia fecit.* Anthol. Lat. 5, 218. *obduxi licet arma, sum Priapus.*

Apud Nemes. Cyneg. 232. *est forma illis licet obsita villo, dissimilesque habeant catulis velocibus artus, haud tamen iniucunda dabunt tibi munera praedae.* Critici scripserunt *sit*, Sca-

liger melius *sed:* mutatio enim etiam ob hiatum est necessaria. In Virgilii Aen. 6, 803. iamdudum e codd. est revocatum *fixerit aeripedem cervam licet,*

Haec tamen iis non vera videbuntur, qui a Lachmanno edocti sunt, Latinos veteres in brevi oratione *licet* cum adiectivis coniunxisse, uti solent nostri temporis homines. Id ille quidem exposuit in notis ad Propert. 3, 30, 74. (2, 34, 74.) et scribendum censuit: *huic, licet ingratae, Tityrus ipse canam.* At falsa est observatio. Veteres Latini *licet* non usurparunt, nisi in nominativo intelligebatur *sit*, aut verbum in primaria enuntiationis parte positum. Cf. Grysari librum de lat. scrib. arte p. 520.

Propert. 4, (5,) 11, 17. *immatura licet, tamen huc non noxia veni.* i. e. licet immatura venias. Stat. Theb. 1, 286. *equidem haud rebar te mente secunda laturam, quodcumque tuos, licet aequus, in Argos consulerem.*

Propert. 2, 34, 74. servanda erat codicum scriptura: *huic licet ingratae Tityrus ipse canat.* Ovid. Met. 15, 62. nunc restitutum est: *isque, licet coeli regione remotus, mente deos adiit.* pro *remotos.*

LONGE.

Omitto significationem longinquitatis, quae imprimis cernitur in rebus a loco aliquo recedentibus vel promotis et in regionibus, quae longo intervallo distant: nec declarabo, quo modo *longe* triplici ex ratione et in longinquo et in longinquum et e longinquo significare et in quibusdam dictionibus brevitati, veluti verborum, opponi possit. Nam haec omnia in lexicis satis demonstrata, tamen non accurate disposita sunt.

Hartungius in libro de Casibus p. 208. ut demonstraret adverbiorum terminationem esse syllabam modalis vel localis casus, attulit exemplum vocabuli *longe*, quod apud Lucret. 1, 712. esset *longei.* At ibi leguntur haec: *magnopere a vero longei dérrasse videntur*, nec quisquam sanus dubitabit, quin nominativus sit adiectivi. Conf. Forbiger ad h. l.

1. An *longe* de tempore pro *diu* latine dici possit, inter grammaticos ambigitur. Ex iis nomino Lambinum, qui ad Cic. Phil. 5, 6. Victorium acriter perstrinxit, quod scripserat *non disputabo de hoc longius,*

et Wagnerum, qui ad Virgil. Ecl. 4, 53. nullum exstare exemplum ait, in quo positiva forma adverbii *longe* potestatem temporalem habeat. Defendit autem hunc usum Burmannus ad Lucan. 9, 921. miratus, quo modo factum esset, ut *longum* atque alia nomina loci de tempore dici possent, *longe* autem non posset. Quod saepe accidit, omnes hi viri verum senserunt, sed non ad rationes retulerunt: quae quidem et in ipsa significatione et in usu positae sunt. Sed iam antiqui grammatici aliquid observarunt. Servius ad Virgil. Aen. 10, 317. *nec longe pro nec multo post, adverbium loci pro tempore: antique.* Neque impediebat ulla caussa, quo minus *longum* a loco ad tempus transferretur, et pro *diu* diceretur. Nam *longum* a *diu* eo differt, quod illud, omisso temporis vocabulo, magnitudinem temporis praedicati nomine, *diu* autem substantivi notione exprimit. Hinc vero efficitur, ut *longum* proprie significet procedens tempus et res per tempus productas, *diu* tempus non finitum et res in tempore manentes. Sic Germani *fortdauernd* et *andauernd* diversa vocabula usurpant. Haec tamen usu non semper distinguuntur. Sic Plaut. Epid. 3, 2, 40. *nimis longum loquor: diu me estis demorati.* Sed aliis multis in locis legitur *diu dicere:* vide T. 2. p. 286. Neque igitur male diceretur *longum vivere* et *longe vivere.* Tamen non ita loquuti sunt elegantiores Romani, quorum nemo *longe* et *longum* adverbia de tempore usurpavit. Dixit Plautus quidem Stich. 4, 1, 23. *quamdudum in portum venis huc?* PA. *Longissume.* Et quod legitur Men. 5, 9, 52. *quid longissume meministi, dic mihi, in patria tua?* in eum modum est formatum, quo Cic. p. Arch. 1, 1. *quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis.* Intelligitur spatium temporis. Illi vero elegantiores dixisse videntur *longum* h. e. in longum tempus: certe dixerunt *longius*, pro *in longius.*

Caes. Bell. gall. 7, 71. *sed paullo etiam longius tolerare possum parcendo.* 4, 1. *neque longius anno remanere uno in loco colendi caussa licet.* Cornel. Attic. 2, 4. *neque longius, quam dictum esset, eos debere passus est.* Sallust. Cat. 29, 1. *quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat.* Ovid. Met. 11, 702. *si vitam ducere nitar longius.* i. e. in longius. Carm. in Maec. 4. *tam longius annoso vivere dignus avo.*

Et sunt dictiones, quae ad spatium temporis designandum recipiunt *longius*, non item *diutius:* veluti apud Cic. Brut. 15, 60. *Varro putat in hoc erratum vitamque Naevii producit longius. Longius dicere* et *longum dicere* non significat per longum tempus, sed per longam orationem, multis verbis. Tandem poetae, Virgilium imitantes, etiam *longe* de tempore pro *longum* usurpare coeperunt, tamen rarius, nec omnes.

Virgil. Aen. 10, 317. *nec longe.* quod apud Stat. Theb. 7, 300. *nec longum.* Vti Valer. Flaccus 3, 547. dixit: *longum resistens,* ita 3, 37. *ipse diem longe solisque cubilia Tiphys consulit.* 7, 264. *longeque mirabar et ipsa.* Atque ita Virgil. Aen. 5, 406. *ante omnes stupet ipse Dares longeque recusat.* in quibus, etiamsi Servius *longe* pro *valde* dictum putat, recte intelligimus longam recusationem.

Aliam rationem habet dictio *longe ante,* de qua infra.

Stat. Silv. 1, 1, 75. *auditum longe numen mihi.* male Barthius explicuit: diu ante hunc conspectum: est enim in longinquo, in profundo. Apud Virgil. Ecl. 4, 53. non codicum auctoritate constitui poterit, utrum scribamus: *et mihi tam longe maneat pars ultima vitae, spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta:* an *et mihi tam longae maneat pars ultima vitae.* At poetae sententia non alia esse potest quam haec: quae mihi adhuc concessa est ultima pars vitae, ea sit tam longa, quantum etc. Quare necesse est scribamus *tam longae vitae:* nec dici potest *mihi longe manet*, quod certe esse debet *me manet longe.* Aen. 11, 214. *longi pars maxima luctus.* Inepte commendat Servius scripturam *longe.* In Lucani 9, 920. quidquid comprobetur, inepta est Burmanni sententia de cervo *longe vivente.*

2. Memoranda nobis est ea significatio, qua longum intervallum sive interiectum spatium de rebus distantibus dicitur: quemadmodum *longe sequitur* is, qui remotus sequitur vel extremus. Vnde adverbium ad qualiacumque verba distantiae et discessus transfertur, sed primitiva significatione locali etiam in metaphora servata. Dicitur enim *longe aberrare* Cic. de Orat. 2, 38, 160. et in Verr. 2, 4, 10. *longissime abhorrere.* Virgil. Aen. 1, 252. *longe disiungi.* 12, 44. *quem nunc moestum patria Ardea longe dividit.* ubi Servius male coniungit verba *longe moestum.* Donatus autem ad verba Terentii *et errat longe* Adelph. 1, 1, 40. notavit:

melius est longe simpliciter accipiendum, ut locale sit, quam valde.

Valer. Flacc. 1, 652. *quos* (Notos) *caerulus Horror et madido gravis Vnda sinu longeque sequutus Imber ad Aeoliae tendunt simul aequora portae.* Haec ita sunt ordinanda: quos Horror et Vnda sequuti et longe, i. e. extremo loco, sequutus Imber tendunt. Quintil. 5, 12, 9. *ita longe quidem, sed sequitur tamen.* 10, 1, 87. *ceteri omnes longe sequentur.*

Similia haec sunt: Quintil. 12, 10, 9. *Phidias tamen diis quam hominibus efficiendis melior artifex creditur, in ebore vero longe citra aemulum.* Stat. Ach. 1, 176. *par studiis aevique modis, sed robore longe.* i. e. longe remotus, infra Achillem.

Cic. de Amic. 9, 32. *at ii, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe dissentiunt.*

3. Atque haec distantia est caussa, quapropter *longe* proprie componitur cum vocabulis diversitatis et dissimilitudinis.

Cic. de Orat. 1, 49, 215. *multum inter se distant istae facultates longeque sunt diversae.* Quintil. 5, 11, 26. Topic. 12, 53. p. Sull. 17, 49. *et erat huic iudicio longe dissimilis illa contentio.* p. Font. 17, 39. *o fortunam longe disparem.*

Cic. Phil. 5, 18, 49. *eius autem filii longissime diversa ratio.*

Saepe adiungitur nominibus *aliud*, *aliter*, *secus*. Cic. ad Fam. 14, 11, 1. *nostra factum esse negligentia, ut longe alia in fortuna esset.* Vatin. ad Cic. Epist. 5, 10, 8. *longe alia conditione ego sum, ac ceteri imperatores.* Liv. 1, 12, 8. *iam sciunt longe aliud esse virgines rapere, aliud pugnare cum viris.* 39, 28, 1. *ad eam Philippus longe aliam, quam adversus Thessalos Perrhaebosque nuper, ingressus disserendi viam inquit —.* 23, 43, 6. *longe alia omnia inquirenti comperta sunt.* Sallust. Cat. 52, 2. *longe mihi alia mens est.*

Cic. Acad. 2, 31, 101. *Stoici, qui multa falsa esse dicunt longeque aliter se habere, ac sensibus videantur.* Orat. 58, 198. *nam est longe aliter in versibus.* Vide Tom. 1. p. 274.

Cic. p. Planc. 38, 93. *quod est longe secus.* de Amic. 9, 29.

4. *Longe esse*, quod dicitur de eo, qui non adest alicui, nec quidquam iuvat, exempla habet apud poetas et apud recentiores scriptores. Vide Mureti Var. Lect. 10, 4. Cerdam ad Virgil. Aen. 12, 52. Freinshem. in Indice Flor. Drakenborch. ad Silii 17, 80. Non modo

praepositio *ab* sequitur, sed saepius dativus. Recentissimi scriptores adverbium ita cum nominibus componebant, quasi esset praepositio.

Apulei. Met. 1. p. 110, 40. *haud ita longe radices platani lenis fluvius — ignavus ibat.*

Apulei. Met. 5. p. 162, 32. *extorres et lare et ipsa patria degamus longe parentum velut exulantes.*

5. Antiquum est praeceptum, quo grammatici docuerunt *longe* idem esse ac *valde*, *multum*. Vd. Servium ad Virgil. Aen. 1, 13. 252. 2, 711. 12, 44. qui tamen in plurimis his locis explicandis haud bene versatur, Diomedem p. 182 et 183. Sapientius Donatus ad Terentii Ad. 1, 1, 40. ea, quae nos p. 548. iam attulimus. Sed *longe* cum significatione a loci distantia translata veteres Latini addebant tantum verbis, quae praestantiam significant antecedendi aut anteponendi notione. Interdum *multum* idem significans accedit. Exempla, in quibus adverbium post suum verbum collocatum est, admodum pauca sunt. Cf. Frotscher. ad Quintil. 10, 1, 67.

Cic. Brut. 64, 230. *P. Lentulum Suram longe praestitit.* **in Verr. 4, 53, 118.** *longe ceteris antecellunt.* **5, 44, 115.**

Cic. Acad. 1, 1, 3. *quum — ea res longe ceteris et studiis et artibus antecedat.*

Cic. de Orat. 1, 21, 98. *longe academiae et lyceo tuum hoc suburbanum gymnasium anteponam.* **ad Att. 2, 16.** *ut ille tuus τὸν πρακτικὸν βίον longe omnibus anteponat.*

Cic. de Fin. 5, 14, 40. *quum longe multumque praestet mens atque ratio.* **p. Mur. 13, 29.** *dicendi consuetudo longe et multum isti vestrae exercitationi ad honorem antecellet.* **in Verr. 5, 44, 115.** *longe omnes multumque superabit.*

6. Sed praestantia illa maxime apparet in superlativo, cui, ut maiorem habeat vim, praefigi solet *multo* et *longe*, quibus indicamus, quantum distet id, quod summum est. Nos Germani dicimus *bei weitem der gröſste*. Cf. Kritz. ad Sallust. Iug. p. 42. Superlativis autem similia ea sunt adiectiva, quae summum locum indicant, veluti *primus*, *princeps*.

Plaut. Most. 3, 3, 8. *longe omnium longissima est.* **Cic. in Verr. 5, 72, 187.** *longe maximis atque occultissimis ceremoniis*

continentur. de Orat. 1, 11, 47. *principi longe omnium in dicendo gravissimo.* Brut. 62, 224. p. Rosc. Am. 12, 33. Brut. 14, 55. *quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse videatur.* Caes. B. gall. 5, 14. *ex his omnibus longe sunt humanissimi, qui Cantium incolunt.* 1, 2. Liv. 41, 4, 6. *longe plurimos hostium occidit.* Horat. Sat. 1, 5, 3. *Heliodorus Graecorum longe doctissimus.* 1, 5, 89. Quintil. 7, 4, 4. 10, 31, 3.

Cic. in Verr. 2, 22, 53. *huius longe primus civitatis est Epicrates quidam.* Liv. 29, 28, 8. *longe primus civitatis erat.* Cic. ad Fam. 13, 13, 1. *longe princeps municipii lucensis.* Liv. 1, 49, 9. Quod 3, 27, 1. legimus: *qui bello tamen primus longe romanae iuventutis habitus esset.* non tam insolito verborum ordine, quam magna librorum discrepantia dubitationem movet.

7. Cum comparativo non composuerunt Cicero et ceteri scriptores veteres, sed poetae posterioris aetatis et historici recentiores. Nec deerat ratio, quoniam etiam in duabus rebus comparandis distantia apparet saepe magna.

Virgil. Aen. 9, 556. *pedibus longe melior Lycus.* Ovid. Met. 4, 325. vd. n. 9.

Phaedr. 3, 7, 6. *ego, qui sum longe fortior, pereo fame.*

Vellei. Pat. 2, 51, 3. *variatum deinde proeliis, sed uno longe magis Pompeianis prospero.* 2, 74. *eamque* (Italiam) *longe quam speraverat tumultuosiorem reperit.* Quintil. 10, 1, 70. *sed mihi longe magis orator probari in opere suo videtur.* 10, 1, 67. *utiliorem longe fore Euripidem.* 6, 4, 21. Petron. 9. *longe maiore nisu clamavit.* 98. *Giton longe blandior quam ego.* 118. *quod longe melius historici faciunt.* Digest. 4, 4, 39. vd. n. 9. Lactant. de Ira Dei 11, 12. *septem illis sapientibus longe antiquior.*

8. Proprie componitur *longe* cum vocabulis *ante* et *post*, sive tempus significatur, sive praestantia. Est enim id quod *multo.*

Cic. Tusc. 3, 14, 29. *haec igitur praemeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quae venientia longe ante videris.*

Liv. 1, 9, 12. *unam longe ante alias specie ac pulchritudine insignem — raptam ferunt.*

Gellius 17, 21, 35. *neque ita longe post Aristoteles philosophus et post aliquanto Demosthenes vita functi sunt.*

9. Vt potestas vocabuli augeatur, bis ponitur, nec tantum primaria significatione loci, quemadmodum Horatius Sat. 1, 6, 17. *quid oportet nos facere a volgo longe longeque remotos*, sed etiam in translationibus. Vide Bentleium ad Horatii versum.

Cic. de Fin. 2, 21, 68. *plurimum se et longe longeque plurimum tribuere honestati.* **Ovid. Met. 4, 325.** *sed longe cunctis longeque potentior illa est.*

Gellius 14, 1, 20. *et supra longe atque longe per infinitum.*

Saepe commutata est formula *longe latcque*, **quae de spatiis tantum dici poterat: veluti Digest. 4, 4, 39, 1.** *et longe lateque rem meliorem fecit.*

10. Haec omnia bene conveniunt cum ipsius vocabuli natura. Sed posterioris aevi poetae hoc adverbium etiam adiectivis simplicibus addiderunt, quae aliquam virtutem aut magnitudinem significabant. Eosque imitati sunt recentissimi scriptores prosaici. Quare Laur. Valla in Eleg. 1, 18. „*longe* igitur, inquit, pro *valde* proprium est, exceptis paucis, comparativi et superlativi: ipsum autem *valde* positivi et verbi, ut *valde dives*, *valde laudat:* nec ausim dicere *longe dives*, *longe laudat*, nec *valde ditior*, *valde ditissimus.*“ Neque vero comprobari poterit ille usus ratione omnino destitutus. Conf. Ruddimann. 2. p. 309.

Stat. Theb. 10, 140. *aoniis longe gravis imminet arvis.* **Silv. 4, 6, 29.** *linea quae veterem longe fateatur Apellem.*

Apulei. de Deo Socr. p. 52, 4. *Calchas autem longe praestabilis ariolari.* **Met. 1. p. 112, 1.** *ampliter nummatus et longe opulentus.* **6. p. 176, 15.** *accepturus — septem savia suavia et unum blandientis appulsu linguae longe mellitum.* **Florid. p. 360, 12.** *Protagoras quidam sophista fuit longe multiscius.*

Apud Vlpian. in Dig. 43, 18, 1, 1. olim legebatur *sed longe utile visum est:* nunc autem *longe utilius.*

MAGIS.

Festus: *magis a graeco* μᾶλλον *venit.* Quod quum grammatici ab omni ratione abhorrere vidissent, in alia omnia discesserunt. Gerh. Vossius a *magior* remansisse dicit adverbium *magis* et Iul. Caes. Scaliger de Caussis lat. ling. c. 101. neque vero prudenter negarunt, inquit, *magis* esse comparativum: nam *magnus* fecit

magnior, *magnius* et *magius*, ac tandem *maius:* adverbium autem voluerunt variare, retenta littera pristina, ac fecere *magis*. Atque in hoc exemplo discessisse putat Latinos ab analogia adverbiorum, quae a neutris non discedunt. Sed verum perspexerant ii, qui positivum esse *magis* existimarunt. Nam ex illa stirpe, qua prognatum erat antiquum verbum *magere*, unde *mactus* factum est, prodiit etiam adiectivum *magis mage*, quae utraque forma adverbialem in usum adhibebatur, veluti *potis* et *pote*, *satis* et *sate*, quod fit *sat*, *nimis* et *nimium*. Atque in eumdem fere modum ex *sequi* sumptum est *secus* et ex *vertere versus*. Haec omnia Hartangius in libro de Casibus p. 229. non tam ad accusativos neutrius generis, quam ad dativos referri debere opinatur. Scilicet in hac nova doctrina mensurae syllabarum nulla habetur ratio. Nemo autem umquam dubitavit in verbis *hoc potis est:* quidni *magis* et *satis* etiam usurpetur eodem modo? Ramshornius genitivi formam agnoscit, et probabilius quidem.

Mage dixerunt veteres Latini et in iis comici. Vide Plaut. Asin. 1, 1, 51. 2, 3, 14. Men. 2, 3, 35. Poen. 1, 2, 64. 2, 14. Trin. 4, 3, 46. Ennius apud Cic. ad Fam. 7, 13, 5. et p. Mur. 14, 30. et apud Gellium 20, 10. *non ex iure manum consertum, sed mage ferro.* quamquam non consentiunt libri, qui plurimi *magis* habent. Antiquos imitabantur Lucretius 4, 79. et Virgilius Aen. 10, 481. ubi Servius: *quod adeo in usum venit, ut etiam in prosa inveniatur. Cicero in Frumentaria: mage condemnatum hominem in iudicium adducere non posse.* Nec mirabimur novissimo aevo imitationem esse restauratam. Phaedr. 5, 3, 11. Solin. 22. (35.) Boeth. de Consol. 3. carm. 1, 5.

Manutius ad Cic. Epist. 7, 13. „ablicitur *s* in *magis*, metri caussa: quod qui ignorabant, fecere *mage*, ut in Gellio, et in oratione pro Murena: in hac quidem epistola scripti libri omnes nulla varietate habent *magis*.“ Assentiunt Gronovius et Ernestius. Klotzius ad Cic. Tusc. 2, 15, 36. quid sentiat, non liquet: dicit enim poetam non scripsisse *magi'*, quum in promptu esset *mage*, sed *magis* pro *magi'*. Sed dicere voluit, hoc loco, uti saepe alias, finalem syllabam neglecta positione corripi. Conf. 2, 16, 38. In inscriptione apud Gruterum p. 654, 5. legitur *magi*. Veteres grammatici non consentiunt. Valer. Probus p. 1438. *mage* per apocopem dici pro *magis* tradit: Cledonius p. 1921. primitivam adverbii formam existimat

esse *mage*. Sed Donatus p. 1772. *παραγωγή est, appositio ad finem dictionis litterae aut syllabae, ut magis pro mage et pote pro potest.* Quae verba non corrupta mihi videntur, etiamsi grammaticus exemplis haud bene usus est.

1. *Magis* est vocabulum positivi generis, magnam vel auctam rem significans, sed in rerum comparationem ita adhibetur, ut qualitas e cognitione contrarii constituatur. Contrarium autem apparet in diversis gradibus qualitatis, ideoque comparatione cognoscitur maior gradus, quem particula *magis* proprie designat. Haec enim, quae primo significatu exprimit auctam vel amplam conditionem, ut *magis doctus* sit is, qui etiam perdoctus dicitur, in rerum collatione nominibus attributivis additur, ubi indicandum est, quo altera res maior sit altera: nam *magis doctus* est doctior quam ille alter. In hac vero rerum comparatione quum tres rationes moderentur iudicium nostrum, tres etiam sunt in latina lingua orationis formae, quibus illae rationes designantur. Nam aut in rerum natura maiorem gradum spectamus, aut alteri rei attribuimus iudicio nostro praestantiam, aut reiiecta altera re concedimus alteri locum. Primi generis sunt *hoc magis aequum* sive *aequius est:* secundi *magis hoc aequum est:* tertii *potius hoc aequum est.* Quibus intelligitur, quid discriminis intersit, utrum *magis* apponamus attributivo nomini, an attribuenti verbo *est*, hoc est, utrum conditionem auctam et maiorem in ipsis rebus cernamus, an iudicio praestantiam rei statuamus. Praeterea diversitas apparet, qua vocabula *potius* et *plus* a *magis* distinguamus. Nam *potius* indicat, alteram rem praeferri, alteram reponi aut excludi, atque negationi, quae aliquid removeat, et correctioni inservit: *plus* autem non qualitatem auctam, sed quantitatem notat vel numeri vel copiae, vel ambitus. Quamquam quotidianus linguae latinae usus haec miscuit non uno modo.

Aug. Grotefendus praecepta Ramshornii improbans nova decreta posuit in Ephemerid. Ienens. 1833. n. 10. *magis* significare maiorem altitudinem et magnitudinem, *plus* vim et copiam rerum, sed in usu linguae id aliter se habere: nam vocabulo *plus* augeri notionem rei, vocabulo *magis* certiorem reddi rem et ampliorem. Quae omnia quantum a veritate aberrent, non est quod demonstrem.

Noltenius in Lexic. p. 1130. „*magis* significat in maiorem

modum, *potius* autem unice." Belerus ad Cic. Lael. p. 42. „2, 10. *quod quidem magis credo* dubitantius quam *ut potius reor*, ut Virgilius loquitur. Hoc enim alteram sententiam plane excludit."

2. Praemittitur *magis*, ut vulgo notum est, non modo adiectivis et adverbiis, quibus ad comparativum designandum vel ob naturam rei immutabilis vel ob linguae usum propria forma deest, sed etiam iis saepe, quae in comparatione formae suae mutationem admittunt, quemadmodum Plautus Amph. 2, 1, 54. *magis simile*, Pseudo 4, 1, 27. *magis malus* Asin. 3, 3, 114. *magis sapiens*, Most. 1, 3, 40. *magis saepe*, Terentius Ad. 4, 5, 30. *dicendum magis aperte* dixerunt. Sed iam antiqui grammatici observarunt quibusdam scriptoribus hanc formam frequentius placuisse, aliis illam. Vd. Donat. ad Terent. Eun. 2, 1, 11. ad 3, 1, 24. ad 5, 4, 13.

Grotefendus, quem antea iam nominavi, caussam, quapropter *magis* iis quoque adiectivis adiiciatur, quae formam comparativam induunt, in significatione quaerit. Verba Terentii (non Ciceronis, ut ille ait), *omnes*, *quibus sunt res minus secundae*, *magis sunt*, *nescio quomodo*, *suspiciosi*, significare, homines, quibus minus secundae sunt res, facilius suspicionem colligere quam alios, qui non facile colligant: sin scripsisset Terentius *suspiciosiores*, dixisse eum, istos homines maiori suspicioni se dedere quam alii, qui minorem habeant suspicionem. In his vero duplex est error. Nam verba Terentii alio modo sunt explicanda, ut infra n. 25. dicam: nec valet praeceptum, quod usus omnino ignorat. Ignorat autem non modo in iis, quae comparativi forma carent, sed etiam in ceteris.

Ad me hic non pertinet demonstrare, quae nomina formationem comparativam non habeant: omnia enim admittunt *magis*: grammatici autem nostri praeceptis suis admodum mancis non satisfaciunt. Apud veteres inveniuntur observationes haud despiciendae, veluti Varro 8, 44. (9, 75.) *quod rogant*, *quor non dicamus mane*, *manius*, *manissime*, *item de vesperi*, *in tempore vere magis et minus esse non potest*, *ante et post potest*: *itaque prius est hora prima quam secunda*, *non magis hora*, *sed magis mane surgere tamen dicitur*, *qui primo mane surgit*, *quam qui non*, *prior*. *Vt enim dies non potest esse magis quam mane*: *ita ipsum hoc*, *quod dicitur magis*, *sibi non constat*, *quod ma-*

gis mane significat primum mane, magis vespere novissimum vesper. Ita scribendum mihi videtur.

Nonnumquam comparativus et positivus nominum comparativa forma non destitutorum in una sententia componuntur. Exempla memorat Ruddimann. 2. p. 102.

3. In attributivis vocabulis quum etiam verba numerentur, *magis* itidem cum verbis componi potest, et triplici quidem modo. Etenim aut significat vehementius, valdius, aut exprimit frequentatam et ampliorem actionem, aut pro *potius* ponitur. Significatio haec saepe moderatur ordinem vocabulorum. Interdum verbo tribuitur, quod ad rerum maiorum naturam attinet.

Cic. ad Att. 2, 25. *valde te exspecto, valde desidero: neque ego magis, quam ipsa res et tempus poscit.* Plaut. Curc. 3, 6. *si magis instabunt, ad praetorem sufferam.*

Stat. Silv. 4, 6, 9. *quis magis auser exta ferat.* i. e. maiora exta. Valer. Flacc. 1, 271. *omnibus inde magis calor additus.* i. e. maior. Sic etiam Graeci. Euripid. Herc. fur. 918. (911. Herm.) *οὐκ ἄν τις εἴποι μᾶλλον, ἢ πεπόνθαμεν.*

Quintil. 6, 1, 9. *affectibus quoque iisdem fere utuntur: sed rarius hic, ille saepius ac magis.* Sallust. Cat. 1, 2. *sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est: animi imperio corporis servitio magis utimur.* 7, 1. *sed ea tempestate se quisque magis extollere.*

Cic. de Re publ. 1, 49, 62. *tum magis assentiare, Laeli, si — ad maiora pervenero.* Tusc. 2, 5, 14. *magis esset pudendum, si in sententia permaneres.* de Amic. 7, 25. *tu magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, quum est de re publica disputatum, affuisses.* Ita Gernhardus non sine auctoritate codicum edidit, reprehensus a Beiero et Klotzio, sed iniuria. Cicero si scripsisset *tum magis id diceres, si* etc., conditionem iudicii posuisset in praesentia apud Scipionem. Sed *tu magis id diceres* significant: tu, qui Laelium tantopere admiraris, magis admiraturus esses, si eum in hortis Scipionis audivisses. Refertur enim hoc ad personam Fannii.

Magis velle dicitur pro *malle.* Terent. Eun. 5, 7, 1. Val. Flacc. 3, 270. Cf. Drakenb. ad Liv. 2, 39, 8.

4. Poetae, praesertim recentiores, qui in eo laborarunt, ut vocabulis tribuerent notiones etiamnunc e sententiis ipsis colligendas, et interdum alii quoque scriptores *magis* ita usurparunt, ut ex ipsa sententia

aliud nomen substitui deberet, quod magis conveniret cum verbo.

Stat. Silv. 2, 1, 198. *inde magis sequitur.* i. e. confidentius. Quintil. 4, 1, 18. *quae res utrique parti tractanda est, ac nescio an ei magis, in quam videtur propensior.* i. e. cautius, circumspectius, ut Spaldingius vidit.

5. Interdum *magis* additur etiam nominibus, quae quidem ipsa nullam gradationem habent, sed modus significatur, quo mutari et augeri potest vis et ratio agendi, atque indefinita notione, quae est in *magis*, exprimitur id, quod aliis nominibus distinctius est designandum, veluti quum Cicero ait p. Planc. 24, 60. *quaeris, quid potuerit amplius assequi Plancius, si Cn. Scipionis fuisset filius. Magis aedilis fieri non potuisset, sed hoc praestaret, quod ei minus invideretur.* Intellige melius sive splendidius fieri non potuisset aedilis, quam factus est.

Liv. 30, 30, 7. *sed praeterita magis reprehendi possunt quam corrigi.* i. e. facilius.

6. In diligentiore verborum compositione semper respicienda erit proprietas illa, quae apparet in *magis* universae alicui sententiae aut verbo addito. Id enim *potius* significat, nec poteris in verbis *magis est luscinia canora quam alauda*, nisi turbatum ordinem vocabulum statuas, cum Grotefendo coniungere *magis canora.* Rem bene perspectam habuere Goclenius in Observat. p. 243. (340.) et Casp. Barthius, quem vide ad Gratii Cyneg. 90. Sed Burmannus ad Val. Flacc. 1, 74. more suo miscuit diversa exempla. Cf. Carrion. ad Val. Flacc. 3, 271. Barth. ad Statii Theb. 4, 543. ad Achill. 1, 141. Hac dictione igitur aut negatio contrarii inducitur, aut altera re reiecta, altera probatur: praeponimus unum alteri, quod vel minore loco vel nullo ducimus. Ceterum *magis*, quod significat *potius*, post suum verbum poni solet: vide Drakenb. ad Liv. 2, 47, 6. sed etiam ab initio sententiae.

Cic. de Orat. 2, 4, 15. *magis adeo id facilitate quam alia ulla culpa mea contigit.* Pompon. in Dig. 34, 2, 10. *id videtur legasse, quod magis illius quam communis usus caussa paratum esset.*

Propert. 1, 11, 9. *utinam mage te remis confisa minutis par-*

vula lucrina cymba moretur aqua. 1, 4, 3. *quid me non pateris, vitae quodcumque sequetur, hoc magis assueto ducere servitio.* Stat. Achill. 1, 141. *trade magis.* Gratii Cyneg. 90. *cervino iussere magis contexere nervo.* i. e. potius quam alio. Calpurn. 6, 66. *si placet, antra magis vicinaque saxa petamus.*

7. Apud Iulium Severianum Syntom. Rhetor. p. 304. Pithoe. Ciceronis leguntur verba orationis pro Scauro habitae haec: *et quoniam congesta fuit accusatio magis acervo quodam criminum, non distinctione aliqua generum et varietate.* Heumannus et alii pro *non* scripserunt *quam.* Qui illud restituerunt, nullo exemplo demonstrarunt Ciceronem ita dixisse. Numquam enim *magis* sic absolute posuit pro *potius.* Sed Paullus in Dig. 5, 3, 22. *an hic magis possessor audiendus sit, si velit rem tradere, —, non petitor, si pretium desideret.*

8. In disiunctione, ubi veteres Latini *vel potius, seu potius* dixerunt in praeferenda alia re aliove nomine, poetae posteriores etiam *magis* usurpabant.

Nemesian. Cyn. 214. *quum segnes radios tristi iaculatur ab aethra Phoebus — seu magis ignicomi candentia terga Leonis quum quatit* etc. Claudian. de Cons. Stil. 3, 208. *seu tibi Dictaeae placuerunt astra Coronae, seu magis aestivo sedes vicina Leoni, seu sceptrum sublime Iovis.*

9. Grammatici haud raro *magis* pro *plus* aut *amplius* acceperunt, e quibus Ernestium et Goerenzium nomino. Vd. illius Annot. ad Cic. p. Rosc. Am. 14. huius ad Cic. de Leg. p. 230. At ea exempla, in quibus notionem magnitudinis aut copiae intelligamus, aut nulla sunt, aut malae notae. Facciolatus igitur iure negavit *magis* natura sua ad quantitatem referri: quamquam Garatonius ei non credidit, sed in Cic. p. Rosc. Am. 14, 39. scripturam defendit, quam tamen postea ad Verr. 2, 49, 122. ipse vidit esse improbandam. Cf. Grotefendi Commentar. p. 310. Quomodo Noltenius se errore expediat, vide Lex. p. 1131. Sunt tamen dictiones, in quibus utraque particula admitti potest. Dicitur *plus amare* et *magis amare:* hoc est magis quam alii aut alio tempore, et intelligitur diversus modus: illud autem quantitatem amoris indicat et summam quasi amoris: hoc est *in höherem Grade,* illud *in gröſserem Umfang.*

Afferunt Cic. p. Coel. 6, 14. de quibus verbis vide n. 13. et p. Rosc. Am. 14, 39. *annos natus magis quadraginta.* Ibi scribendum esse *maior*, critici nunc satis demonstrarunt. Vide etiam Stallbaum. ad Ruddimann. 2. p. 295.

Opponi potest *minus.* Plaut. Mil. 5, 44. *magis metuant, minus has res studeant.*

10. Fuerunt autem, qui adeo existimarent, *magis* pro *plus* positum in modum substantivi usurpari ideoque cum genitivo componi. Vide Ruhnken. ad Ovid. Her. 17, 102. Absurda erat haec opinio: nam *magis* non potest rem significare, quo referatur verbum.

Ovid. Fast. 6, 631. *hic inter cineres obscoeni forma virilis aut fuit, aut visa est: sed fuit illa magis.* Male reddunt: *es war noch mehr:* nam se corrigit ipse poeta: sed potius fuit illa, non tantum visa est. Her. 17, 102. *nec tibi plus cordis, sed magis oris adest.* Ruhnkenius demonstrat *magis* etiam cum genitivo componi. Est vero: sed potius plus oris adest.

11. Comparatio non nisi duabus rebus collatis constat, sive eae res sunt diversae, sive unius rei diversae conditiones. Quare in usu vocabuli *magis* aut additur altera res per alias particulas, aut intelligitur ea ex ipsa sententia vel ex ante dictis. Particula, quae alteram rem apponat, est *quam.* *Ac* sive *atque* non usurpatur, nisi *magis* adhaeret adiectivo, veluti apud Terent. Andr. 4, 2, 15. *non Apollinis magis verum atque hoc responsum est.* Cf. Tom. 1. p. 472. Ablativum, qui comparatis addi solet, non cum simplici adverbio *magis* coniungunt Romani oratores: poetae interdum ita loquuti sunt. Nam in formulis *magis solito*, *magis aequo*, semper adest adiectivum, cui adhaeret *magis*, ut comparativus efficiatur cum ablativo componendus. Id grammatici nostri non curant. Sed vide Nolten. Lex. p. 1605. et Kellmanni Animadvers. p. 2191. In formulis *aliquanto magis*, *eo magis*, *nihilo magis*, quas suis locis illustravimus, aliam esse rationem, nemo non videt.

Plaut. Pers. 4, 4, 108. *magis lubet* (vendere) *quam perdere.* Sallust. Cat. 14, 7. *sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valebat.* Val. Flacc. 1, 175. *nec nos, ait, optime, segnes credideris, patriisve magis confidere regnis quam tibi.* i. e. maiori confidentia.

Apud Horat. Carm. 1, 25, 17. *laeta quod pubes hedera virenti gaudeat pulla magis atque myrto.* inepte olim acceperunt pro *magis quam myrto.*

Catull. 64, 100. *quantum saepe magis fulgore expalluit auri.* Virgil. Aen. 1, 15. *quam Iuno fertur terris magis omnibus unam posthabita coluisse Samo.* 4, 31. *o luce magis dilecta sorori.* Ovid. Met. 2, 856. *puraque magis pellucida* (cornua) *gemma.* Horat. Sat. 2, 8, 6. *albanum, Maecenas, sive falernum te magis appositis delectat.* In 1, 3, 142. coniunge *magis beatus.* Conf. Bentlei. ad Carm. 1, 25, 11. Euripid. Troad. 783. (805.) *ἀναιδείας τῆς ἡμετέρας γνώμης μᾶλλον φίλος ἐστίν.* Lucret. 3, 275. *nec magis hac infra quidquam est in corpore nostro.*

Liv. 6, 28, 6. *etenim si diem contactum religione insignemque nomine eius loci timeant Romani, quanto magis alliensi die Alliam ipsam monumentum tantae cladis reformidaturos?* Quod Tan. Faber vidit, verba *alliensi diei* esse tollenda, verum est: caussam vero nec ipse perspexit, nec Dukerus. Necesse est enim in primis verbis intelligere diem alliensem, cuius nomen postea addi non poterat. Quae vulgo leguntur, ne latina quidem sunt. Sed video viros doctos etiam Ciceroni tribuisse hunc usum, quo dixisset de Fin. 3, 3, 11. *ceterae philosophorum disciplinae, omnino alia magis alia.* At omnes codices, quorum lectiones cognitas habemus, praeter unum palatinum, praebent *alia magis, alia minus:* quod revocari debet.

Liv. 5, 44, 6. *nunc ab secundis rebus magis solito incauti.*

Quod apud Plautum Cas. 2, 3, 9. legitur *magis initio*, et ab Gronovio explicatur verbis *magis quam primum, quam olim*, ipsum est dubium et cum reliquis verbis corruptum. Diversa autem sunt prorsus, quae confert Burmannus ad Quintil. p. 997. *infinito magis* apud Quintil. 11, 3, 4. et 11, 3, 172. *Infinito* enim additur nomini *magis*, ut sit *unendlich mehr*, et sequitur *quam.*

12. Quando *magis* praestantiam significat et pro *potius* ponitur, sequuntur etiam coniunctiones conditionales et caussales: *magis si, magis est, quod.* Sed hae coniunctiones non cum particula *magis* cohaerent, quae ad id refertur, quod enuntiatione conditionali aut caussali expressum est. Recentiores scriptores *magis si* dixerunt pro *praesertim si.*

Plaut. Mil. 5, 36. *magis id dicas, si scias, quod ego scio.* i. e. tum, si. Cic. de Am. 7, 25. *tu magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis — adfuisses.*

Celsus 6, 18, 6. *si ex ictu tument, sanguinem mitti necessarium est, magisque, si etiam livent.* 2, 8. 2, 30. *et magis, si haec ante fricta sunt.* 3, 13. *post febrem experiri balneum et vinum: magisque si horrore sublato haec superest.*

13. Sed in his duae res observandae sunt. Possunt duae conditiones duaeve caussae inter se hoc modo comparari et vocabula componi ita: *magis si — quam si*, *magis quia — quam quod*, et similia. Aliter autem se habent eae dictiones, in quibus ponitur aliquid esse, etiamsi non sit.

Cic. p. Mil. 7, 17. *nisi forte magis erit parricida, si qui consularem patrem, quam si quis humilem necaverit.*

Cic. ad Att. 16, 5. *quamobrem etsi magis est, quod gratuler tibi, quam quod te rogem: tamen etiam rogo* etc.

Cic. p. Coel. 6, 14. *magis est, ut ipse moleste ferat errasse se, — quam ut istius amicitiae crimen reformidet.*

Cic. p. Cluent. 32, 89. *hic ego, magis ut consuetudinem servem, quam quod vos non vestra hoc sponte faciatis, petam a vobis, ut* etc. Liv. 5, 23, 12.

Liv. 2, 1, 7. *libertatis autem originem inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quam quod deminutum quidquam sit ex regia potestate, numeres.* 2, 13, 3.

Cic. ad Att. 6, 5. *unde quidem quamdiu abfuisti, magis a me abesse videbare, quam si domi esses.* ad Fam. 6, 4, 10. *ad omnes casus subitorum periculorum magis obiecti sumus, quam si abessemus.* Liv. 45, 42, 1. *haec — magis confudere audientium animos, quam si miserabiliter orbitatem suam deflendo loquutus esset.* i. e. maiori ictu.

14. Sed id, quod comparatur, etiam in unius rei mutata conditione potest esse situm. Id fit, ubi res crescentes vel auctae transeunt in aliam naturam et conditionem. Tum vero comparatio reprimitur, et animo nostro obversatur una magnitudo aucta. Quare *magis* interdum dicitur de rebus crescentibus, ubi intelligimus *magis magisque*, nec tantum ubi praecedunt *quotidie* vel *in dies*. Neque desunt exempla, in quibus *magis* ad primitivam significationem, quae extra comparationem *valde* est, redire videtur. Significat enim *non mediocriter*, *non parum*. Jurisconsulti adeo elegantiam assequuti esse sibi visi sunt, quum nescio an modestiae caussa dicebant *magis opinor*, *magis puto*, *magis placet*,

hoc magis videtur: quorum verborum multa exempla affert Brissonius de Verb. signif. p. 766. b.

Sallust. Cat. 20, 6. *ceterum mihi in dies magis animus accenditur.* Ita meliores libri, sed alii multi *magis magisque.* Quae Herzogius ad h. l. disputat, probari non possunt. Quintil. 9, 4, 142. *quotidie magis lascivimus syntonorum modis saltitantes.*

Cic. Lael. 26, 99. *quod ut ne accidat, magis cavendum est.* Ita cod. erfurt. et alii non pauci. Abiecerunt critici *magis,* quod librariorum errore desideratur in quatuor libris, non iusta de caussa. Neque enim spectat ad superiora verba *studiose cavendum est,* sed significat *admodum, valde.* Nec sine ratione Beierus contulit de Off. 2, 20, 69. *animadvertendum est diligentius.* Huc refero etiam mutilum illum locum orat. p. Tullio 4. ita, ut mihi videtur, restituendum: *ac mihi magis illud laborandum videtur, recuperatores, ut, quod antea nihil in istum dixi, probare possim, ne umquam in eo reprehendar, quod hoc tempore respondeo.* Emendatio, quam fecit Cramerus, recepit Beierus, ut *magis* ad verba *quam in eo repr.* referretur, ab omni ratione atque a latinitate abhorret.

15. Formulam *haud vidi magis* supra p. 36. iam commemoravimus. In ea negatio ad verbum pertinet. Cicero p. Sext. 51, 110. dixit *nihil vidi magis.* In explicatione omnes mihi videntur peccare. Coniungunt enim *magis* cum nomine ex antecedentibus traducto, et ironiam esse dicunt, cuius caussa non perspicitur. Muretus enim in verbis Plauti Poen. 1, 1, 13. *ignoscere id te mihi aequom est.* MI. *Haud vidi magis.* hanc sententiam esse dixit: nihil vidi umquam aequius, h. e. iniquissimum. Orellius ad Cic. verba, „simpliciter, inquit, supplendum *quam hoc:* res est igitur prorsus explorata ac manifesta.“ Quod ironiam significet, nullum indicium adest. At *magis* non spectat ad nomen ex antecedentibus substituendum, sed per se constat. Sensus enim horum verborum est: *dies sehe ich doch ganz und gar nicht:* additur autem *magis,* ut negatio opponatur, quasi dicatur: magis quam quidquam aliud. Hoc est: immo haud vidi potius. Sic Plautus Pers. 2, 3, 5. *quod ego non magis somniabam, neque opinabar.*

Exempla, quae apud Plautum exstant, vide p. 36. Nec iis, quae dixi, obstat quod legitur Amph. 2, 2, 47. *haud vidi magis exspectatum:* nam *magis* non cum *exspectatum* cohaeret.

Redde: *vielmehr sehe ich eben nicht, daſs er erwartet werde.* Lindemannus ad Capt. 3, 4, 29. explicat: nihil vidi, quod meliori iure sic dici possit: cuius interpretationis rationem non assequor. Quod apud Cic. Tusc. 2, 17, 32. nunc exstat: *sed nihil vidimus minus*, et per se et ob dubiam codicum auctoritatem suspectum est. Libri plurimi habent *nihil vidimus.*

16. Quae igitur critici de usu particulae absoluto tradunt, maximam in partem falsa sunt praecepta, nec ellipsim vocamus eam orationem, in qua altera pars comparationis vel per se vel ex antecedentibus intelligitur. Sed utuntur hac particula multi scriptores pro *potius* in reiicienda aliqua sententia, aut in praeferenda aliqua re, in primis iurisconsulti, de quibus vide Heineccium in Brissonii libro de Verb. signif. p. 766. Quare inservit *magis* oppositioni, et *esse magis* dicitur in affirmandis rebus, quae aliis negandis ponuntur adversae. Accedit hoc prope ad *immo.*

Cic. ad Fam. 16, 19, 1. *exspecto tuas litteras de multis rebus, te ipsum multo magis.* i. e. quam litteras. 1, 9, 56. *quumque Pompeius ita contendisset, ut nihil umquam magis*, etc. intellige *contendit.* de Leg. 1, 7, 23. *si vero iisdem imperiis et potestatibus parent, multo etiam magis.* i. e. civitatis eiusdem habendi sunt. Varro de Re r. 2, 6, 3. *qui colunt deorsum magis aestate laborant.* i. e. quam hieme.

Ovid. Trist. 5, 2, 6. *an magis infirmo non vacat esse mihi?* h. e. an non cum vitae meae conditione convenit, infirmiorem esse quam ipse nunc sum. Poeta apud Cic. Tusc. 2, 17, 38. *si qui sapientia magis vestra mors devitari potest.* Klotzius explicat: magis quam si non advenissem. Minime: est enim magis vestra sapientia quam aliis remediis.

Sallust. Iug. 85, 49. *neque quisquam parens liberis, uti aeterni forent, optavit: magis, uti boni honestique vitam exigerent.* ubi librarii duo correxerunt *magis quam uti.*

Ovid. Fast. 6, 631. *hic inter cineres obscoeni forma virilis aut fuit aut visa est: sed fuit illa magis.* vide n. 10. Quintil. 4, 5, 4. *alia sunt magis, propter quae partitione non semper sit utendum.* Antea eos vituperavit, qui partitionis usum vetant.

Plaut. Bacch. 1, 1, 3. *pol magis metuo, mihi in monendo ne defuerit oratio.* i. e. immo metuo. 1, 2, 21. *non omnis aetas, Lyde, ludo convenit. Magis unum in mente est mihi nunc, satis ut commode pro dignitate obsonii haec concuret cocus.* i. e.

immo alium nunc sequor magistrum et unum hoc in mente habeo. Virgil. Ecl. 1, 11. *non equidem invideo: miror magis.*

17. *Magis est, ut* quomodo dicatur, exempla n. 13. ostendunt. Significat vel maius esse, praestare, vel verius esse, vel potius valere. Iurisconsulti de iure respondentes hac formula saepissime utuntur. Id permultis exemplis monstrat Brissonius de Verb. signif. p. 766.

Gaius in Dig. 20, 1, 15, 2. *sed illud magis est, quod prius diximus.* Vlpian. 47, 7, 3, 7. *stirpes oleae arbores esse magis est, sive iam egerint radices sive nondum.*

Vlpian. 48, 5, 27, 8. *de eo quoque servo, in quo usumfructum reus habuit, magis est, ut quaestio haberi possit.*

Vlpian. 39, 1, 1, 13. *si quis aedificium vetus fulciat, an opus novum nuntiare ei possimus, videamus. Et magis est, ne possimus.* 38, 7, 2, 3.

18. Res, quae per multas vices et per plures gradus adscendit aut crescit, geminata particula dicitur *magis magisque* fieri. Duplex enim *magis*, quod incrementum non finitum indicat, coniungitur per copulativas particulas *que*, *ac*, *et:* sed potest etiam haec copula omitti, ut fieri solet in reliquis huius generis formulis. Vid. Palmeri Spicileg. 2. p. 638. (640.) Tom. 4. Gruter. Vorstium de Latin. falso susp. p. 246. Ruhnken. ad Ovid. Her. 1, 41. Adduntur saepe nomina *quotidie*, *in dies.*

Cf. Servium ad Virgil. Aen. 2, 299. et criticos, quos nominat Drakenborch. ad Liv. 8, 39, 5. Pacuvius apud Nonium 8, 54. *dolet pigetque magis magisque me conatum hoc nequidquam itiner.* Cic. ad Fam. 2, 18, 2. *sed mihi magis magisque quotidie de rationibus tuis cogitanti placet illud meum consilium.* Phil. 1, 2, 5. *quotidie magis magisque perditi homines.* ubi codd. quidam *ac magis.* Sallust. Cat. 5, 7. *agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris.* ubi vd. Cortium. Iug. 53, 1. *magis magisque appropinquare vident.* Cic. Fil. Epist. 16, 21, 3. *enitar, ut in dies magis magisque haec nascens de me duplicetur opinio.* Quo exemplo opinio, quam Herzogius ad Sallust. Cat. 20, 4. de ordine verborum exposuit, prorsus refellitur. Pricaeus ad Apulei. Met. p. 400. Oudendorp. ad Apulei. T. 1. p. 170. qui fucatam eruditionem captat.

Is. Vossius veteres dixisse existimabat *magisque magis* pro

magis magisque. In Catulli 73, 4. codices habent *statque magisque magis.* Muretus suspicatus erat Ennium apud Cic. de Sen. 4, 10. scripsisse *magisque magisque*, sed ibi nunc bene vindicarunt verba *postque magisque.*

Virgil. Aen. 2, 299. *et magis atque magis — clarescunt sonitus.* ubi conf. Servium. Georg. 3, 185. *tum magis atque magis blandis gaudere magistri laudibus.* Tacit. Ann. 6, 21. *magis ac magis trepidus admirationis et metus.* Sueton. Vitell. 11. *magis deinde ac magis omni divino humanoque iure neglecto.* Plin. Epist. 7, 3. 10, 28. Senec. de Benef. 2, 15, 4. *beneficium dèmus, quod usu magis ac magis placeat.* Hoc Oudendorp. ad Apuleii Met. p. 524. minus eleganter dictum et ex uno codice restituendum censet *magis magisque.* Elegantiae caussam equidem non perspicio. Sueton. Vespas. 3. *in puero statim corporis animique dotes exsplenduerunt, magisque ac magis deinceps per aetatis gradus, forma egregia.* Tit. 3.

Cic. ad Att. 14, 18. *itaque de Graecia quotidie magis et magis cogito.* Wagnerus ad Virgil. Ge. 3, 396. opinatur, fore, qui hoc in loco et in aliis *ac* scribi malint. Profecto nulla iis erit caussa. In Virgilii versu verba *magis et magis* separanda sunt commate.

Catull. 64, 275. *post vento crescente magis magis increbescunt.* de quorum verborum iunctura Heynius dubitat temere ad Virgil. Ge. 4, 311. ubi alii libri habent *tenuemque magis magis aera carpunt*, alii *tenuem magis ac magis.* 38, 3. *et magis magis in dies et horas.* Graeci *μᾶλλον μᾶλλον* dicunt. Vd. Suidam s. h. v. Weiskii Pleonasm. graec. p. 154. Euripid. Iphig. Taur. 1375.

Cic. ad Att. 5, 7. *quotidie enim magis suspicor te in Epirum iam profectum.* Codd. nonnulli *magis magisque.* Lambinus cum antiquioribus *magis ac magis.* Sallust. Cat. 20, 6. *ceterum mihi in dies magis animus accenditur.* Codices multi *magis magisque*, in uno *m. et m*, in basil. *m. ac m.*

Terent. Eun. 3, 3, 1. *profecto quanto magis magisque cogito.*

Iurisconsulti, qui hanc particulam mirifice amant, haud scite pro *maxime* dicunt. Modestin. in Dig. 47, 3, 7, 1. *nam qui pro pace excubant, magis magisque ad hanc accusationem admittendi sunt.*

19. Vt maior rerum distantia cognoscatur etiam verbo *magis*, quemadmodum comparativis aliis, adduntur verba *multo*, *impendio*, *infinito.*

Terent. Eun. 3, 5, 39. *impendio magis animus gaudebat mihi.* Cic. ad Att. 10, 4. *at ille impendio nunc magis odit senatum.* De *infinito magis* vide n. 11.

20. Comparativis quo modo adiiciatur *etiam*, et de ordine verborum diximus Tom. 2. p. 563. *Magis etiam* exprimit praestantiam maioris cum magno comparati: *mehr noch.* Accedit *multo.*

Cic. Brut. 95, 325. *qualis in historia Timaeus, in dicendo autem — Hierocles Alabandeus, magis etiam Menecles, frater eius, fuit.* de Off. 1, 21, 72. *capessentibus autem rem publicam nihilo minus quam philosophis, haud scio an magis etiam et magnificentia et despicientia adhibenda sit rerum humanarum.* Cornel. Dion. 1, 3.

Cic. de Orat. 2, 32, 139. *illud ad me, ac multo etiam magis ad vos.*

21. Componuntur duae sententiae per verba *quum magis — magis,* ubi duae res maioris gradus aequandae sunt, quod alias dicitur *quo magis — eo magis.* Aliae sunt formae apud poetas *quam magis — tam magis, quam magis — minus* et *quam magis — tanto:* quae fere idem significant quod *quo magis — eo.*

Plaut. Mil. 3, 1, 41. *immo, hospes, magis quum periculum facies, magis nosces meam comitatem.* Pers. 4, 4, 15. *edepol qui quum hanc magis contemplo, magis placet.*

Plaut. Bacch. 5, 1, 5. *magis quam id reputo, tam magis uror.* Poen. 1, 2, 135. Omisso *tam* 4, 10, 1. *quam magis in pectore meo foveo, quas meus filius turbas turbet, — magis curae est magisque afformido.* Trin. 4, 2, 19. *quam magis specto, minus placet mi haec hominis facies.* Men. 1, 1, 19. *quam magis extendas, tanto adstringunt arctius.* Virgil. Aen. 7, 787. Apud Lucret. 1, 534. et 2, 197. et 4, 1085. e codd. restituerunt *quo:* sed 6, 459. *fit quoque uti montis vicina cacumina coelo quam sint quoique magis, tanto magis edita fument.*

22. Accedo ad negativam formam *non magis*, de qua variae exstant grammaticorum opiniones. Equidem primum id genus sententiarum explicabo, quod in comparatione duarum rerum aequalitatem ita monstrat, ut maiorem vim et potestatem, quae alteri rei tribui possit, negetur per alterius collationem. In his vero is, qui latine loquitur, ubi affirmativa sententia est pronuntianda, ab eo, quod constitutum vidit vel compertum habet,

ad id, quod cogitatione positum in comparationem vocat, transgreditur, atque cognitam rem cum cognoscenda altera componit, dum illam reponit. Quae si ad aequalitatem refers, notiones sunt invertendae, veluti verba Cic. in Verr. 4, 3, 5. *domus erat non domino magis ornamento quam civitati*, significant *aeque civitati atque domino*. Quomodo etiam Germani loquuntur verbis *eben so sehr — als*. Graeci non aliter. Demosth. de Pace p. 62. ἐκεῖνο δὲ οἶδα, ὅτι οὐ μᾶλλόν γε ταῦτ' ἔμελεν αὐτῷ, ἢ τὰς παρόδους λαβεῖν ἠβούλετο. Si autem negativa est sententia, id, quod cognoscendum et negandum est, transfertur ad rem iam negatam et in suo defectu cognitam: veluti Cic. Tusc. 3, 5, 10. *qui enim animus est in aliquo morbo — non magis est sanus quam id corpus, quod in morbo est*. Id dicunt Germani *eben so wenig — als*. Attamen ambigua haec ratio ne male percipiatur, Latini cavent ordine verborum ita instituto, ut in affirmatione res iam cognita primam partem sententiae occupet, in negatione res adhuc cognoscenda. Tamen inveniuntur exempla, in quibus dubii haereamus, utra ratio intelligenda sit, nisi reliqua oratio viam monstret. Cf. Librum de Arte lat. scrib. p. 257. et 261. Aug. Grotefendi Gramm. p. 433. et Ephemerid. Ienens. a. 1833. n. 10. Saepissime inter *non* et *magis* interponitur nomen, quod est primarium sententiae. Plautus etiam *haud magis* dixit.

Planc. ad Cic. 10, 4, 5. *omnia igitur tua consilia mihi non magis prudentiae plena, quae summa est, videntur quam fidelitatis.* Cic. ad Fam. 10, 26, 5. *non arbitror te ita sentire. Omnes enim tuos ad laudem impetus novi. Quodsi ut scribis, ita sentis, non magis te quam de te iudicium reprehendo meum.* i. e. non minus iudicium de te meum quam te. Curt. 7, 9, 17. *moverat eos regis non virtus magis, quam clementia in devictos Scythas.* Cic. ad Am. 14, 3, 1. *conficior enim moerore, mea Terentia: nec me meae miseriae magis excruciant quam tuae vestraeque.* Liv. 22, 27, 2. *non Hannibale magis victo a se quam Q. Fabio.*

Liv. 9, 22, 7. *nec, ut fit, ad ducis casum perculsa magis quam irritata est multitudo.*

Plaut. Curc. 2, 3, 26. *haud magis cupis, quam ego te cupio.*

Cic. in Verr. 3, 69, 162. *sin aliqua in re Verris similis fuero, non magis mihi deerit inimicus quam Verri defuit.* Senec. Epist. 87, 21. *non nascitur itaque ex malo bonum, non magis quam ficus ex oleo.* Cic. ad Fam. 5, 12, 10. *a qua* (gratia) *te affici*

non magis potuisse demonstras, quam Herculem xenophontium illum a voluptate. Quintil. Prooem. 26. *quapropter ei, cui deerit ingenium, non magis haec scripta sunt, quam de agrorum cultu sterilibus terris.* 3, 6, 21. *cum hoc mihi non erit pugna: non magis quam si aliud adhuc, quo idem intelligatur, eius rei nomen invenerit.* Sueton. Calig. 19. *non magis Caium imperaturum, quam per baianum sinum equis discursurum.*

Brevi oratione Cic. de Leg. 3, 4, 11. *nec eo magis lege liberi sunto.* i. e. non magis quam ceteri.

Ambiguum sensum praebent haec. Cic. ad Fam. 2, 16, 2. *quid enim fuit in illis praeter querelam temporum, quae non animum meum magis sollicitum haberent, quam tuum?* Weissenbornius in Syntax. p. 333. reddidit haec *ich bin eben so besorgt als du*, sed reddere debebat, *welche dich eben so sehr wie mich besorgt machen.* Tamen si verba spectas, sententia etiam esse potest: *welche mich eben so wenig als dich bekümmern.* Cic. de Orat. 2, 8, 31. *exorsus es enim non gloriose magis, ut tu putas a veritate quam a nescio qua dignitate.* Nemo, quod sciam, haec verba recte est interpretatus. Alii post *gloriose* comma posuerunt, ut *magis* esset *et magis quidem*, alii quo referrent verba *ut tu putas* non habebant. Dicit Catulus: Nulla ostentatione in praedicanda arte usus es. Nam exorsus es a veritate, et putas hanc confessionem mendacii esse laudabilem, tamen quum desit veritas aeque ac dignitas, gloriosum nihil apparet. *Du hast eben so wenig ehrenvoll, wie du doch glaubst, von der Wahrheit angefangen, als von der zweifelhaften Würde.*

23. Ea, quam in affirmativis enuntiationibus demonstravimus, forma per coniunctiones continuata etiam in his negativis sententiis locum invenit.

Liv. 39, 52, 7. *trium clarissimorum suae cuiusque gentis virorum non magis tempore congruente comparabilis mors videtur esse, quam quod nemo eorum satis dignum splendore vitae exitum habuit.* i. e. mors eorum uti temporis ratione comparari potest, ita etiam ob indignum vitae exitum. 45, 10, 12. *cum magno assensu auditus est, non magis eo quod multitudinis noxam elevabat, quam quod culpam in auctores verterat.*

24. Sed illius, quam modo explicui, formulae ratio etiam alia est haec. Verbis *non magis — quam* Latini componunt duas res, quarum alteram restringunt vel supprimunt, alteram efferunt et prae altera valere dicunt. Ita exsistit sententia, quae exprimitur etiam verbis *non tam — quam, non dicam — sed, non mo-*

do — sed: Germani dicunt *nicht sowohl — als, nicht eben — sondern vielmehr.*

Cic. ad Fam. 13, 24, 4. *deinde credas mihi affirmanti velim, me hoc non pro Lysone magis quam pro omnibus scribere.* Planc. ad Cic. 10, 17, 3. *non magis sibi quam rei publicae convaluisse significans.* Cornel. Dion. 3, 2. *Philistum historicum Syracusas reduxit, hominem amicum non magis tyranno quam tyrannidi.* i. e. non tam tyranno, quam universae tyrannidi. Liv. 2, 5, 6. *miserebatque non poenae magis homines, quam sceleris, quo poenam meriti essent.* 1, 28, 4. *dimicatum est enim non magis cum hostibus, quam quae dimicatio maior atque periculosior est cum proditione ac perfidia sociorum.* Plin. Pan. 82, 7. *video enim iam inde antiquitus maritos deorum ac deorum liberos, nec dignitate nuptiarum magis quam his artibus inclaruisse.* ubi sententiae nihil deest: nam intelliguntur liberi feminarum mortalium diis nuptarum. Cf. Schwarzium. Calvus apud Quintil. 9, 3, 56. *non ergo magis pecuniarum repetundarum, quam maiestatis, neque maiestatis magis quam plautiae legis, neque plautiae legis magis quam ambitus, neque ambitus magis quam omnium legum iudicia perierunt.*

Liv. 1, 44, 5. *hoc spatium, quod neque habitari neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id, pomoerium Romani appellarunt.* Nisi enim hanc, quam dixi, interpretationem adhibeas, inepta videbitur Livii oratio. Cic. Tusc. 1, 17, 41. *si vero aut numerus quidam sit animus — aut quinta illa non nominata magis quam non intellecta natura, multo etiam integriora ac puriora sunt* etc. Triplex exstat horum verborum interpretatio. Wolfius enim explicuit: natura, cuius nec nomen nec intellectus est: sed ipse vidit etiam, ad hanc sententiam verbis exprimendam omitti debere *non* ante *intellecta.* Orellius ita: natura, quae non intellecta, sed nominata dumtaxat ab Aristotele. Hanc rationem Klotzius in Quaest. Tull. p. 83. ridiculam et iocularem appellat. Kernius reddidit: *jenes Grundwesen, welches sich mehr durch die Vernunft erkennen, als durch einen Namen aussprechen läfst*, et Nissenius: quamquam non nominata, intellecta tamen natura, et Klotzius: quae sine nomine magis quam sine intelligentia erat, sive *die eher unbenannt als unbegriffen war.* At ante omnia demonstrandum erat, utrum *non* cum *nominata*, an cum *magis*, quod Wolfius opinatur, coniungendum esset. Apud Ciceronem nullum invenies locum, in quo negatio non pertineat ad vocabulum *magis:* et ut illam Klotzii sententiam perciperemus, dici debebat *magis non nominata quam non intellecta:* ut apud Quintil. 9, 4, 56.

magis non ἄῤῥυθμον. Quare verba, ut nunc leguntur, sunt explicanda hoc modo: natura non tam nominata, quam non intellecta: h. e. nomen non habebat propterea, quod non erat prorsus intellecta.

25. Quod Graecis usitatum erat, ut post *μᾶλλον* alia etiam nomina relativa, veluti *ὅσον*, *ὡς* ponerent, id in negativis sententiis veteres Romani imitabantur. De graeco usu Hermannus ad Viger. n. 60. p. 720.

Plaut. Aul. 2, 2, 54. *tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi numquam siem.*

26. Cum verbo *minus* duplici ratione *magis* consociari solet. Opponuntur enim haec verba ita, ut contrarium appareat, et altera res eo maior dicatur esse, quo minor altera sit. Dicunt igitur non solum *quo minus — eo magis*, *quo magis — eo minus*, sed etiam *minus — magis* adduntur nominibus praedicati.

Terent. Eun. 5, 9, 23. *quanto minus spei est, tanto magis amo.*

Cic. de Nat. d. 3, 8, 21. *sin autem id dicis, nihil esse mundo sapientius, nullo modo prorsus assentior, non quod difficile sit mentem ab oculis sevocare, sed quo magis sevoco, eo minus id, quod tu vis, possum mente comprehendere.*

Terent. Ad. 4, 3, 14. *omnes, quibus res sunt minus secundae, magis sunt, nescio quomodo, suspiciosi.* Donatus ad haec: *mire additum magis, quum possit sensus et sine hoc esse integer.* At significatur: quo minus secundae sunt iis res, eo suspiciosiores sunt ipsi.

27. Altera consociatio illorum vocabulorum fit per particulas disiunctivas, et per copulativas, ut *magis minusve* indicet indefinitam magnitudinem. Optimi scriptores dicebant *plus minusve:* qui autem *magis minusve*, sive *aut minus* dixerit, ante Plinium nemo mihi cognitus est. Wolfius ad Cic. Tusc. 4, 24, 53. temere negavit omnem hunc usum latinum.

Plin. Hist. n. 17, 24, 37. *vermiculantur magis minusve quaedam, omnes tamen fere.* 37, 5, 18. *ad inclinationem magis aut minus lucidi.* Quintil. 11, 1, 27. *sed istud magis minusve vitiosum est pro personis dicentium.* In Cic. de Fin. 3, 4, 15. olim legebatur *verbum — magis minusque usitatum.*

Plin. Hist. n. 37, 5, 18. *ergo cyprii varic glauci, magisque ac minus in eodem smaragdo aliis partibus tenorem illum scythicae*

austeritatis non semper custodiunt. Quintil. 11, 1, 14. *minora vero — plerumque sunt talia, ut — pro personu, tempore, loco, caussa magis ac minus vel excusata debeant videri vel reprehendenda.*

28. Restant ellipsis et pleonasmi species in particula *magis* observatae. De illa admodum multi disseruerunt, pauci tamen circumspecto iudicio: Ausonius Popma de Vsu antiq. loc. 2, 11. Muret. ad Terent. Eun. Prol. 1. Lipsius Epist. quaest. 5, 23. Anton. Augustin. Emendat. 4, 8. p. 184. (in Ottonis Thesaur. T. IV. p. 1536.) Schottus ad Cornel. Datam. 8, 1. ad Att. 13. et in Observat. 5, 34. Scipio Gentil. ad Apulei. Apol. p. 456. Vossius de Construct. 61. Gronov. ad Liv. 5, 21. 27, 20. et ad Gell. 4, 15. 7, 3. Taubmann. ad Plaut. Men. 5, 2, 21. Schulting. ad Senec. Controv. 1, 3. Sanctius Minerv. 4, 7. ibique Perizon. Buchner. ad Plin. Epist. n. 490. Vechner Hellenolex. 2, 5. Cortius ad Sallust. Cat. 8, 1. 9, 5. 52, 3. Bünemann. ad Lactant. 1, 3, 7. Burmann. ad Vellei. 2, 129. Arntzen. et Schwarz. ad Plin. Pan. 58, 5. Oudendorp. ad Apulei. Florid. p. 69. Vir doctus in Miscell. Obs. T. 4. p. 411. T. 10. p. 367. Palairetus Thes. Ellips. s. h. v. Drakenborch. ad Liv. 34, 49, 10. Bremius ad Cornel. Datam. 8, 1. Passovius ad Tacit. Germ. 6. Kritz. ad Sallust. Cat. 8, 1. Hermannus de Ellipsi p. 188. (p. 211. Tom. 1. Opusc.). Ipsa res observatione et exemplorum demonstratione satis est declarata. Omitti enim videtur *magis* in comparatione sic, ut *quam* pro *magis quam* dicatur. De caussa inter tam multos unus Hermannus quaesivit atque demonstravit, Latinos adhibuisse ad comparationem particulam *quam*, quae similitudinem indicaret, Graecos autem particulam disiunctivam ἢ, quae aliam notionem substitueret, et *an* significaret, neque a Graecis omitti μᾶλλον, sed apud Latinos quum frequentissimus esset particulae *quam* usus in comparatione inaequalium, hoc usu factum esse, ut *quam* etiam solum per se significaret *magis quam*. At apud Latinos quoque *magis* non omittitur, nisi in iis sententiis, in quibus Graeci non addere videntur. Potest enim abesse, ubi verbum in se habet reconditam notionem, quae in comparationem aliquam veniat, veluti *velle* pro *malle*, *probare* pro *praeferre*, *augeri* pro *maior fieri*, *multiplex* pro *nimium*. In reliquis omnibus non opus habemus substituendo vocabulo *ma-*

gis. Nam nemo Latinorum *bonum* pro meliore, *clarum* pro clariore dixit, nec umquam in adiectivis gradu maioribus aut minoribus omittunt particulas *magis* et *minus*, sed ut rem alteram valere aut praestare indicent, duas partes sententiarum per *quam*, quod proprie significat *in Bezug auf*, ita componunt, ut in affirmativae sententiae priori parte et in negativae secunda intelligamus *vielmehr*, quod est *potius*. Sic fit, ut verba Curtii 7, 7, 27. *nec me ars mea, quam benevolentia perturbat*, reddamus *nicht meine Kunst, als vielmehr meine wohlmeinende Gesinnung bringt mich in Verlegenheit:* nec apud Tacitum Ann. 4, 61. *claris maioribus quam vetustis*, dictum est pro *magis claris* sive *clarioribus*, sed inest sententia haec: potius erat claris quam vetustis maioribus. Opponuntur contraria aut diversa, quorum rationem comparativam *quam* exprimit: intellige *als dagegen*. Ad idem redit id, quod apud Columellam in libris quidem scriptis legitur 3, 2, 27. *spionia dapsilis musto et amplitudine alioquin uvarum quam numero fertilis.* Ceterum illa loquutione et veteres poetae et recentiores oratores, imprimis Tacitus usi sunt: Cicero et Caesar abstinuerunt.

Cum his, quae iam olim scripseram, nunc video consentire Kiesslingium, qui ad Tacit. Germ. 6. haec: „de omni hoc dicendi genere iam sic sentio, ut putem, declarari hoc particulae *quam* usu non comparationem plurium rerum, ex qua certum quoddam praedicatum de una re plus minusve quam de altera valeat, sed optionem sive electionem, ex qua de una sola re ex duabus pluribusve rebus aliquid valeat, de ceteris non valeat.“

Exempla, in quibus *quam* pro *potius quam* positum est, hic non afferam: sed notabo verba, quae ipsa in se habent caussam illius notionis reconditam. Apuleii Florid. 3. p. 355, 4. *adeo ut omnia utensilia emere velis quam rogare.* i. e. malis. sed Elmenhorstius addit *potius.* Tacit. Germ. 6. *cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur.* Optime Kiesslingius *arbitrari* significare dicit *potius putare.* Ann. 3, 17. *miseratio quam invidia augebatur.* i. e. miseratio cum invidia comparata: *es wurde das Mitleid im Vergleich mit dem Hasse erhöht.* 1, 58. *pacem quam bellum probabam.* Liv. 7, 8, 1. *quidquid hinc aut illinc communis Mars belli aufert, multiplex quam pro numero damnum est.*

Verba *iustum est*, *aequum est*, *certum est* sequente *quam* non

dicuntur pro *iustius*, *aequius*, sed refertur, interposita notione iusti aut aequi, altera res ad alterum contrariam. Gellius 7, 3, 41. *iniurias autem imminentes praecavisse iustum est quam exspectavisse.* Plaut. Rud. 3, 3, 22. *certumst moriri, quam hunc pati grassari lenonem in me.* Quare quaere de legitima scriptura apud Plaut. Bacch. 4, 3, 7. ubi editiones vet. *aequum* praebent.

Saepe interpretes non recte perceperunt verba aliter intelligenda. Terent. Eun. Prol. 1. *si quisquam est qui placere se studeat bonis quam plurimis et minime multos laedere.* Gerh. Vossius et alii multi interpretantur: magis studeat bonis quam vulgo. Sed *boni quam plurimi* opponuntur *minime multis.* Plaut. Rud. 4, 4, 70. *eo tacent, quia tacita bonast mulier semper quam loquens.* Haec esse dicunt: quia tacita melior est mulier quam loquens. At nemo umquam sic loquutus est. Si vero respicimus ad ea, quae sequuntur, sententiam non aliam esse posse videmus quam hanc: potius tacita mulier semper bona est quam loquens. Men. 5, 1, 26. *quin vidua vivam, quam tuos mores perferam.* h. e. *im Gegentheil will ich ohne Mann leben, als dafs ich dein Benehmen ertrage.* Lactant. de Opif. Dei 19. *qui si delicatus magis ac tener in hac vita fuerit, quam ratio exposcit.* Codices multi non habent *magis*, antiquae editiones *qui si delicatus ac tener in hac vita aliter fuerit, q. r. e.* Quod verum esse videtur.

Librarii haud raro in hac verborum compositione, quam usu satis frequenti comprobatam habemus, ad explendam, quae visa erat, ellipsin, addiderunt *magis.* Cf. Kritz. ad Sallust. Cat. 8, 1. Critici autem, elegantiarum studiosi, saepe melioribus libris auctoritatem detraxerunt, ut *magis* abiicerent, veluti in Plaut. Mil. 4, 6, 48. et Cortius in Sallust. Cat. 20, 17. Apud Melam 3, 10, 3. adeo scripserunt: *quos serpere quam ingredi referunt.* tamen Tzschuckius revocavit *potius.*

29. Cortius ad Sallust. Cat. 7, 1. tradit *magis* in prima parte sententiae omitti, sed addi in altera, ut ad illam quoque spectet. Ratio haec ipsa non absurda est, sed exemplis, quae criticus affert, non confirmatur. Certiore autem iudicio utitur I. Fr. Gronovius, quo ad Liv. 1, 25, 13. et ad 34, 4, 3. demonstrat, ex antecedenti comparativo in alteram partem sententiae *magis*, quod in illo latet, traduci atque intelligi.

Apud Sallust. Cat. 7, 1. restituerunt nunc critici: *sed ea tempestate coepere se quisque magis extollere magisque ingenium in promptu habere.* Iug. 98, 1. *neque in eo tam aspero negotio*

Marius territus aut magis quam antea demisso animo fuit. Non ad *territus* requiramus *magis.*

Liv. 34, 4, 3. *haec ego quo melior laetiorque in dies fortuna rei publicae est imperiumque crescit — eo plus horreo.* ubi critici olim scripserunt *quo magis imperium crescit.*

30. Non meliora sunt, quae de pleonasmo traduntur. Grammatici enim non pauci demonstrasse sibi visi sunt, Latinos, aeque atque Graecos μᾶλλον, etiam *magis* apposuisse comparativo praeter necessitatem. Vide, omissis iis, qui de graeco usu disputarunt, Schottum et Scaligerum ad Virgil. Cul. 78. Taubmannum ad Plaut. Men. Prol. 55. Vossium de Construct. 16. p. 379. Berneccer. ad Iustin. 3, 2, 7. et Freinshem. in Indice, Gebhard. ad Liv. 5, 16, 2. et ad 21, 59, 7. Drakenb. ad 9, 7, 5. Vechneri Hellenolex. ibique Heusinger. p. 167. Bünemann. ad Lactant. de Opif. Dei 13, 7. Oudend. ad Sueton. Vesp. 19. Arntzen. ad Caton. Disticha p. 319. Mencken. Observ. p. 597. Ruhnken. ad Ter. Hec. 5, 1, 12. At utrique linguae hoc cum aliis commune est, ut particula adiecta exprimatur gradus multo superior. Germani dicunt *bei weitem gröſser*, quod est latinum *multo maior.* Id vero etiam antiquo usu particulae *magis* poterat exprimi. Comici igitur, Graecos, ut videtur, imitati, hoc modo loquuti sunt, atque nova imitatione recentissimi scriptores. In optimorum autem scriptorum libris frustra quaerimus exempla, nec quisquam eorum, qui aliam ob caussam interposuerunt *magis*, umquam dixit *magis clarior*, *magis iucundior*, nec credibile est, quod Gebhardus opinabatur, Livium scripsisse 5, 16, 2. *magis quietiora negotia.* Livius enim, et qui sunt istius aetatis, post comparativum addere solebant *magis* expositionis caussa ita, ut verba 9, 7, 6. essent sic accipienda: *tristior deinde ignominiosae pacis*, *magis quam periculi*, *nuntius fuit.* In aliis locis *magis quam* pro *potius quam* dictum est, cui addi poterat comparativus: qua ratione non pauca Graecorum exempla expedienda sunt. Cf. Fischeri Animadv. ad Welleri Gramm. 2. p. 138. Posteriores scriptores in formula *non magis quam* admiserunt comparativum gravitatis caussa. Sed recentissimi demum redierunt ad antiquum usum, adeoque duplicem comparativum coniunxerunt per *magis.*

Plaut. Stich. 5, 4, 22. *immo enim hic magis est dulcius.* Aul. 3, 2, 8. *ita fustibus sum mollior miser magis quam ullus cinae-*

dus. Men. Prol. 55. *qui dederit magis maiores nugas egerit.* Amph. 1, 1, 145. Poen. 2, 15. Amph. 5, 1, 8.

Additur adeo *multo.* Plaut. Men. 5, 6, 13. *non magis multo patior facilius verba.*

Valer. Max. 3, 7, 1. *sed uterque nostrum magis invidia quam pecunia locupletior est.* i. e. potius invidia quam pecunia est locupletior aliis. Columell. 8, 5, 5. *quoniam quidem novellae magis edendis quam excludendis ovis utiliores sunt.*

Iustin. 3, 2, 7. *non inventione earum magis quam exemplo clarior.* 12, 11, 2. *nec a debitoribus magis quam a creditoribus gratius excepta.*

Apulei. Met. 11. p. 262, 7. *videbatur aequitati magis aptior quam dextera.* Cod. Iustin. 8, 34, 3. *magis clarioribus remediis corrigendam* (esse duximus observationem). Arnob. adv. Gent. 1. p. 10, 12. *magis rectius.* p. 21, 2. *vide, ne magis haec fortior caussa sit.* Pallad. 4, 11, 7. *magis utilius habentur, ubi pluvialis aqua tepentes format lacunas.* Sed Crescentii editiones antiquissimae omittunt *magis.* Boeth. de Consolat. 3. carm. 1. *dulcior est apium mage labor, si malus ora prius sapor edat.* Ruffin. Antiq. 2, 4. *quum Ioseph habens compedes familiarior ei magis effectus est.* Alcim. Avit. Carm. 1. *quoque magis natura hominis sublimior exstet.*

Pallad. 1, 17, 1. *construatur longior magis quam latior.* Sext. Ruf. Brev. 13. *ita ut ius eius insulae avarius magis quam iustius simus assequuti.*

Nemo cum Bünemanno huc referet Cic. p. Flacc. 14, 33. *equidem Quinti fratris mei laude delector, sed aliis magis, gravioribus atque maioribus.* In Livii loco 21, 59, 7. emendando critici caveant, ne cum Gebhardo verba *magis clarior* coniungant. Virgil. Cul. 78. *quis magis optato queat esse beatior aevo, quam qui mente procul dura sensuque probando non avidas agnovit opes.* Coniunge verba: *magis optato aevo.* Apud Quintil. Declam. 5, 11. *tu custodies — utrum stringam magis arctiore complexu.* Connectenda sunt *magis stringam.* Item Senec. Epist. 85, 18. *sequitur, ut hic alterius vitam beatioris magis concupiscat quam suam.*

Eo magis et *quo magis* per se dicuntur, nec offensionem praebet comparativus, qui sequitur. Terent. Hec. 5, 1, 2. *quo magis res omnis cautius, ne temere faciam, adcuro.* Institut. Iustin. 4, 6, 14. *plane odio furum, quo magis pluribus actio.*

Ad ea, quae ostendunt auctorem libri de Bello africano recentissimae esse aetatis, etiam hic usus debebat referri. Le-

gitur enim c. 48. *exercitus eius magis suspensiore animo ante adventum Iubae commovebatur.* Et c. 54. *ita vos gesseritis, ut neque bello fortes neque pace boni aut utiles fueritis, et magis in seditione concitandisque militibus adversus vestrum imperatorem* (haec non bene emendata videntur) *quam pudoris modestiaeque fueritis studiosiores.*

Diversa ratio est in his Pompon. Melae 2, 6, 2. *magisque et magis latior ad occidentem abit.*

Magis malle narrant grammatici Plautum et Livium et Vlpianum dixisse. At Plauti exempla non nominant. Vd. Scip. Gentil. Parerg. 1, 37. p. 94. Miscell. Observ. Nov. T. 1. p. 34. Apud Liv. 22, 34, 11. *populum liberum habiturum ac daturum ei* (consulatum), *qui magis vere vincere quam diu imperare malit.* h. e. qui potius malit. Sed Vlpianus in Dig. 17, 2, 52, 10. *finge enim malle eum magis suum consequi quam dominium insulae.* Est igitur usus posterioris aetatis.

*) *Magis* a librariis commutatum est cum *maius.* vd. Drakenb. ad Liv. 9, 19, 7. ad 26, 41, 16. Burmann. ad Lucan. p. 118. Heindorf. ad Cic. de Nat. d. p. 229. cum *minus.* vd. Lambin. ad Cic. de Prov. cons. 15, 37. Heins. ad Ovid. Her. 17, 102. Drakenb. ad Liv. 45, 25, 7.

MAGNOPERE.

In vocabulo MAGNOPERE, quod ex *magno* et *opere* constat, duae res sunt animadvertendae, significatio et scriptura. Sed quum grammatici non tam diversam significationem scribendo distinguere soleant, quam ex diversa scripturae forma colligere proprium sensum, primo loco nobis de hac forma est dicendum. Atque virorum doctorum alii, ut demonstrarent, veteres Latinos etiam distractis vocabulis *magno opere* scripsisse, argumentum invenisse sibi visi sunt in auctoritate codicum, alii autem in diversitate sententiarum. Inter illos conspicimus Oudendorpium ad Sueton. Caes. 1. et ad Caes. Bell. gall. 1, 13. Drakenborchium ad Liv. 28, 18, 4. Cortium ad Plin. Epist. 1, 7. qui omnes Ciceronem et Livium *magno opere,* nisi semper, tamen saepius dixisse affirmant: Wolfium in Analect. p. 291. Ex his autem tres nomino. Heinrichius enim ad Cic. de Re p. 167. „Loci sunt, inquit, ubi *magno opere, tanto opere, nimio opere* omnino et unice rectum est: alii, in quibus

parum aut nihil refert, utrum *magno opere* scripseris, an *magnopere:* rursus alii, quibus contracta sola conveniunt." Quales sint hi loci, non declarat. Gernhardus ad Cic. de Off. 1, 1, 3. „ubi minorem vim habet, in primis post negationem contractius *magnopere* retinebitur." Sed quae haec minor vis sit, non explicat apertius. Lindemannus de Adverb. 4. p. 19. „*magnopere* est adverbium asseverandi, *magno* autem *opere* est magna industria, non adverbium, sed phrasis, quae interdum adverbii vicem subit, nihil tamen de nativa sua vi immutans. Vnde *magnopere* pro eo, quod dicitur *valde*, contra *magno opere* numquam pro *valde* accipi potest." Nimirum hae formae eo differunt, quod in altera duo nomina uno accentu comprehenduntur, in altera utrumque nomen suo accentu notatur. Nihilominus tamen inter veteres fuerunt, qui scriberent *reipublicae*, *iurisiurandi*. Cf. librum de Arte lat. scribendi p. 109. Quare non sine caussa Orellius ad Cic. de Off. 1, 1, 3. obloquutus est: „nullum inest discrimen significationis." Scilicet in his Ciceronis: *quum puerorum igitur formas et corpora magno hic opere miraretur:* quid aliud intelligas quam *valde?* Mihi igitur ita videtur. Vtraque forma a veteribus scriptoribus et ab iisdem quidem usurpabatur promiscue, nec possunt libri, qui nunc exstant, certa indicia integrae scripturae in singulis locis offerre. Alii enim librarii ubique *magno opere*, ut in gudian. 2. Ciceronis, in lovan. Livii, alii *magnopere* dederunt: in palimpsesto librorum de Republica librarius prior scripsit *magnopere*, interpolator correxit distractis vocibus, cui formae Moserus p. 40. tribuit antiquitatis saporem, quem equidem sentire nequeo. Neque ulla apparet constantia alibi. In eadem enim sententia modo *magnopere*, modo *magno opere* legitur. Tamen nihil impediebat, quo minus verbis *magno opere* etiam significaretur magna industria, magnum studium, sicuti dixerunt *maiore opere* et *maximo opere*. Vd. Caton. apud Gellium 7, 3.

Nos hic eum usum praecipue consideremus, quo *magno opere* et *magnopere* adverbii instar dicebatur, nec illi maiorem tribuamus vim quam huic ob ipsam formam. Nemo enim germanorum scriptorum vocabula *gewisser Maſsen* et *gewissermaſsen* significatione distinguat. Quare nos in afferendis exemplis adhibebimus vulgares, sed bonas editiones, neque cum non-

nullis viris doctis gloriam eo expetamus, ut quomodo in quovis loco scribendum sit, nostro sensu exploremus.

1. Quoniam igitur *magnopere* non cum aliis nominibus componebatur quam cum verbis, tria genera verborum internoscimus, quibus significatio adverbii constituitur. Primum enim *magnopere* significat modum intentius agendi animo, ubi Germani dicunt *mit ganzer Seele*, *nachdrücklich:* veluti *velle*, *petere*, *orare*, *hortari*, *desiderare*, *mirari*, et quae sunt his similia. Fortasse veteres comoediarum poetae nondum in usu habuerunt nomen compositum, cuius exemplum unum apud Plautum, nullum apud Terentium exstat. Reliqui poetae omnino abstinuerunt ab hac dictione, praeter Lucretium philosophum.

Cic. ad Fam. 2, 6, 1. *quum has quam primum ad te perferri litteras magnopere vellemus.* 13, 34. *magnoque opere abs te peto.* Sueton. Ner. 57. *hoc etiam magnopere oravit, ut Neronis memoria coleretur.* Vitell. 3. Liv. 7, 14, 2. *Tullius magnopere a dictatore petere.* 22, 37, 4. Cic. de Off. 1, 1, 3. *magno opere te hortor.* Caes. B. gall. 2, 5. Liv. 25, 40, 11. Cic. de Leg. 1, 20, 53. *Gellium — Athenis philosophos, qui tum erant, in locum unum convocasse, ipsisque magnopere auctorem fuisse, ut aliquando controversiarum aliquem facerent modum.* i. e. adhortatum esse. p. Arch. 6, 14. *nihil esse in vita magnopere expetendum nisi laudem.* de Sen. 13, 44. *quod ea voluptates nullas magno opere* (alii *magnopere*) *desiderat.* Sueton. Aug. 17. *quam servatam triumpho magnopere desiderat.* Cic. de Inv. 1, 1, 2. *quum puerorum igitur formas et corpora magno hic opere miraretur* etc. de Off. 2, 16, 56. *nihil nos magnopere mirari.* Liv. 3, 71, 8. *magnopere se suadere populo, ne inutili pudore suam ipse caussam damnaret.* i. e. magis quam quidquam aliud. 35, 46, 5. 34, 60, 5. *magnopere confidere et Carthaginienses ad rebellandum ab se compelli posse.* i. e. toto animo. Cic. de Off. 1, 26, 90. *atque etiam in rebus prosperis — superbiam, fastidium arrogantiamque magno opere fugiamus.*

Plaut. Pers. 2, 2, 59. *et edictum est magnopere mihi, ne cuiquam homini crederem.* i. e. *nachdrücklich.* Cf. Terent. Heaut. 4, 1, 13. et de hoc loco MAXIMOPERE.

2. Huius generis omnia sunt verba, quae ad animum pertinent, ideoque etiam *putare*, *censere*, de animi sententia dicta, *providere*, *videre* cum hoc adverbio componuntur.

Cic. ad Fam. 6, 13 (12), 12. *quare magno opere putavi angoris et doloris tui levandi caussa pro certis ad te ea, quae essent certa, perscribi.* 15, 14, 6. *ego ceterarum rerum caussa tibi Romam properandum magnopere censeo.* Qui *magnopere* ante *properandum* posuerunt, aut cum hoc verbo coniunxerunt, huius particulae rationem non satis perspexerant. de Fin. 4, 28, 79. *quos quidem tibi studiose et diligenter tractandos magnopere censeo.* Liv. 3, 18, 3. *is confestim convocato senatu — magno opere censet.* Columell. 4, 24, 17. 3, 10, 17. in Verr. 2, 10, 28. *qua de re, iudices, vobis magnopere providendum est.* Liv. 7, 14, 3. *illi quoque tamen videndum magnopere esse, ut exercitum in potestate haberet.*

3. Alia sunt verba, quae magnum studium magnamve curam exprimunt. Tum utraque pars adverbii tantum valet, ut non modo separari possit, sed etiam ordo inverti. Antiquissimi poetae hoc uno modo loquuti esse videntur: postea etiam magnum studium adverbio composito designari coepit. Sunt tamen verba, quae tantum nomina separata admittunt: veluti Cic. ad Att. 13, 28. *Nicias a Dolabella magno opere arcessitus.*

Cic. de Orat. 2, 86, 353. *iuvenes stare ad ianuam duos quosdam, qui eum magno opere evocarent.* i. e. *mit Drängen, dringend.* Valer. Maximus in eiusdem rei narratione 1, 8. Ext. 7. *magnopere rogantes.* Liv. 33, 35, 5. *magnopere ei suasit.* Sueton. Aug. 92. *utque* (palma) *coalesceret, magno opere curavit.* Ita scripserunt secundum unum cod. Salmasii. Galb. 20. *quod se aegros et invalidos magnopere fovisset.* Hic codices non videntur variare. Aug. 27. *solus magno opere contendit, ne cui parceretur.*

Liv. 36, 28, 5. *nec hercle, inquit, magnopere nunc curo, quid Aetoli — censeant.*

Sueton. Aug. 8. *profectum mox avunculum in Hispanias — per infestas hostibus vias — subsequutus magno opere demeruit.* Ne intellige magno studio, sed multum.

Plaut. Truc. 5, 45. *magno opere serva tibi viaticum.*

Accius apud Non. 4, 330. *vos ite actutum atque opere magno edicite per urbem, ut omnes — ore obscoena dicta segregent.* Plaut. Cas. Prol. 21. *vos omnes opere magno oratos volo.*

4. Sed usus haec, quae proprie ad animum et personam agentis spectabant, transtulit ad rerum naturam. Quare *magnopere* dicebatur de rebus magnis, gravibus,

vehementer commotis, maiorem in modum valentibus. Id Germani dicunt *im hohen Grade, sehr.*

Caes. B. gall. 4, 26. *magnopere perturbabantur.* Liv. 6, 5, 5. *haud magnopere plebem moverant.* 37, 60, 5. Lucret. 1, 638. *magno opere a vera lapsei ratione videntur.* Paullo post in eadem sententia v. 712. ediderunt *magnopere.*

Plin. Hist. n. 28, 14, 58. *intestinorum vitiis magnopere prodest coagulum cervorum.* 30, 12, 39. 18, 35, 78. *quoniam et hoc placuisse Virgilio magnopere video.* Liv. 21, 33, 11. *nec loco magnopere impediebantur.*

Cic. ad Fam. 2, 4, 3. *quae me magnopere delectant.* in Verr. 2, 58, 145. Plin. Hist. n. 37, 10, 68. 13, 33. *nam et humanitate eius et probitate in consuetudine quotidiana magnopere delector.*

5. Denique interdum significatio particulae accommodanda est singulari cuidam notioni in verbis sitae. Id fecerunt in primis recentiores scriptores. Dicebant *maxime pertinentia* (Plin. Hist. nat. 18, 35, 78.) et *valde pertinere* (Epist. ad Brut. 2.) et *magnopere pertinere.*

Cic. de Re p. 1, 8. *in qua nihil fere, quod magnopere ad rationes omnium rerum pertineret, praetermissum puto.* Liv. 9, 33, 8. *negare Appius interrogationem tribuni magnopere ad caussam pertinere suam.* 33, 28, 13. *adiecit* (litteras) *a Pisistrato de re magnopere pertinente ad Zeuxippum esse.* Plin. Hist. 17, 24, 37, 1. *indicanda reliqua natura sit, magnopere pertinens ad omnia ea.* Quintil. 5, 11, 31. *quid haec ad praesens propositum magnopere pertineat, non reperio.*

Cic. Brut. 93, 322. *nemo* (erat), *qui ad iracundiam magnopere iudicem, nemo, qui ad fletum posset adducere.* h. e. ita ut magna exsisteret iracundia.

6. Verba sunt tantum, quibus haec particula adiicitur, non adiectiva, nec dici potest *magnopere bonus.* Tamen verbalia in hunc modum componuntur ob naturam, quae in iis manet, verbalem.

Plin. Hist. n. 18, 28, 68, 3. *est autem magnopere pertinens.* 26, 1, 1. *sensit et facies hominum novos — morbos, — nec per Illyricum Galliasve aut Hispanias magnopere vagatos.* Quintil. 5, 1, 2. *quare mihi videntur magnopere damnandi.* Cic. p. Arch. 6, 14. *nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem.* Plin. Hist. n. 18, 24, 55. *huc pertinet oraculum illud magnopere custodiendum.*

Lucret. 6, 1229. *illud in his rebus miserandum et magnopere*

unum aerumnabile erat. Codd. duo et edit. ante Lambinum omnes omittunt *et*, quod Wakefieldio placuit, non Forbigero.

7. Cum negatione coniunctum *magnopere* usurpatur aut de rebus non admodum magnis, aut de iis, quae haud facile fiunt vel factae sunt. Atque haec per *ἀντίφρασιν* dicuntur. Hinc efficitur, ut *non magnopere* fere id exprimat quod *parum*, aut neget omnino rem aliquam esse. Germani dicunt *nicht eben sehr*, *nicht eben grofs*, *nicht leicht*. Sed adverbium una cum negatione ad verbum refertur, etiam ad *esse*. Attamen sunt dictiones, in quibus *magnopere* non negationem moderatur, sed verbo adhaeret, quod negatur. Ita in locis p. 578. et p. 580. memoratis *non magnopere desiderare*, *movere*. Cf. Liv. 21, 33, 11. Quintil. 6, 4, 1. In illa vero forma non videntur vocabula *magno opere* disiungi posse: in his dictionibus nil obstat. Quare Heusingerus in Cic. de Off. 1, 40, 145. edidit e codd. *nec magno opere admonitionem desiderant.* ubi tamen ordo verborum alteram rationem non respuit.

Cic. p. Rosc. Com. 15, 43. *quorsum recidat responsum tuum, non magnopere laboro.* Hoc est *ich kümmere mich nicht eben sehr:* nec male tamen alii reddunt *ich frage wenig darnach.* in Verr. 4, 1, 1. *deinde fortasse non magnopere quaeretis, quo nomine appellandum putetis.* h. e. *dann werdet ihr nicht weiter fragen.* p. Cluent. 27, 73. *hic tum Oppianicus non magnopere pertimuit.* Classenius scripsit *magno opere*, sed sine caussa. Liv. 6, 22, 7. *civiles iam res haud magnopere obeuntem bella excitabant.* Quintil. 12, 3, 8. *nos porro et bonum virum et prudentem imprimis oratorem putamus, qui quum se ad id, quod est optimum natura, direxerit, non magnopere commovebitur, si quis ab eo consultus dissentiet.*

Cic. p. Rosc. Am. 43, 124. *tametsi ita se res habet, ut mihi in communem caussam sectorum dicendum nihil magnopere videatur.* i. e. *nicht eben etwas.*

Cic. ad Att. 4, 17. *nulla est magnopere commota συμπάθεια: sed tamen habet aedilitas eius memoriam non ingratam.* h. e. *es ist nicht eben grofses Mitleid erregt worden, doch* etc. Coel. ad Cic. 8, 1, 5. *ut nunc est, nulla magnopere exspectatio est.* Hirtius in Caes. Bell. gall. 8, 48. *insequens annus — nullas res Galliae habet magnopere gestas.* Haud male ante Oudendorpium legebatur *nullas habet Galliae magnopere res gestas.* Liv. 3, 26, 3. *nulla magnopere clade accepta, castris se pavidus tenebat.* Plin. Hist. n. 35, 10, 37. *ideo non exstant exempla alia magnopere.*

37, 1, 3. *nec deinde alia, quae tradatur, magnopere gemmarum claritas exstat apud auctores.* 10, 2, 2. *unum in toto orbe nec visum magnopere.* i. e. *nicht leicht gesehen:* quod dicitur pro *fortasse numquam.* Sueton. de Gramm. 1. *rudi scilicet ac belli cosa etiam tum civitate, necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante.*

Quintil. 9, 2, 98. *frequens illud est, nec magnopere captandum.* Hic sensus esse potest: per se offertur nec ullo pacto est captandum: sed licet etiam explicare: nec magno studio captandum.

Liv. 40, 50, 3. *nec aliud magnopere, ne victos crederes, fecisse Romanos, nisi quod postero die lacessierint proelio manentes intra vallum.*

Liv. 1, 17, 1. *quia nemo magnopere eminebat in novo populo.* Hoc est *weil in dem neugebildeten Volke nicht leicht jemand hervortrat.* Male redderes *nicht sehr sich auszeichnete.*

8. Negativis sententiis, uti in aliis rebus, ita in hac quoque verborum compositione, aequales sunt interrogationes, sive recta in oratione sive in obliqua locum obtinent.

Cic. in Verr. 5, 41, 107. *quid, inquam, magnopere potuit Cleomenes facere istius avaritia navibus exinanitis?*

9. Palmerius in Spicileg. p. 708. Gruter. demonstrare conatus est, Latinos et *opere* et *magno* dixisse pro *magnopere.* Nec tamen quisquam contendet, id, quod ipsa illa vocabula per se efficiunt, factum esse nominis compositi dissolutione. Omnis vero haec opinio nata est ex corruptorum locorum perversa censura. Scribendum enim ille putabat in Plauti Truc. 2, 7, 28. *iussit opere orare* pro *iussit operare.* Sed constat metrum verbis *iussit orare.* In Cic. ad Att. 4, 11. codices exhibent: *ego mecum praeter Dionysium eduxi neminem: nec metuo tamen, ne mihi sermo desit: abs te opere delector.* Quae non tam corrupta, quam aliquibus verbis destituta videntur. Idem ille Palmerius apud Plautum verba Trucul. 5, 53. *iam hercle iam magno tu vapula vir strenuus*, interpretatur *vapula magnopere:* idque Pareus proprium esse existimat rusticae loquelae. At verba esse penitus corrupta quisque videt. Sine codicum auxilio vix submovebimus vitium vetus.

MALE.

1. Multiplex est usus adverbii MALE, a lexicographis nescio an non satis expositus. Amplissima enim notio rei male actae complectitur omnia non bona, prava, vitiosa, improba, et imprimis qualemcumque eventum malum. Id vero, quod intelligamus et distinctiore nomine designemus, plerumque ostendit ipsa sententia aut verbum, cui addita est particula. Nam *male credam* apud Plautum Poen. 4, 2, 55. est credendo fallar: et *male emere* apud Cic. ad Att. 2, 4. est magno pretio, *male vendere* in Verr. 3, 98, 227. parvo aut nullo pretio. Ambiguitate autem quadam non carent eae sententiae, in quibus adverbium et ad agentem et ad rem agendam referri potest, veluti *male cogitare*, *male narrare:* de quo Klotzius ad Cic. Tusc. 1, 6, 10.

De verbis *male emere* vide Burmann. ad Petron. 45. Westerhov. et Ruhnken. ad Terent. Eun. 4, 4, 2. Petron. 86. *consurrexi ad aurem male dormientis.* hoc Burmannus interpretatur *simulanter:* at postea narratur ephebum numquam altiore somno obdormivisse. Est igitur inopportune. 87. *male repugnanti gaudium extorsi.* h. e. non ex animo repugnanti, aut sine effectu. Sed c. 12. *quarum* (rerum venalium) *fidem male ambulantem obscuritas temporis facillime tegeret.* Non puto haec corrupta, sed cum Burmanno fidem raptarum rerum claudicantem intelligo.

2. Ea verba et adiectiva, quae ipsa malam vel deteriorem rerum conditionem indicant, sibi iunctum habent *male*, ut notio sua vel gravior fiat vel augeatur. Quare videtur idem hoc adverbio exprimi, quod, omissa hac mali notatione, *valde*, *vehementer* significant. Germani simili modo saepe dicunt *schlimm.* Cf. Laurent. Vallae Elegant. 2, 52.

Terent. Eun. 4, 7, 4. *male mulcabo eam.* Cic. Brut. 22, 88. *addebat etiam — scriptores illos male mulcatos exisse cum Galba.* Terent. Hec. 3, 2, 2. *male metuo, ne Philumenae magis morbus adgravescat.* Ad. 4, 1, 7. *illud rus nulla alia caussa tam male odi.* ubi vd. Ruhnken. Cic. ad Att. 14, 1.

Sueton. Ner. 42. *collapsus animoque male fracto diu sine voce et prope intermortuus iacuit.*

3. Ad tempus et opportunitatem spectat *male*, ubi

intelligimus inopportuno tempore, intempestive factum, vel etiam improsperum eventum et perniciem.

Horat. Sat. 2, 1, 20. *cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.* Carm. 4, 6, 13. *ille non — male feriatos Troas — falleret.* Tacit. Ann. 4, 74. *quidam male alacres, quibus infaustae amicitiae gravis exitus imminebat.* Alii explicuerunt in perniciem suam.

4. Cum adiectivis componitur *male* ex vulgari opinione ita, ut idem exprimatur, quod adiectiva cum *in* composita significant, quasi *male sanus* sit *insanus.* At iam Forcellinus vidit illud minus esse quam *insanum.* Neque enim negationem, sed defectum et vitium his verbis designamus, duplici quidem modo. Aut enim nimia res nocet vel displicet, aut defectus in se habet vitium. Illud Germani alia ratione dicunt *allzu, nur zu sehr*, hoc autem *nicht sehr, nicht eben, halb.* Utrumque significat praepositio *ve.* Festus: *vegrande significare alii aiunt male grande, ut vecors, vesanus mali cordis, maleque sanus.* Heindorf. ad Horat. Sat. 1, 2, 129. Bentlei. ad 1, 3, 25. Ambiguitatem autem, quae facile exsistit, non semper evitarunt negligentiores scriptores atque poetae, iique etiam interdum plenam negationem hoc modo expresserunt, et *male gratum* vocarunt ingratum.

Horat. Carm. 1, 17, 24. *nec metues protervum suspecta Cyrum, ne male dispari incontinentis iniiciat manus.* i. e. nimium dispari. Errant, qui *male* cum *iniiciat* coniungunt. Sat. 1, 3, 31. *male laxus in pede calceus haeret.* 1, 4, 66. *rauci male.* 1, 3, 45. *male parvus si cui filius est.* 1, 9, 65. *male falsus ridens dissimulare.* i. e. nimium. In prosaicae orationis auctoribus nullum inveni huius generis exemplum.

Cic. ad Att. 9, 15. *ego autem illum male sanum semper putavi, nunc etiam impurum et sceleratum puto.* Horat. Epist. 1, 19, 3. ubi Vossius male reddidit *halbunklug.* Virgil. Aen. 2, 23. *statio male fida carinis.* Horat. Sat. 2, 5, 45. *validus male filius.* Ovid. Met. 4, 285. *quare male fortibus undis Salmacis enervet — discite.* i. e. *nicht sehr stark.* Tibul. 1, 10, 51. *rusticus male sobrius.* Ovid. Fast. 3, 102. *facundum, sed male forte genus.* i. e. non admodum. Liv. 35, 49, 10. *videretis vix duarum male plenarum legiuncularum instar in castris regis.*

Sueton. Tib. 42. *vitia male diu dissimulata.*

Virgil. Aen. 2, 735. *male numen amicum.* i. e. inimicum.

Ovid. Her. 7, 27. *ille quidem male gratus et ad mea munera surdus.* i. q. ingratus. Horat. Sat. 2, 3, 137. *habitus male tutae mentis Orestes.* antea v. 134. *insanisse* dicitur. Sueton. Aug. 21. *alias item nationes male quietas ad obsequium redegit.* h. e. inquietas.

Horat. Carm. 1, 9, 23. *pignusque dereptum lacertis aut digito male pertinaci.* i. e. non admodum pertinaci. Bentleius id negat, et intelligit eum, qui simulat pertinacem esse et tamen pertinaciam suam expugnari cupit. At hic ipse non admodum pertinax est, quem dicimus *nicht eben hartnäckig.* Sed Prudent. Cathem. Praef. 14. *male pertinax vincendi studium subiacuit casibus asperis.* h. e. admodum, nimis.

5. Critici non semel docuerunt, *male* significare *vix:* quo pacto id fieri posset, non declaraverunt. Vid. Erhard. ad Petron. 119, 20. Ruhnken. ad Vellei. Pat. 2, 47, 2. Attamen, quae attulerunt, exempla plurima ad notiones contrarias referri debent: quamquam negari non potest, in quibusdam poetarum locis *male* pro *vix* positum videri.

Male haerere est non bene, non firmiter. Liv. 23, 24, 9. *arbores alia in aliam instabilem per se ac male haerentem incidentes.* Senec. Cons. ad Marc. 11, 2. Liv. 1, 25, 12. *male sustinenti arma gladium superne iugulo defigit.* Dukerus non bene interpretatur: vix armorum tenendorum potenti: quod reliquis placuit. Male enim Albanus se defendit, nec ut debebat, corpus tegebat armis. Nos *er gab eine Blöfse.* Virgil. Ge. 1, 360. *iam sibi tum a curvis male temperat unda carinis.* Non recte reddunt *kaum:* est enim non ita, ut debebat, non satis, *nicht eben sehr.*

Horat. Sat. 2, 6, 86. *cupiens varia fastidia coena vincere tangentis male singula dente superbo.* ubi Schol. Cruq. *vix ac fastidiose contingentis.* Petron. 119, 20. *Persarum ritu male pubescentibus annis subripuere viros.*

6. Per hyphen, quod vocant, etiam *male* cum nominibus substantivis componi atque rem significare, quae non praestet id, quod praestare debeat, Barthius ad Gratii Cyneg. 406. aliique opinati sunt. Exempla vero, quae illi commemorant, maxima ex parte falsa aut perperam accepta sunt. In iis, quae certa et sana sunt, substantiva pro adiectivis ponuntur.

Catull. 16, 13. *male me marem putatis.* Ovid. Art. am. 1, 524. *et si quis male vir quaerit habere virum.* i. e. cinaedus.

Ovid. Met. 7, 397. *ultaque se male mater Iasonis effugit arma.* Coniunge *male ulta.* Senec. Thyest. 3. *quis male deorum Tantalo visas domos ostendit iterum?* Intellige *male visas domos.* h. e. in eius perniciem. Nam *visas* pro *vivas* e florentino libro restituit Bothius. cf. Gronov. Apud Arnobium 4. p. 84. et p. 88. Elmenh. non legitur *male tractatio*, sed *mala.*

7. Reliqua exempla adverbii cum adiectivis compositi ad duo genera referri debent. Alia enim in unam notionem coeunt, unoque vocabulo constant. Quemadmodum *malefidus*, *malesuadus* (Plaut. Most. 1, 3, 56. Virgil. Aen. 6, 276.), ita etiam *maledicax*, quum *maledicere* sit in usu. Alia autem e verbis facta assumunt adverbium propter verbalem rationem, veluti *male oculatus* (Sueton. de Rhetor. 5.).

Cic. de Fin. 1, 3, 8. *sed ex eo credo quibusdam usu venire, ut abhorreant a Latinis, quod inciderint in inculta quaedam et horrida, de male graecis latine scripta deterius.* Ita ut scribatur, necessarium existimant critici vel propter concinnitatem, vel ambiguitatis evitandae caussa. Vellem demonstrassent, quis Latinorum umquam dixerit *bene graecum.* Restituenda est codicum scriptura *de malis graecis.*

MAXIME.

Maxime sive maxvme, ortum ex *magissime*, summum qualitatis gradum significat: *μάλιστα*, *am mehrsten, meisten.* Vsus autem huius vocabuli duplex est. Nam praestantia aut in ipsis rebus inest, aut iis tribuitur iudicio: quare adverbium et additur nominibus attributivis, ut superlativi ratio exsistat, et inservit enuntiationibus atque notionibus adiungendis, quibus, quid summopere praestet, aut quid prae aliis rebus spectandum sit, iudicamus. Differunt autem *plurimum* et *potissimum.* Illud enim definit, quantum quid sit quod agitur, ideoque tantummodo cum verbis et novo recentiorum scriptorum usu cum numeralibus componitur: *potissimum* autem id, quod maxime praestat aut valet, reliquis vel exclusis vel reiectis anteponit atque unum eligit et praefert. Cf. Wolfium in Analect. p. 294. Vulgari tamen usu *maxime* et pro *potissimum* et pro *praecipue* et *praesertim* ponitur promiscue.

Cic. de Orat. 1, 8, 30. *haec una res in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus praecipue semper*

floruit. Gellius 20, 1. *sed omnium maxime atque praecipue fidem coluit.* Quae Herzogius de vocabulorum horum discrimine disputat, vereor ut satis faciant.

Ex ipsa vero vocabuli significatione intelligitur, qui factum sit, ut poetae elegantiores in carminibus suis non admitterent nomen, quod intellectui esset proprium nec versibus commodum. Apud comicos tamen multiplex est usus, et Phaedrus 4, 10, 17. scripsit *tibi inveniri maxime contrarios.* Plauto proprium videtur, quod hanc particulam extremo in versu collocare solet.

I. 1. Inter attributiva nomina sunt adiectiva et participia, quibus additur *maxime*, nec tantum ea, quae superlativum non possunt sua forma exprimere, sed etiam ea, quorum superlativus in usum venit. Sed optimus quisque scriptor cavet, ne praeter necessitatem repudiet formas linguae constitutas. Nam quod discrimen intercedit inter verba *das Nützlichste* et *im höchsten Grade nützlich*, quorum hoc ad absolutarum notionum genus attinet, id etiam Latini agnoverunt, nec ubique *utilissimum* pro *maxime utili* dixerunt. Substantivis *maxime* adiicitur, ubi ea pro adiectivis ponuntur, aut adverbium cum verbo *esse* compositum praedicati officium obit. Adverbia non assumunt *maxime*, sed ubi de summa re dicitur, adverbialem notionem in se recipere solet ipsum *maxime:* veluti *maxime pugnare* est maxime fortiter pugnare apud Plaut. Amph. 1, 1. 271. Aliquantum differt, ubi *quam maxime* ad adverbium apponitur.

Terent. Phorm. 2, 1, 65. *nec si cognata est maxume, non fuit necesse habere.* Cic. de Amic. 21, 80. *maxime naturali carent amicitia.* 23, 86. *quo etiam magis vituperanda est rei maxime necessariae tanta incuria.* Caes. B. gall. 2, 4. *qui maxime feri inter ipsos habeantur* etc. Quintil. 1, 11, 13. *quod ita optime faciet, si certos ex comoediis elegerit locos, et ad hoc maxime idoneos.*

Plaut. Capt. 1, 1, 31. *inhonestum, maxume alienum ingenio suo.* Mil. 2, 4, 11. *qui propudii me maxume innocentem falso insimulavit.* Terent. Andr. 5, 1, 16. *quibus id maxime utile est.* Quintil. 9, 3, 3. Terent. Eun. 5, 2, 26. *nam si ego digna hac contumelia sum maxume* etc. Curt. 4, 7, 23. *umbilico maxime similis est habitus.*

Plaut. Rud. 1, 3, 35. *libera ego prognata sum maxume.* i. e.

quam libera esse potest quisquam: nec superlativi est hic locus.

Terent. Heaut. 2, 4, 28. *maxime animo exoptata meo.* Sallust. Iug. 47, 1. *forum rerum venalium totius regni maxume celebratum.*

Cavendum est, ne in distinguenda diversa forma abutamur subtilitate, veluti Herzogius in Sallust. verbis Cat. 1, 3. *memoriam nostri quam maxume longam efficere*, negavit arrogantiae caussa dici potuisse *memoriam nostri quam longissimam efficere.* Hoc tantum non verum est. Illud tamen studium, hoc magis effectum indicat. Scriptores optimi scilicet eleganter variare solebant formam et, alterius adiectivi superlativo posito, alteri addere adverbium *maxime*, uti Sallust. Iug. 35, 4. *proxumo ac maxume fido sibi.*

Haud raro dubia est verborum constructio: Plaut. Trin. 3, 2, 38. *in occulto iacebis, quom te maxume clarum voles.* Coniunge *maxume voles.* vd. n. 2. Pseud. 1, 3, 35. *deos quidem, quos maxume aequom est metuere, eos minimi facit.* Esse potest *maxume metuere*, ut Mil. 2, 5, 18. Amph. 2, 2, 202. *quam me vereri et metuere est par maxume.* Et sunt etiam aliorum scriptorum loci, in quibus *maxime* non ad proximum nomen referamus. Quintil. 5, 13, 42. *facimus hoc, quod maxime ubcres loci populares sententiae nascuntur materiam dicendi nobis, quod volumus, ducentibus.* i. e. quod maxime nascuntur.

Plaut. Capt. 3, 5, 3. *sator sartorque scelerum et messor maxume.*

Cic. de Orat. 1, 33, 149. *ut — dicatis quam maxime ad veritatem accommodate.* Ne autem verba Sallustii Iug. 35, 4. *maxime occulte* ad hoc caput referas, vide n. 15. Oudendorpius ad Caes. Bell. civ. 3, 9. *nuper maxime*, quod in uno quodam codice invenit, quasi esset *nuperrime*, comprobavit. At id ne latinum quidem est.

2. Verba, quae rem vel crescentem et multiplicatam vel actionem augendam vel conditionem mutabilem, etiam defectu, denotant, omnia admittunt hoc adverbium altissimi gradus, itemque verbalia: in primis verba *velle*, *cupere*, et quae animi sensum et motum significant. In his intelligimus, quae summo studio vel toto animo aguntur. Verbis *esse* et *fieri* hoc modo additur affirmatio summa, aut intelligitur praedicatum ex antecedentibus. In multis autem explicandis adhiberi possunt verba *omnino*, *totum*, *ganz und gar.* Saepe adverbium post verbum collocatur, non mutata senten-

tia, sed graviore cum vi orationis. Interdum vero dubitabimus, utrum in varietate lectionis adiectivum, an adverbium praeferamus: utrumque bene se habebit.

Plaut. Trin. 2, 3, 20. *tu fecisti, ut difficilis* (via) *foret, culpa maxime et desidia.* Coniunge *maxime fecisti.* Terent. Eun. 5, 9 (8), 14. *quid commemorem primum, aut laudem maxume?* Heaut. 3, 1, 79. *quo maxume aput te se valere sentiet.* Ad. 3, 2, 54. *nos coluit maxume.* Quintil. 9, 4, 27. *quo congruunt maxime.* 2, 4, 5. *posse autem maxime, si velit, optimum quemque contendo.* Plin. Hist. n. 17, 24, 37, 3. *maxime autem arborum hoc sentiunt piri, mali, fici: minus, quae amarae sunt et odoratae.* Curt. 8, 9, 12. *ceterum quae propiora sunt mari, aquilones maxime deurunt.*

Plaut. Most. 5, 1, 49. *quia id enim maxume volo.* Most. 2, 1, 45. *ubi maxume esse vis, cum hac, cum istac eris.* Germani alia quidem ratione: *wo du am liebsten seyn willst.* As. 3, 3, 133. *exopta id, quod vis maxume tibi evenire.* Merc. 5, 2, 45. Terent. Hec. 3, 3, 36. Cic. ad Fam. 12, 25, 16. *de te audiebamus ea, quae maxime vellemus.* ad Att. 13, 1. *nec magis quam quemadmodum ego maxime vellem.* p. Quint. 10, 35. Pers. 2, 4, 30. *quem convenire maxume cupiebam, egreditur intus.* Terent. Heaut. 3, 1, 19. Cas. 2, 8, 13. Mil. 2, 5, 18. *metuo maxume.* Sallust. Cat. 58, 17. *qui maxume timent.*

Plaut. Capt. 2, 3, 38. *istuc in rem utrique est maxume.* Curc. 1, 1, 41. *fiat maxume.*

Cic. de Leg. 2, 26, 66. *fuit enim hic vir, ut scitis, non solum eruditissimus, sed etiam civis e re publica maxime tuendaeque civitatis peritissimus.* Goerenzius non recte intelligit *sed maxime etiam*, quum coniungenda sint *maxime e re publica.*

Caes. Bell. gall. 1, 3. *qui eo tempore — maxime plebi acceptus erat.* Cic. de Off. 1, 11, 35. *atque in re publica maxime conservanda sunt iura belli.*

Extremo loco sententiae cum maiore vi posuit non raro Cicero: de Leg. 2, 27, 69. *id enim est profecto, quod constituta religione rem publicam contineat maxime.* de Off. 1, 2, 4. *ab eo exordiri volui maxime.* Tusc. 1, 15, 35. in Verr. 3, 5, 11. p. Planc. 10, 25.

De ordine verborum diversa exstant criticorum iudicia. Cic. de Amic. 5, 20. *quanta autem vis amicitiae sit, ex hoc intelligi maxime potest, quod* etc. In aliis libris legitur *maxime intelligi potest.* Id Gernhardus repudiat, quum intelligentiae nulli sint gradus, sed potestati intelligendi. Sed et coniungi pot-

erant verba *ex hoc maxime*, et recte dici *maxime intelligi*. Goerenzius in Iahnii Annal. 1. p. 300. libros duos nominat, qui habent *intelligi potest maxime*, nec male. Sallust. Cat. 33, 5. *neve eam nobis necessitudinem imponatis, ut quaeramus, quonam modo maxume ulti sanguinem nostrum pereamus.* Kritzius Cortium impugnat, qui transposuit verba *ulti maxume.*

Liv. 6, 36, 2. *eaque res — verecundia maxime non patres modo, sed etiam plebem movit.* Editiones antiquae *maxima.* Quintil. 9, 4, 66. *quod nunc maxime vitium est.* Non possunt coniungi *nunc maxime*, *jezt eben*, et quod exspectamus, *maximum* in codicibus quibusdam legitur.

3. Exstant in editionibus veterum scriptorum vulgaribus loci, in quibus *maxime* est superlativis appositum. Antiqui grammatici id fieri posse negarunt: vide Donatum p. 1746: recentiores aut dubitaverunt aut affirmarunt. In his Vossius de Construct. 17. Burmann. ad Gratii Cyneg. 133. Drakenborch. ad Liv. 41, 23, 6. Ernestius in Clav. Cic. p. 609. At Ruhnkenius ad Vellei. Pat. 2, 27. monuit, vulgatae lectioni in omnibus his locis nihil esse praesidii, et si quae exstarent vera exempla, sordes esse scriptoribus deterioris notae proprias. Eum sequuntur Zumptius ad Cic. Verr. 2, 66, 160. et Kritzius ad Sallust. Iug. 7, 5. Nos igitur primum vera a falsis secernamus, tum in reliquis ad ea respiciamus, quae de vocabulo *magis* comparativis adiecto sunt exposita. Nec poterant tamquam similia comparari *longe altissimus* apud Liv. 44, 31, 5. nec *perdifficillimum* 40, 21, 3.: ibi enim praepositio *per* in se constat.

Apud Cic. Verr. 2, 66, 160. codices tres quatuorve *remoti* habent, non *remotissimi.* Liv. 41, 23, 6. *parva aut mediocris res, Achaei, quibusdam videtur agi: ego maxime gravissimam omnium non agique tantum arbitror, sed quodam modo actam esse.* Haec corruptela laborare nemo non videt. Columell. 9, 3, 3. *si vero saevior maxime pessima est.* Quod in antiquis libris desideratur *est*, ad id critici debebant animum attendere: nam Columella scripsit: *nam quanto grandior apis atque rotundior, tanto peior: si vero saevior, maxime.* i. e. rotunda si saevior, maxime est saeva: *so ist sie's im höchsten Grade.* Id glossator explicuit addito *pessima.*

Restant haec: Cic. ad Att. 12, 38. *credo — existiment —, sive hanc aberrationem a dolore delegerim, quae maxime liberalissima doctoque homine dignissima, laudari me etiam oportere.* Non uno modo critici emendarunt haec verba, nec tamen pro-

babili. Equidem voc. *maxime* e versu sequente transpositum esse existimo: nam Cicero scripsisse videtur *laudari me etiam oportere maxime*. Gellius 13, 16. *quas* (bonas artes) *qui sinceriter cupiunt appetuntque, hi sunt vel maxime humanissimi.* Menckenius in Observat. p. 609. „hic illud *vel maxime* idem est quod *imprimis*, nec tam coniunctum alteri *humanissimi*, quam ad id additum videtur, ut maiorem verbis vim conciliaret.“ Cod. Lincoln. *hi sunt, et maxime, humanissimi.* Quod erit considerandum.

4. Novum praeceptum videtur tradidisse Reisigius, qui in scholis suis, ut Kahntius in Ephemerid. scholast. a. 1831. n. 61. refert, docuit, praeter eam significationem, qua alicui rei aliquid maximi numeri attribuitur, adverbii *maxime* aliam fuisse eam, qua ad partes rei referretur atque id indicaret, quod plurimis partibus proprium esset: veluti *liber maxime philosophicus* non modo liber esset philosophicis dictis praestantissimus, sed etiam qui plurimis in partibus philosophicum haberet argumentum: *gröfstentheils philosophisch.* Equidem vero haec ab usu Latinorum prorsus aliena puto: certe in adiungendis adiectivis. Vnum tamen invenimus locum, in quem illud praeceptum quadrare videtur. Liv. 5, 40, 5. *alia maxime plebis turba, quam nec capere tam exiguus collis, nec alere in tanta inopia frumenti poterat, ex urbe effusa velut agmine iam uno petiit Ianiculum.* Sed paullo post exponemus, quo modo *maxime* indicet singularem speciem rerum ante alias considerandam, atque idem significet quod *praesertim, imprimis.* Ita Liv. 21, 46, 9. *fuga tamen effusa iaculatorum maxime fuit.* i. e. praecipue fuit iaculatorum. Curt. 8, 4, 24. *omnium tamen oculos convertit in se, maxime regis.*

5. Saepius hoc adverbio significatur, rem fieri aut esse praeter alia sive praeter omnia alia, *vor allen andern:* saepe etiam, quum ad modum rei agendae respicimus, agi summis vel maximis in rebus. In illo vero usu observavi, adverbium in fine sententiae poni debere.

Plaut. Amph. 2, 2, 140. *enimvero illud praeter alia mira miror maxume.* Terent. Eun. 1, 2, 92. *hac re arbitror id posse fieri maxume.* i. e. sola hac re, non alia magis. Cic. in Verr. 3, 5, 11. *neminem vestrum praeterit, iudices, omnem utilitatem*

opportunitatemque provinciae Siciliae — consistere in re frumentaria maxime.

Haud absurdum iudicium fecit Goerenzius, quum Ernestium reprehendebat, qui in verbis Cic. de Fin. 2, 13, 39. *in ea voluptate, quae maxima dulcedine sensum moveret, summum bonum ponere*, correxit *quae maxime:* adverbium enim ad verbum erat ponendum, ne significaret *praesertim*, quod ab illa sententia alienum.

Terent. Phorm. Prol. 27. *is erit Phormio parasitus, per quem res geretur maxume.* i. e. ut qui primas partes agat.

6. Hoc adverbium saepe vicem aliorum adverbiorum praestat, quorum notio vel in verbo continetur, vel ex universa sententia colligitur.

Plaut. Amph. 1, 1, 271. *legiones quom pugnabant maxume, quid in tabernaculo fecisti?* i. e. acerrime. 1, 1, 44. *nam quom pugnabant maxume, ego fugiebam maxume.* Bacch. 4, 9, 80. *nam ego non laturus sum, si iubeas maxume.* i. e. instanter. Caes. Bell. gall. 1, 40. *huic legioni Caesar — propter virtutem confidebat maxime.* Dicunt Germani *unbedingt vertrauen.* Quintil. 10, 1, 86. *quem Homero crederet maxime accedere.*

Cic. de Off. 1, 11, 33. *atque in republica maxime conservanda sunt iura belli.* i. e. summa cura. Quintil. 12, 2, 7. *quis denique in ipsa, quam maxime plerique praecipiunt, rei publicae administratione versatus est?* Cornel. Alcib. 3, 4. *hoc maxime convenire in Alcibiadem videbatur.* i. e. *dies schien aufs genaueste auf den Alc. zu passen.*

7. In quibusdam formulis idem est quod *plurimum*, certe in usu comicorum. Sed quae vulgo ita commutata putantur, diversae sunt rationis. Nam quum Caesar dicit *legioni confidebat maxime* et Cicero *quod me maxime delectat*, referuntur haec ad animi affectum, quae adhibito vocabulo *plurimum* ad rem spectarent.

Plaut. Trin. 2, 2, 38. *mihi quidem aetas est acta ferme, tua istuc refert maxume.*

8. In his omnibus, quamquam comparatio cum aliis rebus eiusdem generis aut rationis instituenda non verbis quidem exprimitur, sed cogitatione percipitur, dubium est, an scriptor per hyperbolen rem, quae permagna esset, dixerit maximam. Nimirum *maxime* saepissime ponitur pro *valde*, *admodum*. Negligimus enim, ut fit in familiari consuetudine, accuratam com-

parationem. Item contra, quum de summa re loquimur, intelligimus etiam conditionem vel qualitatem ita adauctam, ut comparationem excedat, et *maxime* absolute dicatur. Est igitur tantopere, quantopere in rerum natura fieri potest: quod alias *summe*, *im hochsten Grade*.

Plaut. Men. 4, 2, 1. *ut hoc utimur maxume more moro molestoque multum.* i. e. *wie gewöhnlich ist doch die im höchsten Grade thörigte Sitte.*

9. Sicuti aliis superlativis, etiam huic affertur potentior vis et per vocabula *unus*, *omnium*, *multo*, quorum hoc tantum comici utuntur, et per adiectam particulam *vel* et per voculam *quam*, cuius ratio omnibus nota est. Spectat enim ad emissum verbum *potest*, quod saepe non omittitur, vel ad aliud ex superioribus intelligendum: sed insinuavit se haec formula ita in familiarem usum, ut *quam maxime* per se constare videretur. Sic Graeci ὡς μάλιστα. Herzogius ad Caes. Bell. gall. 1, 81. contendit, numquam ad aliud vocabulum, nisi ad verbum referri hoc *quam maxime*, quod moderetur iudicium. At etiam adiectivis et adverbiis adiungitur, ut summus qualitatis gradus intelligatur. In Caesaris loco sententia nos iubet ad verbum referre, non ipsa vocabula. De verbis *maxime admodum* vide Tom. 1. p. 171.

Curt. 5, 2, 5. *qui — proelium unus maxime accenderat.* Cornel. Milt. 1, 1. *quum — sua modestia unus omnium maxime floreret.* ubi Bremius. Vide Drakenborch. ad Liv. 36, 19, 4. 4, 59, 11. 23, 49, 12.

Terent. Hec. 1, 2, 85. *atque ea res multo maxume disiunxit illum ab illa.* Sallust. Cat. 36, 4. *imperium populi romani multo maxime miserabile visum est.*

Cic. de Nat. d. 2, 65, 162. *illud vero — mihi videtur vel maxime confirmare, deorum providentia consuli rebus humanis.* de Orat. 1, 8, 32. *hoc enim uno praestamus vel maxime feris.* Partit. orat. 33, 114. *quae quidem vel maxime suspicionem movent.* Quam reconditam vim Goerenzius verbis *vel maxime* ad Cic. de Fin. 1, 1, 2. tribuerit, me fugit.

Plaut. Mil. 3, 1, 186. *quam potes, tam verba confer maxume ad compendium.* Haec contracta dicuntur *quam maxime confer.* Terent. Ad. 5, 8, 2. *ego vero iubeo et in hac re et aliis omnibus quam maxume unam facere nos hanc familiam.* Heaut.

Prol. 50. Cic. Tusc. 1, 45, 108. *Persae etiam cera circumlitos condunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora.* de Orat. 1, 33, 149. *ut — dicatis quam maxime ad veritatem accommodate.* 1, 34, 154. *equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, — ut aut versibus propositis quam maxime gravibus aut oratione aliqua lecta in eum finem — eam rem ipsam, quae legissem, verbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiarem.* Liv. 4, 6, 9. *quicumque aliquid seditiose dixerat aut fecerat, quam maxime tribunicii et prensare homines et concursare toto foro candidati coepere.* Sallust. Cat. 1, 3. *quo mihi rectius videtur — memoriam nostri quam maxime longam efficere.* Poterat etiam dici *quam longissimam.*

Plaut. Mil. 4, 4, 17. *nunc quam maxume opus est dolis.*

Nihilominus *quam* potest etiam ad *tam* referri. Plaut. Merc. 1, 2, 12. *quam maxume resisto, tam res in periculo vortitur.*

10. His accedunt formulae quaedam comparationis breves, in quibus post relativum omittuntur verba ex altera enuntiationis parte repetenda, *quam qui maxime, ut qui maxime.* Eae etsi omnibus superlativis communes sunt, in *maxime* tamen habent frequentissimum usum.

Cic. ad Fam. 5, 2, 13. *tam enim sum amicus reipublicae, quam qui maxime.*

Liv. 7, 33, 5. *proelium, ut quod maxime umquam, pari spe, utrimque aequis viribus — commissum est.* 5, 25, 9. *grata ea res, ut quae maxime senatui umquam fuit.*

11. Notandae videntur etiam formae comparationis *ut quisque maxime — ita maxime* sive *potissimum: ut quisque maxime — ita minime:* quae aliis quoque superlativis accommodantur. Saepe simplex *maxime* in utraque parte enuntiationis locum habet, quando duae res aequali ratione accrescunt: quasi dicatur *quo magis — eo magis.*

Cic. de Off. 1, 15, 49. *hoc maxime officii est, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari.* 1, 19, 64. *ut quisque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime vult princeps omnium — esse.*

Cic. de Off. 1, 15, 47. *colendum autem esse ita quemque maxime, ut quisque maxime virtutibus his lenioribus erit ornatus.*

Cic. de Leg. 1, 18, 49. *ut enim quisque maxime ad suum commodum refert, quaecumque agit, ita minime est vir bonus.*

Cic. p. Rosc. Am. 53, 154. *ex quibus rebus maxime respublica laborat, iis maxime mederi convenit.* **Plaut. Amph. 1, 1, 44.** *nam quom pugnabant maxume, ego fugiebam maxume.* **In altero membro positivus apponitur apud Plaut. Merc. 1, 2, 12.**

12. Familiaris consuetudo mutavit legitimum usum in eo, quod *maxime* pro *potissimum*, quod unum aliquid ex ceteris tenet et praefert, promiscue poni concessit. Id transiit in usum scriptorum inferioris aetatis. Atque primum id ibi factum videmus, ubi adverbium cum numeralibus componebatur. Grammatici significari dicunt *ferme*, *fere*, et comparant *admodum* et graecum μάλιστα. Graeci autem ita pro ἀκριβῶς loquuntur et rem referunt vel ad minimum vel ad summum numerum, ut modo sit *höchstens*, modo *wenigstens*. Cf. Hemsterhus. ad Lucian. Tom. 1. p. 303. Bip. Interpret. ad Thucyd. 1, 54. Weiskium ad Xenophont. Hellen. p. 472. Id Latini infima demum aetate imitati sunt, ut Gellius 17, 8. *erat is puer genere Atticus, ad annos maxime natus octo.* Sed antiquiores scriptores pro *potissimum* dixerunt, ut certum numerum, aliis rebus missis, tenerent.

Quintil. 5, 14, 5. *Cicero maxime quinque defendit.* **i. e. ex reliquis sive ex toto numero quinque. 8, 4, 3.** *quatuor tamen maxime generibus video constare amplificationem.* **i. e. non pluribus. In hunc modum Gesnerus egregie emendavit 6, 3, 23.** *usus autem maxime triplex.* **ubi Spaldingius non firmo pede incedit.**

13. Idem *maxime*, quod *potissimum* significat, etiam poni potest, quando in rebus incertis nec accurate definiendis unum modum, qui certus videtur, tenemus, ad alia momenta non respicientes. Tum explicari poterit per *certe*, sed est *potissimum*. Germani loquuntur *wenigstens:* sed etiam *eben*, *gerade*. Huic vero dictioni accommodantur imprimis relativae sententiae, et dicitur *qui maxime* pro *qui potissimum*.

Plaut. Men. 5, 9, 58. *vostrum patri filii quot eratis?* M. *Ut nunc maxime memini, duo.* **i. e.** *wie ich jezt wenigstens mich erinnere*, **sive** *jezt eben.*

Quintil. 5, 7, 16. *aliquo circuitu ad id pervenire, ut illi, quod maxime dicere voluit, videatur expressum.* **Sallust. Cat. 33, 5.**

neve eam nobis necessitudinem imponatis, ut quaeramus, quonam modo maxume ulti sanguinem nostrum pereamus. Maxume enim ad universam sententiam, non ad nomen *ulti* pertinere videtur. Plin. Hist. n. 22, 24, 53. *eum divus Augustus hospes interrogavit, quanam maxime ratione vigorem illum animi corporisque custodisset.* Cur in illa Sallustii sententia *maxime* non ad relativum adiunctum sit, ipsa declarat.

14. Sed una est loquutio, in qua adeo de incertis rebus *maxime* pro *fere*, h. e. *ohngefähr*, dici videtur: *maxime in hunc modum.* Tamen etiam in ea *potissimum* intellige ita, ut, si quis dicat, aliquem maxime in hunc modum loquutum esse, ille in referendis verbis videatur aut argumentum orationis maximopere curare, non item ipsa verba dicentis, aut maximas tantum res commemorari. Huius usus primordia exstant apud historicos: qui in aliis tamen eadem verba etiam ita usurpabant, ut *maxime* de singulari modo dicerent: h. e. *absonderlich, im Wesentlichen.* Cf. Duker. ad Liv. 21, 33, 7.

Liv. 38, 17, 1. *pro concione milites maxime in hunc modum alloquutus est consul.* 34, 13, 10. *in hunc modum maxime adhortatus pronuntiat.* 7, 30, 1. *legati — maxime in hanc sententiam loquuti sunt.* Curt. 9, 2, 12. *ad concionem vocatis militibus ad hunc maxime modum disseruit.*

Liv. 21, 38, 1. *hoc maxime modo in Italiam perventum est.* hoc non est *ohngefähr auf diese Weise,* sed *im Wesentlichen auf diese Weise.* 37, 30, 10. *hoc maxime modo ad Myonnesum navali proelio pugnatum est.*

Curt. 8, 11, 6. *petra non, ut pleraeque, modicis ac mollibus clivis in sublime fastigium crescit, sed in metae maxime modum erecta est.* 3, 6, 12. *si dii, Philippe, tibi permisissent, quo modo maxime velles animum experiri meum.* h. e. imprimis. Liv. 35, 34, 10. *iussit — loris ducere equos itineris maxime modo, solutis ordinibus.* Curt. 3, 2, 5. *armati bipennibus levibusque scutis cetrae maxime speciem reddentibus.* i. e. *ganz in der Gestalt einer Cetra.*

15. Res singulae, quae eminent aut praeter alias maxime valent, et rei alicuius partes praeter reliquas considerandae, et enuntiationes, quibus singularis et eximia additur caussa vel conditio, eae haud raro designantur vocabulo *maxime*, quod tum idem fere valet ac *praesertim* et *praecipue.* Primum igitur additur hoc

sensu nominibus, etiamsi ad verbum referendum sit constructione. Praecedere solet universae rei nomen, vel in reliquis intelligitur. Adverbium autem, quod vocabulo suo proprio apponi debet, interdum ea negligentia traiicitur, quam Wolfius illustravit in Analectis p. 294. Et adiunguntur sententiae explicativae per copulativas *que*, *et*, raro *ac*. Ita pergit oratio continuata ad rem peculiarem.

Plaut. Amph. 1, 1, 36. *id vi et virtute militum victum atque expugnatum oppidum est, imperio atque auspicio heri mei Amphitruonis maxume.* Terent. Hec. 3, 1, 50. *quod sane nolim, maxume heri caussa mei.* 3, 2, 13. *iam ea te caussa maxume nunc huc introire nolim.* Caes. Bell. gall. 1, 28. *id ea maxime ratione fecit, quod* etc. Cic. de Off. 1, 11, 35. *credo aliquid sequutos, opportunitatem loci maxime.* Curt. 9, 8, 5. *frequentes autem vicos, maxime in ripa habebant.* Liv. 3, 45, 5. *quum multitudo Icilii maxime interventu resisti posse Appio crederet.* 40, 35, 13. *paucae civitates —, quas vicina maxime hiberna premebant, in ius ditionemque venerunt.* Alia esset eiusdem sententiae forma: *vicina hiberna maxime premebant:* in illa enim praestantia ad vicina hiberna refertur.

Cic. ad Fam. 3, 8, 18. *misericordia adductus, ut levarem miseriis perditas civitates et perditas maxime per magistratus suos.* coniunge: maxime per magistratus suos.

Liv. 22, 4, 2. *et iam pervenerant ad loca insidiis nata, ubi maxime montes cortonenses Trasimenus subit.* Haec loca separatim et insigniter dicuntur.

Cic. de Nat. d. 2, 66, 166. *quae ratio poetas, maximeque Homerum impulit.* Orat. 31, 109. *an ego Homero, Ennio, reliquis poetis, et maxime tragicis concederem.* de Nat. d. 2, 9, 26. *ex puteis iugibus aquam calidam trahi, et id maxime hibernis fieri temporibus.* Liv. 10, 1, 5. *ex eo loco obscuro multa vulnera accepta maximeque lapidum ictu.* Curtius 6, 9, 6. *fremitus — qualis solet esse multitudinis, et maxime militaris.*

Cic. ad Att. 7, 12. *sed quaeso ut scribas — si quid suspicabere, maximeque, quid nobis faciendum aut non faciendum putes.*

Sallust. Iug. 31, 1. *multa me dehortantur a vobis — vostra patientia, ius nullum, ac maxume, quod innocentiae plus periculi quam honoris est.*

Nonnullis in locis ambigitur, utrum adiectivum an adverbium praestet. Iustin. 24, 8, 14. *fames et lassitudo, et super haec maxime pervigilii malum miseras infelicis belli reliquias obterebant.* Alii codd. *maximum.* Vtrumque bonum, illud autem

ob verba *super haec* concinnius videtur. 42, 5, 5. *Scytharum maxime auxilio in regnum restituitur.* Plurimi libri *maximo.* Opponuntur Scythis finitimae civitates, quae antea nominantur: nec quidquam efficiunt rationes a Dübnero expositae.

16. Apponi potest alia res, quae non aeque eminet, nihilo minus tamen considerari debet. Hinc formulae *maxime — sed etiam* vel *sed et*, quae comparari possunt cum graeco γε — τε.

Columell. 12, 53 (55), 3. *haec salsura luna decrescente maxime per brumam, sed etiam mense februario ante idus commode fiet.* Cic. Orat. 34, 120. *cognoscat etiam rerum gestarum et memoriae veteris ordinem, maxime scilicet nostrae civitatis, sed et imperiosorum populorum et regum illustrium.* Plin. Hist. n. 17, 24, 37, 7. *adurunt et flatus quidam eas maxime, sed et alios fructus.* 37, 3, 11, 2. *maxime decoris gratia, sed et medicinae.*

17. Quae in his subiunguntur, videntur etiam opponi posse, sicuti dicitur *sed praecipue.* Admodum rarus est hic loquendi modus, nec elegans.

Sallust. Cat. 54, 5. *at Catoni studium modestiae, decoris, sed maxume severitatis erat.* Plin. Hist. n. 3, 5, 7. *Alpes, populique inalpini multis nominibus, sed maxime capillati.*

18. Eodem, quem exposui, modo enuntiationes interponuntur relativae et caussales et conditionales, et *maxime quod*, *maxime quia*, *maxime si* dicitur pro *praesertim.* Aliam prorsus rationem habent verba transposita: nam *si maxime* loquitur is, qui aliquam rem maxime h. e. quacumque conditione sive certissime fieri concedit: de quo vide in SI. Rara est dictio apud Plinium *maxime nisi* pro *si non.* Additur interdum explicationis caussa *scilicet.*

Cic. p. Dom. 18, 47. *intuemini paullisper animis iuventutem, et eos maxime, qui imminere iam cupiditate videntur in tribunitiam potestatem.*

Cic. ad Att. 9, 19. *ego tuis consiliis usus sum maximeque, quod gravitatem in congressu nostro tenui, quam debui.* 10, 4. de Fin. 5, 1, 1. ad Att. 12, 19. *de Cocceio et Libone quae scribis, approbo: maxime, quod de iudicatu meo.*

Varro de Re r. 1, 51, 1. *aream esse oportet — solidam terra pavita, maxime si est argilla.* Cic. ad Att. 7, 12. *scribe aliquid et maxime si Pompeius Italia cedit.* Celsus 8, 10, 7. *gravius ali-*

quanto est, quum ossis fracturae carnis quoque subnas accessit, maximeque si id musculi femoris aut humeri senserint.

Plin. Hist. n. 25, 5, 21. *nec album* (melampodion) *facile colligitur, caput aggravans, maxime nisi praesumatur allium.*

Cic. ad Att. 13, 1. *nec vero ullum genus possessionis est quod malim, maxime scilicet ob eam caussam, quae suscepta est.* Orat. 34, 120. vd. n. 16.

19. Si duae res in uno tempore conveniunt et alteri rei id proprium esse videtur, ut singulari modo cum altera consociata sit et in unum idemque temporis punctum incidat, haec singularis et exacta rerum convenientia latine indicatur vocabulo *maxime*, ubi Germani alia ex ratione *gerade*, *eben* dicunt. Sic *tum maxime*, quod est *gerade damals*, *nunc maxime*, *nuper maxime*. Neque aliter latini scriptores prosaici usurpant verba *quum maxime*, quam quo modo dicunt *maxime convenire*, *maxime fieri:* adverbium enim accommodatur qualicumque notioni. Ne quis tamen existimet, extremum temporis momentum, in quo duae res attingant inter se, significari, ut sit *sobald als*, exempla docent, non tantum de repentinis et fortuitis rebus, sed etiam de continuis et necessariis usurpari. Nomen rei aut praecedit aut sequitur.

Curt. 8, 4, 25. *quamquam ipse tum maxime admoto igne refovebat artus.* 6, 6, 10. *tum maxime vinci ipsos. Nunc maxime.* vide n. 13. Caes. Bell. civ. 3, 9. *cum iis, quos nuper maxime liberaverat, in proxima Octavii castra irruperunt.* Quod displiceat in verbis *nuper maxime*, non perspicio. In ea sententia, quam Herzogius concepit, necessario scribendum est *cum iis maxime, quos* etc.

Cic. in Verr. 5, 54, 142. *haec quum maxime loqueretur, sex lictores eum circumsistunt valentissimi.* 2, 76, 187. *quum haec maxime cognosceremus et iam in manibus tabulas haberemus, repente adspicimus lituras eiusmodi.*

Cic. de Off. 1, 13, 41. *totius autem iniustitiae nulla capitalior, quam eorum, qui quum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur.* Liv. 4, 3, 1. *quum maxime haec in senatu agerentur, Canuleius pro legibus suis — ita disseruit.* 30, 33, 12.

20. Ex hac loquendi consuetudine originem traxit adverbialis loquutio, quae, ut multa alia, omisso verbo conformatur et pro adverbio ita accipitur, ut *quum*

maxime in unum vocabulum coniungerentur, unique accentui submitterentur. Nam quo pacto Spaldingius ad Quintil. 6, 1, 23. ellipticam naturam huius dictionis negaverit, id exputare non possum. Sensus vero, qui inest, redit et ad distinctam rei actae definitionem et ad affirmationem: nam exprimitur fieri aut factam rem esse eo modo, quo maxime fiat aut facta sit. Relativa haec forma fere nihil aliud constituit, quam ipsam notionem vocabuli *maxime*, et *quum maxime* saepe non differt ab *maxime*, nisi maiore quadam vi, quam etiam verba *quam maxime* habent. Veluti *quum maxime volo*. Temporis ratio accedit, et plurimum valet. Quare ubi ea ad praesens refertur, additur *nunc: nunc quum maxime*. Sed quoniam id, quod in praesentia apparet, satis est distinctius monstrari, omitti potest *nunc*, sicuti Germani *eben* dicunt pro *eben jezt*. Atque hoc modo fit, ut *quum maxime* i. e. *hoc maxime tempore* significare videatur *nunc*, quod non ipsum significat. Fuit tamen haec opinio multorum grammaticorum, Graevii, quem vide ad Cic. de Off. 2, 7. et ad Epist. 1, 9. et ad Sueton. Dom. 10. Zinserlingii, qui de hac particula totum caput 22. Iuvenil. Promuls. conscripsit. Dixerunt de hac re etiam Rhenan. et Acidal. ad Tacit. Hist. 1, 29. 3, 4. Duker. ad Flor. 2, 16. Oudendorp. ad Frontin. 2, 9, 6. 4, 5, 2. ad Caes. Bell. gall. 7, 47. Spalding. ad Quintil. 6, 1, 23. Ernestius autem quum vidisset *quum maxime* non posse significare, quod illi volunt, *nunc*, in Clavi Ciceron. p. 434. bene demonstravit, illa verba in multis locis commode quidem posse per *nunc* explicari, non autem idem significare. Nec tamen in singulis locis explicandis firmo pede incedit, sed omissum putat *ut*, quasi sit, ut quum maxime vel quo tempore maxime, et alienas notiones admiscet. Eum sequitur uterque Schwarzius, alter ad Mamertin. Paneg. 2. alter Conradus in Appendice Tursellino adiecto, qui originem formulae fortuito, ut ait, coniunctae quaerit in graecis verbis ὅτε μάλιστα, quae cum ὅτι μάλιστα confudisse videtur. Quomodo autem coniunctio ad verbum omissum referatur, nemo satis declaravit. Intelligitur enim verbum ex ipsa, quae proponitur, sententia. Veluti apud Cic. de Off. 2, 7, 23. *quem* (tyrannum) *armis oppressa pertulit civitas paretque quum maxime mortuo*. non est, ut interpretantur, *nunc*, neque, quod Ernestius exposuit, quae paret mortuo ita, ut quo tem-

pore maxime servire putabatur, nempe ut vivo: sed propriam vim verborum sic concipere licet: paret, quum maxime mortuo paret. Ita verba *und gehorcht eben dem Todten*, ubi opponuntur praeterito tempori, fiunt *und gehorcht eben noch dem Todten.* Eiusdem generis ellipsin habemus in *quam maxime.* Comparari possunt graeca ὡς μάλιστα, ὅτι μάλιστα. Duae autem in usum venerunt formae: *quum maxime* pro adverbio adiectum, et *ut quum maxime*, quibus verbis rei alicuius modus et conditio componitur cum re aliquando maxime conformata et absoluta: itaque significatur, rem, si quae alia maxime facta sit, maxime fieri. Sex igitur dictionis genera statuamus necesse erit. *Quum maxime*, quod est *quam maxime*, sicut dicimus *wenn irgend* et *wie irgend: quum maxime*, quod significat *gerade, eben:* nam *maxime* distinctius rem designat notione extremi: *nunc quum maxime*, hoc est *gerade jezt:* in quo Zinserlingius *nunc* a glossatoribus suppositum censuit temere: *quum maxime*, quod, ad tempus proprie relatum, ponitur pro *nunc quum maxime*, *jezt eben*, idque efficitur praesertim opposito tempore praeterito: *ut quum maxime*, quod est *ita ut q. m.* hoc est, ut numquam magis, sive *ita*, *ut quum maxime*, *tum: wenn* sive *wie jemals sehr: tum maxime*, de quo paullo post agemus. In his Schwarzius eam significationem, quae fuit primitiva, spuriam et commentitiam appellat atque omnem usum, qui antiquissimus fuit, deterioribus scriptoribus adscripsit. Seneca autem, quo nemo frequentius hanc dictionem usurpavit, temporis rationem triplicem adhibuit, qua pro *modo* diceret. In aliis enim locis est *eben jezt*, in aliis *eben erst*, in aliis denique *eben schon.*

Priscian. 18. p. 1194. Attici ὅτι μάλιστα. *Πλάτων Χαρμίδῃ* (17. p. 160. c.) —. *Nostri quum maxime pro ἐπὶ μάλιστα frequenter ponunt.*

Terent. Heaut. 4, 5, 40. *atque quum maxume volo te dare operam.* Ita meliores libri, non *quam.* Senec. Epist. 55, 10. *video te, mi Lucili, quum maxime audio.* i. e. quam maxime, quod in se habet sententiam *ganz genau höre ich dich.* 96, 1. *si quid credis mihi, intimos affectus meos tibi quum maxime detego.* 81, 15. *quanto hilarior est qui solvit, quam qui mutuatur, tanto debet laetior esse, qui se maximo aere alieno accepti beneficii exonerat, quam qui accipiens quum maxime obligatur.* Male interpretantur: eo tempore, quo potissimum et vere obliga-

tur. Est potius: aere alieno quam maximo obligatur. de Benef. 7, 2, 4. *hanc voluptatem — percipit hic, quem deformamus, quum maxime.* Tacit. Hist. 1, 29. *ut qui adversas res expertus quum maxime discam ne secundas quidem minus discriminis habere.* Ita scripsisse videtur etiam Sueton. Tiber. 14. de quo loco vide n. 21. Tertullian. adv. Marc. 27. Ita etiam in locis, in quibus legitur *tum quum maxime.*

Senec. de Benef. 3, 3, 3. *quia nemo nostrum novit, nisi id tempus, quod quum maxime transit.* h. e. *was eben vorübergeht.* 7, 27, 1. *si tibi vitae nostrae vera imago succurret, videberis tibi videre captae quum maxime civitatis faciem.* Haud probabili modo Petronius 54, 1. *quum maxime haec dicente Gaio.* si integra est, de qua dubito, scriptura.

Terent. Andr. 5, 1, 4. *immo enim nunc quum maxume abs te postulo atque oro, ut beneficium — re comprobes.* Si verba *nunc quum maxume* disiungis, ut fecit Ernestius, et ut fieri debet in Phorm. 1, 4, 27. (vd. n. 2.), omnis vis sententiae perit. Dixerat enim Chremes *orandi iam finem face*, cui respondet Simo. *Im Gegentheil gerade jezt bitte ich dich.* Ad. 4, 1, 2. *nunc quum maxume operis aliquid facere credo.* Cic. p. Cluent. 5, 12. *quae multos iam annos et nunc quum maxime filium interfectum cupit.* Verba *quum maxime* ad unum *nunc* pertinent, h. e. nunc magis quam umquam. de Senect. 11, 38. *caussarum illustrium, quascumque defendi, nunc quum maxime conficio orationes.* ubi Gernhard. Liv. 29, 17, 7. *quae Locrenses aut ab illis passi sumus aut a vestro praesidio nunc quum maxime patimur.* 27, 9, 4. *quippe nunc quum maxime florens viribus.* Mamertin. Paneg. Maxim. 2. ubi praeter Schwartzium Arntzenius.

Cic. in Verr. 4, 38, 82. *qui quum res maximas gesserit, monumentaque suarum rerum gestarum quum maxime constituat* etc. de Harusp. resp. 15, 32. *verumtamen antiqua negligimus: etiamne ea negligemus, quae fiunt quum maxime? quae videmus?* Ernestius interpretatur: frequentissime. Intellige vero *nunc, jezt eben.* Senec. Epist. 120, 18. *hoc quod futurum dico, quum maxime fit et pars eius magna iam facta est.* Erasmus corrigendum putabat *nunc maxime.* Tacit. Ann. 3, 59. Hist. 1, 84. 4, 65. Dialog. 16. *is est magnus et verus annus, quo eadem positio coeli siderumque, quae quum maxime est, rursum existet.* 37. ubi vulgo legebatur ante Ernestium *nunc maxime.* Quintil. 6, 1, 23. *quae passus est reus, — quae quum maxime patitur.*

Senec. Epist. 113, 21. *textorium, inquis, totum mehercules*

istud est, quod quum maxime agitur. de Benef. 1, 3, 10. *Thalia, de qua quum maxime agitur, apud Hesiodum Charis est, apud Homerum Musa.*

Senec. Epist. 23, 8. *id agendum est, ut satis vixerimus: nemo hoc putat, qui orditur quum maxime vitam.* i. e. *eben erst.* 95, 14. *fuit sine dubio, ut dicitis, vetus illa sapientia, quum maxime nascens, rudis.* Tacit. Ann. 4, 27. *coeptantem quum maxime coniurationem disiecit.* Hist. 3, 4.

Senec. Epist. 107, 5. *quaedam in nos fixa sunt, quaedam vibrant, et quum maxime veniunt, quaedam ad alios perventura nos stringunt.* h. e. in eo sunt, ut veniant, de re instante. Tacit. Hist. 4, 55. *capi quum maxime urbem.*

Terent. Hec. 1, 2, 39. *hanc Bacchidem amabat ut quum maxume tum Pamphilus.* Cic. ad Quint. fr. 2, 6. *domus celebratur ita, ut quum maxime.*

21. Critici quum semel invenissent, Latinos *quum maxime* dixisse de tempore, hanc formulam elegantiae nomine commendatam ubique restituendam censuerunt atque negarunt, latine dici *tum maxime:* non enim praeteriti temporis esse ullam rationem, sed tantum praesentis. Ita Graevius quidem et Zinserlingius praeceperunt. Adversarii exstiterè Freinshemius in Indice librorum Flori, Cortius ad Plin. Epist. 9, 13. Duker. ad Flor. 2, 16. 3. Drakenborchius ad Liv. 27, 4, 2. Ernestius in Clavi Cic. Nec tamen magna esse debebat controversia. Aliis enim in locis non cohaerent vocabula *tum maxime*, in reliquis autem recte dicuntur, ut significent, vel illo potissimum tempore, praecipue illo tempore vel illo tempore exacte definito, *gerade damals.* Eodem modo dicunt *eo maxime tempore*, ut Liv. 31, 14, 4. *eo maxime tempore Abydum oppugnabat*, quod paullo post 18, 2. *quod tum maxime Abydum oppugnaret.* Sed tantum abest, ut cum Ernestio concedamus *tum maxime* dici pro *tum ut quum maxime*, ut cum eo negemus *tunc maxime* pro *tunc* poni. Codicum auctoritatem non despiciendam esse, monuerunt Spaldingius et alii. Semper tamen manebit dubitatio et propterea, quod *quum maxime* etiam in rei praeteritae expositione adhiberi potest, et quod in codicibus litterae *c* et *t* simillimae scribi solebant. Recte vero componuntur verba *tum quum maxime.*

Terent. Phorm. 2, 1, 11. *quamobrem omnes, quum secundae*

res sunt maxume, tum maxume meditari secum oportet, quo pacto advorsam aerumnam ferant. Ineptum esset, quod Zinserlingius coniecit, *quum m. m.* Sueton. Tib. 14. *Thrasyllum quoque mathematicum — tum maxime expertus est.* hoc est: tum expertus est maxime. sed si comparaveris Tacit. Hist. 1, 29. magis idoneum tibi videbitur *quum maxime.*

Liv. 7, 23, 6. *quod intenti tum maxime operi essent.*

Liv. 1, 10, 1. *tum maxime sordida veste civitates concitabant.* 9, 18, 7. *cernente tum maxime prope fumantes Thebarum ruinas.* Val. Max. 2, 10, 2. *tum maxime finibus imperii pellebatur.* Alia multa vide apud Drakenb. ad Liv. 27, 4, 2. Quintil. 6, 1, 31. *at vestis tamen illa sanguine madens ita repraesentavit imaginem sceleris, ut non occisus esse Caesar, sed tum maxime occidi videretur.* Hic non variant codices: tamen exspectamus *quum maxime.*

Liv. 33, 9, 3. *sinistro tum quum maxime appropinquante phalangis parte.* 40, 32, 1. *castra amissa esse et tum quum maxime ardere.* 43, 7, 8. *quae tum quum maxime Hortensius faceret.* Curt. 5, 7, 2. *hoste et aemulo regni reparante tum quum maxime bellum.* alii libri omittunt *tum:* addunt vero in 3, 4, 14. Vide Cellar. ad illum locum. Oudendorp. ad Front. 2, 9, 3. Drakenb. ad Liv. 40, 13, 4.

22. In componendis duabus rebus vel temporis vel caussae ratione innexa atque per particulas *quum — tum* expressa, alteram possumus ob maiorem eius gravitatem praeferre, ut dicamus, quum una sit, tum maxime alteram esse, atque in altera parte quod concedimus, magis etiam in secunda affirmemus. Quare additur in altero sententiae membro *maxime*, quod est vel magis quam umquam, vel certissime. Eodem modo *praecipue*, *imprimis* adiicitur. Vide QVVM.

Plaut. Mil. 4, 8. *scio et perspexi saepe: verum quum antehac, tum hodie maxume.* Cic. de Off. 3, 11, 47. *plena exemplorum est nostra respublica, quum saepe, tum maxime bello punico secundo.* ad Att. 11, 6. *sollicitum esse te quum de tuis communibusque fortunis, tum maxime de me et de dolore meo sentio.*

Cic. p. Flacc. 38, 94. *quum alia multa certi homines, tum hoc vel maxime moliuntur.*

23. Recte etiam dicitur *tum — tum maxime*, ubi alterum non modo aequaliter, sed magis, nec magis tantum, sed maxime valere aut maxime considerari de-

bere dicitur. Id negabit Stürenburgius, qui copiosam disputationem exhibuit ad Cic. p. Arch. 12, 31. Tantum vero abest, ut usum verborum in rebus comparandis *tum — tum* negemus, ut ipso illo addito *maxime* confirmatum eum videamus. Nam nemo sanus umquam contendit, *tum — tum* significare *et — et:* tamen perspexit doctissimus quisque, in multis sententiis, in quibus *tum — tum* recte legitur, alias dici *et — et.* Atque optime dicitur *tum — tum maxime.* Cic. de Orat. 2, 23, 96. *hanc igitur similitudinem qui imitatione assequi volet, tum exercitationibus crebris atque magnis, tum scribendo maxime persequatur.* nec necesse est *tum* mutare in *quum.* Sed vide TVM. Nec absurde componuntur verba *ut — tum maxime.*

Cic. Brut. 93, 320. *longius autem procedens, ut in ceteris eloquentiae partibus, tum maxime in celeritate et continuatione verborum adhaerescens, sui dissimilior videbatur fieri quotidie.* Ita e codicibus restituendum esse dixi Tom. 2. p. 538., atque mecum consentit Stürenburgius p. 171.

24. In familiari sermone *maxime* adhibent ii, qui respondent ad affirmandam alterius sententiam vel dictum. Vno hoc vocabulo apud comicos utuntur homines, qui ab alteris sunt rogati aut iussi, ut aliquid faciant. Est igitur germanicum *sehr gerne.* Cum *immo* coniunctum affirmat contrariam rem. Idque etiam oratores in personarum ficta inductione admittunt.

Plaut. Asin. 5, 2, 54. AR. *Iace pater talos, ut porro nos iaciamus.* DE. *Maxume.* Curc. 2, 3, 36. Most. 4, 3, 17. *operam mihi da.* SI. *Maxume.* Terent. Andr. 4, 5, 23. Ad. 4, 3, 18.

Plaut. Pseud. 1, 5, 80. CA. *Numquid peccatum est, Simo?* SI. *Immo maxume.* Terent. Hec. 2, 1, 31. SO. *non mea opera, neque pol culpa evenit.* LA. *Immo maxume.* Sallust. Cat. 52, 28. *scilicet res ipsa aspera est, sed vos non timetis eam. Immo vero maxume.*

25. Vbi plures res diversa sua vi ac dignitate distinguenda ordinem constituunt, et ab ea oratio incipit, quae praestantissima vel maxima est, in his gradibus signandis primo loco ponitur *maxime.* Sequuntur alia nomina, quae secundum locum et ordinem significant: *deinde*, *tum*, *mox*, et quae huius generis sunt. Saepe adverbium accommodatur verbo. Plinius et scriptores rerum rusticarum saepenumero ita loquuti sunt.

Cic. Phil. 8, 10, 31. *huius industriam maxime quidem vellem, ut imitarentur ii, quos oportebat: secundo autem loco, ne alterius labori invideremt.* p. Caec. 9, 23. *maxime fuit optandum Caecinae, recuperatores, ut controversiae nihil haberet: secundo loco, ut ne cum tam improbo homine: tertio, ut cum tam stulto haberet.*

Cic. p. Rabir. Posth. 12, 33. *si per eum reductus insidiose redissem, me scilicet maxime, sed proxime illum quoque fefellissem.* Ernestio, qui verba *proxime fallere* coniunxit, necessarium videbatur *proxime me.* At *proxime* est proximo, secundo loco.

Varro de Re r. 2, 9, 1. *in quo genere sunt maxime oves, deinde caprae.* Plin. Hist. n. 9, 16, 23. *gustu olei maxime, dein modicis imbribus gaudent aluntur que.*

Columell. 5, 6, 4. *sed vitem maxime populus videtur alere, deinde ulmus, post etiam fraxinus.* Plin. Hist. n. 37, 12, 75. *figura oblonga maxime probatur: deinde quae vocatur lenticula: postea cycloides et rotunda.*

Columell. 6, 3, 6. *probaturque maxime ulmea, postea fraxinea et ab hac populnea: ultimae sunt ilignea et quernea.*

Columell. 6, 3, 3. *eae probantur maxime ex milio, tum ex hordeo, mox etiam ex tritico.*

Plin. Hist. n. 18, 7, 17. *post chium maxime laudatur creticum, mox aegyptium.* 12, 28, 62. *laudatur hammoniaca maxime, mox aegyptia, dein syriaca.* Columell. 3, 12, 5. *Saserna maxime probante solis ortum, mox deinde meridiem, tum occasum.*

Varro de Re r. 2, 11, 1. *quod autem maxime perpurget, est equinum, tum asininum, dein bubulum, tum caprinum.*

26. Illi dicendi generi, in quo, quod plurimum valet, reliquis per vocabulum *maxime* praeponitur, eae quoque dictiones annumerantur, in quibus agitur de eo, quod ut fiat aut fieri possit maxime est optabile. Quare opponitur sententia, quae declarat, quid fiat, si illud maximum non possit fieri. Significat igitur *maxime* id quod *potissimum*, si ullo pacto fieri potest, *wo möglich, am liebsten.* Vide Fabrum et Kritzium ad Sallust. Iug. 35, 4. Herzogium ad Caes. Bell. civ. 2, 39.

Sallust. Iug. 46, 4. *persuadet, uti Iugurtham maxume vivum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent.* 35, 4. *imperat, pretio — insidiatores Massivae paret, ac maxume occulte, sin id parum procedat, quovis modo Numidam interficiat.*

27. Brissonius de Verbor. signif. p. 808. „interdum, inquit, vocem hanc ita accipiendam moneo, non quasi alias et cessante eo idem iuris sit, sed tamquam alias idem non sit: ac proinde idem valet quod *utique* seu *ita demum*, veluti Dig. 41, 3, 9. *usucapionem recipiunt maxime res corporales:* quod non ita accipiendum est, quasi et incorporales usu capi possint, sed quasi corporales solae. Sic Dig. 25, 7, 3. *in concubinatu potest esse et aliena liberta et ingenua, sed maxime ea, quae obscuro loco nata est, vel quaestum corpore fecit.* id est *eam demum.*" Ita torquere vocabula solent iurisconsulti. Nam illis in locis nec Gaius nec Marcianus excessit vulgarem usum. Ille enim composuit verba *recipiunt maxime* h. e. plenam usucapionem: hic autem dixit, etiamsi ingenua mulier in concubinatu esse posset, id tamen fieri posse per testationem, quae in femina obscuro loco nata non esset necessaria. Est igitur *maxime* id quod dicimus *unbedingt:* quod alio exemplo demonstravimus p. 592.

MAXIMOPERE.

1. Quae de natura et formatione verbi *magnopere* narravi, ea omnia etiam ad *maximopere* spectant. Antiquissimum tempus ignorasse videtur vocabulum compositum: nam quae apud Plautum et Terentium leguntur exempla, plenam operis sive studii notionem in se habent, neque in uno illo Terentii loco, in quo adverbium admitti posset, consentiunt antiqui libri. Quando utrumque vocabulum in unum coniungi unoque accentu gravari coeperit, vix poterit demonstrari. Plautus eodem modo, quo *studio maximo* Stich. 1, 3, 45. dixit, etiam separatis verbis loquutus est *maxumo opere* (Cas. 5, 4, 14.), et transverso ordine *opere maxumo* Mil. 5, 1, 75. Pseud. 3, 2, 107. Most. 3, 2, 65. Stich. 1, 3, 93. neque aliter Terentius Eun. 3, 3, 27. Phorm. 5, 1, 33.

Terent. Heaut. 4, 1, 13. *miministin me esse gravidam et mihi te maximo opere interminatum, si puellam parerem, nolle tolli?* Ita codex halensis: duo, quos Faernus nominat, *maximo opere dicere.* Miror Bentleium, qui *edicere* scripsit, non respexisse ad Plaut. Pers. 2, 2, 59. de quo vide p. 578. Vtroque in loco certe scribenda videntur integra nomina. Ceterum *maximo opere dicere* sive *edicere* est *aufs nachdrücklichste äufsern.*

2. Quae verba cum *magnopere* praecipue ac proprie coniungi diximus, ea etiam concordant cum adverbio superlativo. Sunt ea, quae animi opera et affectus significant.

Cic. ad Fam. 10, 26, 3. *quamobrem si quid operis tibi etiam nunc restat, id maximopere censeo persequendum.* 3, 2, 3. *a te maximopere pro nostra summa coniunctione — etiam atque etiam quaeso et peto.*

Liv. 42, 57, 3. *maximopere indigne ferentes, non latam Pheraeis opem.* In his *indigne ferre* pro uno verbo haberi debet, ne *maximopere* ad adverbium appositum existimetur.

In ceteris libris Ciceronis et Taciti et utriusque Plinii et Quintiliani frustra quaesivi exempla.

MEHERCVLE.

Vide HERCVLE. Nunc unum hoc addo, *me*, quod praefixum est, non aliud esse, quam quod in *met* pronominibus adiicitur, et ut Lambino visum erat, etiam praeponitur. Vide ad Cic. Acad. 2, 16, 51. Est vero *med*, apposita littera finali, de qua saepe iam loquuti sumus. Neque vero inepta videtur eorum sententia, qui *me* et *te* ex eadem stirpe esse generatum existimabant, quae pronominibus originem dedit. Mirabiliter autem fallitur Hartungius, qui in libro de Casibus p. 122. dicit, *t* in *met* esse alterum pronomen encliticum *te* cum *me* compositum. Quidni statuamus, ut omnia tria pronomina adsint, *e* esse tertiae personae pronomen?

MINIME.

In linguarum usu interdum factum est, ut scriptores antiquis iam temporibus significationem vocabulorum, quae propria et primaria erat, relinquerent, et translata notione magis et prius uterentur, quam ad primitivum usum redirent. Id potest exemplo verbi *minime* demonstrari, quod quum duplicem habeat significationem, alteram qua non tollit rem, sed maxime exiguam et omnibus minorem indicat, alteram qua negat rem eamque reiicit, haec, quae erat ex illa nata ideoque recentior, ab antiquissimis, qui nobis exstant, scriptoribus iam usurpata est. Nam locum, in quo *minime* reddere debeas *im geringsten Grade, am we-*

nigsten, nullum invenies in Plauti, nec in Terentii comoediis, nec in reliquorum poetarum fragmentis. Nos vero ab origine persequamur usum, et posteriorum consuetudinem primum illustremus, deinde ad translatas significationes antiquissimis exemplis comprobandam transeamus.

Vnum habemus locum Terentii, quo id, quod dixi, refelli videatur. Ad. 5, 4, 27. *Deerit? Id mea minime refert, qui sum natu maximus.* Tamen quum in reliquis omnibus Terentius unam adhibeat significationem, nihil impedit, quin reddamus: *dies trägt für mich gar nichts aus, da ich der älteste bin.* Neque afferri potest Plaut. Capt. 3, 4, 107. *ubi is nunc est?* HE. *Vbi ego minime atque ipsus se volt maxume.* Nam falsa esset interpretatio: *wo ich am wenigsten gern bin, er am liebsten ist.* Dicit enim Hegio: ibi est Philocrates, ubi eum esse omnino non volo.

I. 1. Primum igitur *minime* est minimum, minus quam omnia alia, conditio vel res omnibus inferior et maxime parva: *im geringsten Grade, am wenigsten.* Non negat esse rem, sed infimo loco eam collocat. Atque hoc modo coniungitur cum adiectivis et adverbiis et verbis.

Cic. ad Fam. 14, 13. *et quod in miserrimis rebus minime miserum putabis, id facies.* Liv. 1, 25, 2. *itaque ergo erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur.* Cic. de Off. 1, 42, 150. *minimeque artes hae probandae, quae ministrae sunt voluptatum.*

Cic. Orat. 66, 222. *sed nihil tum debet esse numerosum quàm hoc, quod minime apparet et valet plurimum.* p. Rosc. Am. 38, 112. *quod* (onus officii) *minime videtur grave iis, qui minime ipsi leves sunt.* Coniunge adverbium cum verbo.

2. Augetur vis sententiae aut comparatione, quae cum eo, quod umquam fieri possit, instituitur, per particulam *quam*, hoc est, *quam fieri potest*, aut addito genitivo *omnium*.

Cic. de Off. 1, 31, 114, *si non decore, at quam minime indecore facere possimus.* Cornel. Timol. 3, 3.

Cic. p. Rosc. Am. 34, 96. *ad te minime omnium pertinebat.*

3. Contraria notio *maxime* cum *minime* collata oratoribus saepe praebet materiam antithesis formandae. Haec vero subtiliorem distinctionem exhibet, quando

id, quod maxime fieri dicebatur, in id transmutamus, cui in negatione minimam partem tribuamus.

Cic. ad Fam. 3, 10, 12. *quae de hominum — erga te studiis scribis ad me, minime mihi miranda et maxime iucunda acciderunt.* de Nat. d. 1, 3, 6. *quum minime videbamur, tum maxime philosophabamur.*

Cic. Brut. 57, 207. *mihi placebat Pompeius maxime, vel dicam, minime displicebat.* de Off. 1, 31, 114. vd. n. 2.

4. Quemadmodum vocabulo *maxime* ea res designari solet, quae inter reliquas praecipue est nominanda, ita praemissa negatione recentiores scriptores per *minime* eam rem notabant, in qua aliquid imprimis erat negandum: ubi Germani dicunt *am wenigsten.*

Senec. de Benef. 1, 2, 1. *nullius rei, minime beneficiorum, honesta largitio est.*

5. *Non minime* negatione contrarii plus significat quam dicitur. Quae est λιτότης rhetorum. Intelligimus enim *et praecipue.* Sed non multa inveniuntur huius generis exempla.

Cic. de Orat. 2, 79, 322. *est id quidem in totam orationem confundendum, nec minime in extremam: sed tamen multa principia ex eo genere gignuntur.* Olim legebatur in Verrin. 4, 56, 126. *vidi enim vos in hoc non minime, quum testes dicerent, commoveri.*

6. Cadentis latinitatis consuetudo *minime* adhibuit ad numerum minimum, ut qui certe ad rem necessarius videretur, definiendum. Quod veteres *minimum* dixerunt. Est enim *wenigstens.* Beroaldus hanc dictionem uni Columellae propriam putabat: sed aliis communis fuit. Apud Celsum 2, 8. p. 75, 23. ubi nunc *minimum* legitur, Targa in mediceis codicibus *minime* invenit, fortasse ex librariorum consuetudine. Cf. Barthii Advers. 39, 16. Rhodii Lex. Scribon. p. 410. Spaldingius etiam apud Quintilianum hanc formam ferri posse ad 5, 10, 6. iudicio parum circumspecto arbitratur.

Columell. 5, 10, 17. *ita ut minime dies viginti quinque ad brumam supersint.* 5, 10, 13. *ternas nuces in trigonum statuito, ut nux a nuce minime palmo absit.* 5, 9, 12. *sed id minime bis anno arari debet.* 1, 6, 6. de Arbor. 24. Scribon. Compos. med. 2, 15. *ambulat millia passuum minime duum.* 3, 20.

II. 1. In familiaribus sermonibus alter est natus dicendi modus, quo *minime* negationi inservit. Etenim negaturi aliquid asseverationem eo mitigare solent, ut rem, quae negari debet, non omnino tollant, sed ad minimum reducant. Vnde duplex sive ambigua prodit forma. Nam aut contrarii notione intendunt negationem sic, ut *minime* plus efficiat quam *non*, aut cohibent negationem vel modestiae vel incerti iudicii caussa. Hoc modo Germani verbis *gar nicht* et severe negant, et minus gravem negationem exprimunt, quae est *eben nicht*. Illa autem significatione, qua *minime* est *nequaquam*, *im geringsten nicht*, hoc adverbium coniungitur adiectivis, adverbiis, verbis. *Non honestum* et *inhonestum* dici potest maiori cum vi *minime honestum*. Qui vero hunc negandi modum concedere nolint (et erant qui negarent), videant, quomodo explicent Cic. de Div. 2, 64, 133. *valde Heraclitus obscurus, minime Democritus: num igitur conferendi?*

Plaut. Capt. 2, 2, 71. *ne patri — decere videatur magis, me saturum servire apud te sumptu et vestitu tuo, potius quam illi, ubi minime honestum est, mendicantem vivere.* Terent. Hec. 5, 1, 33. *quibus est minume aequom.* Cic. ad Fam. 13, 1, 15. *sic a me hoc contendit homo minime ambitiosus, minime in rogitando molestus, ut nihil umquam magis.* de Amic. 12, 40. *turpis enim excusatio est et minime accipienda.* Plin. Epist. 10, 20, 3. *praeterea quaedam minime legitimis sumptibus erogantur.*

Terent. Eun. Prol. 1. *si quisquam est, qui placere studeat bonis quam plurimis et minime multos laedere.* i. e. quam paucissimos.

Plaut. Mil. 3, 1, 52. *minume sputator, screator sum, itidem minume muccidus.*

Plaut. Mil. 4, 2, 11. *quia enim loquitur laute et minime sordide.* Cato de Re r. Praef. 4. *minimeque male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt.*

Plaut. Poen. 1, 2, 114. *damnum, quod Mercurius minime amat.* Most. 1, 3, 115. *minime feceris.* Rud. 4, 7, 19. Stich. 1, 1, 27. *tamen si faciat, minume irasci decet.* Sallust. Cat. 51, 13. *ita in maxuma fortuna minuma licentia est: neque studere neque odisse, sed minume irasci debet.* De horum verborum constructione magna erat virorum doctorum dissensio. Kritzius reprehendit Herzogium, qui *minume* ad *irasci* retulerat, et ipse explicuit: et studere et odisse dedecet, sed multo mi-

nus decet irasci. Vterque aliquid veri vidit, uterque aliqua ex parte fallitur. Neque enim ratione caret id, quod Herzogium in voc. *sed* offendit, et negativam sententiam iure tenet Kritzius: at non est gradatio, sed praecisa negatio, nec *minime* significat *multo minus*. Distinguere enim nos oportet rationem grammaticam et logicam. Logice enim cohaerent *minime decet*, grammatice *minime irasci:* ut Plauti exemplum monstrat: atque ex hac grammatica ratione recte opponuntur verba extrema. Est igitur sententia: decet non studere, non odisse, sed omnino non irasci. Cic. de Nat. d. 2, 10, 26. *ipse vero aer, qui natura est maxime frigidus, minime est expers caloris. Ille vero, et multo quidem calore admixtus est.*

Notandus est modus, quo Livius unam rem eximendam vel negandam designat. 22, 57, 6. *sub terra vivi demissi sunt in locum saxo conseptum, iam ante hostiis humanis, minime romano sacro imbutum.* 22, 58, 8. *unus ex iis, minime romani ingenii homo, — comites assequitur.*

2. Haec gravior negationis vis minuitur voculatione e particula in nomen, cui illa adhaeret, translata: quem in modum Germani et *es ist gar nicht nöthig* et *es ist gar nicht nöthig* sono distinguunt. Et sunt quaedam verba, quae proprie assumunt adverbium hoc quidem sensu: veluti *minime opus est*, *minime miror*, *minime saepe*, *minime multi*. i. e. non admodum multi.

Plin. Epist. 2, 6, 1. *nec refert, quemadmodum acciderit, ut homo minime familiaris coenarem apud quemdam, ut sibi videbatur, lautum et diligentem.* Caes. B. gall. 2, 33. *qua minime arduus ad nostras munitiones adscensus videbatur.* i. e. *gar nicht steil.* Liv. 1, 25, 2. *itaque ergo erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur.*

Terent. Hec. 3, 3, 49. *hunc minimest opus in hac re adesse.* Ad. 4, 4, 17.

Plaut. Rud. 2, 6, 21. *pol minume mirer, navis si fractast tibi.* Capt. 3, 4, 13. Terent. Heaut. 3, 2, 14. Hec. 2, 1, 23. *minimeque adeo mirum.* i. e. *und es ist auch gar nicht wunderbar.* Plaut. Men. 2, 2, 63.

Cic. Verr. 5, 34, 88. *minime multi remiges et milites deerant.* Atque ita etiam Liv. 31, 8, 8. *ex eo exercitu — ut quisque minime multa stipendia haberet, legere.* i. e. *wie einer eben nicht viele Kriegsjahre gedient habe.* Inepte redderem *die wenigsten Kriegsjahre:* quod recte fit in Cornel. Timol. 3, 3.

Caes. B. gall. 1, 1. *minimeque ad eos mercatores saepe commeant.*

3. In responsionibus *minime* negat vel pure reiiciendo id, quod est quaesitum, vel refutando et respuendo. Interdum etiam non antecedente interrogatione: saepius post imperativum. Modo reddi potest *nein*, modo *gewiſs nicht*. In colloquiis si quis quaerenti respondet, additur fere caussa illius negationis.

Plaut. Men. 5, 9, 63. *dic mihi, uno nomine ambo erratis?* M. *Minime: nam* etc. Curc. 1, 3, 50. Mil. 4, 6, 27. Terent. Hec. 5, 3, 16. *sed cessas?* P. *Minume equidem: nam hodie mihi potestas haud datast.* Heaut. 4, 4, 20. *etiamne tecum hic res mihi est?* SY. *Minime: tuum tibi reddo.* Cic. ad Att. 8, 9. *num igitur peccamus? Minime vos quidem.* Sallust. Cat. 51, 43. Plin. Epist. 2, 6, 4.

Plaut. Most. 5, 1, 48. *surge.* TH. *Minume.* Bacch. 1, 1, 54. *manum da et sequere.* PI. *Aha minume.* Poen. 5, 5, 56. *rapiamus in ius.* NA. *Minume.* Terent. Heaut. 1, 1, 36. *at istos rastros interea tamen appone, ne labora.* M. *Minime.*

Plaut. Men. 5, 7, 45. *apud te habitabo, et quando ibis, una tecum ibo domum.* ME. *Minume.* Truc. 4, 4, 20. Bacch. 5, 2, 68. *faciet.* NI. *Minume.* Most. 3, 2, 4. *nunc dormitum iubet me ire. Minume.* Secum loquitur. cf. Stich. 1, 2, 16. Haud probabilis est interpretatio, quam critici adhibuerunt in emendando loco Cic. de Fin. 5, 31, 93. Scripserunt enim: *quis hoc dicit? Stoici scilicet. Minime.* et explicuerunt haec verbis: minime hi soli id dicunt. At vocabulo *minime* negatur omnino Stoicos ita dixisse, non tantum solos. Excidisse videtur hoc nomen ob similitudinem litterarum, et scribendum: *Stoicis solis licet. Minime: sed isti ipsi* etc.

4. Augetur in his responsionibus vis orationis adiuncta particula *vero*, et magis etiam nomine *gentium:* de quo Paullus Diaconus: *minime gentium dicebant pro eo, quod est omnium gentium iudicio minime esse faciendum.*

Cic. Tusc. 1, 6, 10. *An tu haec non credis? Minume vero.* 2, 27, 67.

Plaut. Trin. 3, 3, 24. *minume, minume hercle vero.*

Plaut. Merc. 2, 3, 83. *quid si igitur reddatur illi, unde empta est?* DE. *Minume gentium.* Poen. 3, 3, 76. *ita illi dixerunt, — te quaeritare a muscis.* CO. *Minume gentium.* Terent. Eun. 4, 1, 11. Phorm. 4, 8 (9), 44. Ad. 3, 2, 41.

5. *Minime velle* dicitur omnino non velle, prorsus nolle.

Terent. Eun. 2, 3, 42. *quum minime vellem.* Plaut. Capt. 3, 4, 107. vd. p. 609. Cic. Acad. 2, 45, 138. *quod minime vultis.*

MINIMOPERE.

An compositum vocabulum *minimopere* umquam in usum venerit, valde dubium est. Aliquando veteres Latinos *minimo opere*, ut *maximo opere*, pro adverbio usurpasse uno Licinii Macri exemplo constat. Nam Priscianus ex eius Annalibus affert p. 704. *non minimo opere milites quietes volebant esse.* *Minime velle* dici, modo notavimus.

MINIMVM.

Ex usu vocabuli MINIMVM eae tantum significationes nobis sunt considerandae, in quibus hoc neutrum adiectivi pro adverbio usurpatur. Eae autem sunt duae.

1. Ponitur *minimum* pro *minime* cum verbis: sed vix reperies locum, in quo non agnoscas auctam notionem verbi *parum*, ut sit admodum parum, *sehr wenig.* Hunc usum antiquissimi poetae et oratores ignorant, nec Cicero umquam ita est loquutus, nisi ut accusativus adiectivi intelligeretur, veluti *minimum valere*, *ne minimum quidem* pro ne in minima quidem parte. Cum adiectivis coniunxerunt poetae suo quidem iure.

Cic. ad Fam. 1, 9, 23. *non modo praemiis, quae apud me minimum valent, sed ne periculis quidem compulsus.* ad Att. 14, 13. *nosque quum multum litterae, tum non minimum idus quoque martiae consolentur.* Acad. 2, 18, 56. *an non videmus hoc usu venire, ut quos numquam putassemus a nobis internosci posse, eos consuetudine adhibita tam facile internosceremus, uti ne minimum quidem similes viderentur.* Horat. Epist. 2, 1, 72. *exactis minimum distantia.*

In Cic. Epist. ad Fam. 3, 3, 5. codices, etiam mediceus, praebent *quam minime imminueris:* nec aliter de Off. 1, 31, 114.

Liv. 32, 17, 4. *ea, qua minimum credidisset, resistebant hostes.* Plin. Epist. 3, 5, 11. *deinde gustabat dormiebatque minimum.* Quintil. 10, 1, 44. *quae minimum ab usu quotidiano recedant.*

Horat. Carm. 1, 11, 8. *carpe diem, quam minimum credula postero.*

2. Poetae adeo pro negatione simplici *non* etiam *minimum* dixerunt.

Horat. Carm. 2, 6, 18. *amicus Aulon, fertilis Baccho, minimum falernis invidet uvis.*

3. Cum nominibus, quae numerum indicant, Latini hoc adverbium coniungunt, ut Germani *wenigstens* ad significandum eum numerum, qui inter alios tamquam necessarius aut certus teneatur. Etiam in constituenda rerum magnitudine sic notatur ea, qua nulla minor locum habet. Barbari dicunt *ad minimum:* elegantiam autem, quam isti formae Burmannus ad Quintil. 5, 10. p. 396. tribuit, non agnovit latinitas antiqua.

Varro de Re r. 2, 1, 12. *ita fiunt omnes partes minimum octoginta et una, et quidem necessariae.* 3, 3, 3. *harum singula genera minimum in binas species dividi possunt.* Quintil. 5, 10, 5. *certa quaedam sententiae comprehensio, quae ex tribus minimum partibus constat.* Cicero de eadem ratiocinatione in libr. de Inv. 1, 34, 57. *partim non plus quam in tres partes posse distribui putaverunt.* Sed 5, 14, 6. *mihi — tres summum* (partes) *videntur.* ubi reiicit quatuor et quinque partes ratiocinationis. Quae facile possunt inter se conciliari: in altero enim loco tres partes censet necessarias, in altero plures non necessarias. Pomp. Mel. 3, 6, 2. *adeo agri fertiles, ut — septem minimum, interdum plures etiam messes ferant.* Quintiliani verba 9, 4, 124. non satis emendata esse, intelligimus ex iis, quae antea de periòdis unius membri ab auctore dicta sunt.

Quum minimum in modum verborum *quum maxime* dixit Plin. Hist. n. 18, 16, 43. *id sexies evenit per annos, quum minimum quater.*

Celsus 2, 8. p. 75. *is morbus erit longissimus minimumque annuus.* Antiquae editiones *minimeque*, quod revocavit Krausius. Sed vide p. 610.

4. *Non minimum* vulgari, ut videtur, sermone, qui negatione contrarii plus significare solet quam cuuntiatur, pro *admodum*, *valde* dictum est: sed exempla frustra quaeres in elegantiorum scriptorum libris.

Varro de Re r. 1, 2, 18. *eae* (caprae) *enim omnia novella sata carpendo corrumpunt, non minimum vites atque oleas.* Haec in colloquio ferri poterant. Cornel. Dion. 1, 2. *habuit*

magnam corporis dignitatem, quae non minimum commendat. Ad hoc eos animum attendere oportet, qui de auctore huius libri dubitant.

MINVS.

Minvs ob comparativam naturam suam semper requirit aliquid, quod ut magnum aut maius comparetur. Quare aut altera pars comparationis apponitur, vel particulis *quam*, et in poetarum carminibus *atque* insertis, vel ablativo accommodato, aut intelligitur ex reliquis sententiae verbis. In constituenda autem significatione duae maxime res sunt animadvertendae. Primum enim *minus* sibi contrarium non modo *magis*, sed etiam *plus* habet, multitudinem aeque ac magnitudinem comprehendens. Deinde quum et neutrum adiectivi et adverbium sit, et multis enuntiationibus utraque constructio bene conveniat, non semper ratio suppetit, utram formam in excipiendo et reddendo sensu teneamus, aut quomodo exemplorum genera accurate distinguamus.

I. 1. Praeter ea, in quibus verba activa et passiva referuntur ad rem minorem, adiectivum *minus* etiam pro substantivo positum in iis videmus, quae de numero dicuntur, et ipsum minorem numerum significant. In iis genitivus saepe adhaeret, et interdum quidem ita, ut ipsam comparationem exprimere videatur, sed numerum definiat. Et sequitur *quam* vel *atque*, aut omisso eo additur nomen, aut comparatio exprimitur ablativo, nisi *minus* absolute ponitur, non exposita comparatione.

Terent. Eun. 4, 6, 22. *minus amicorum hic habens.* Liv. 5, 8, 3. *minus militum periit.* Cic. de Inv. 2, 19, 58. *eiusmodi sunt, ut per se minus habeant firmitudinis.* Liv. 22, 5, 2. *quo timoris minus sit, eo minus ferme periculi esse.*

In aliquibus Livii locis ita additur numeri genitivus. 30, 17, 14. *legatis in singulos dona ne minus quinum millium.* 35, 51, 1. *minus quatuor millium inde in proxima Euboeae est mari traiectus.* Haec in eum modum dicuntur, quo Germani *eine Mehrzahl von tausend* loquuntur. Vide de librorum varietate saepe obvia Oudendorp. ad Hirtii B. alex. 69. ad Caes. B. civ. 3, 28.

Liv. 4, 51, 8. *minus praedae, quum speraverat, fuit.*

Virgil. Aen. 3, 561. *haud minus ac iussi faciunt.* Horat. Sat. 2, 7, 96. *qui peccas minus atque ego.*

Plaut. Trin. 2, 4, 1. *minus quindecim dies sunt.* Varro de Re r. 3, 2, 17. *agrum enim minus dena millia reddere.* Cic. Verr. 1, 47, 123. *se curaturos, ut ex sua cuiusque parte ne minus dimidium ad A. Trebonium fratrem — perveniret.* Liv. 39, 18, 9. *quum in senatu centum non minus essent.* 42, 28, 9. Cic. de Div. 1, 32, 68. *madefactum iri minus triginta diebus Gracciam sanguine.* in Verr. 2, 57, 140. Liv. 3, 64, 10. *si qui vos minus hodie decem tribunos plebis feceritis.* Plin. Hist. n. 15, 25, 30. *minus quinquennium est, quod prodiere.*

Plaut. Pers. 4, 6, 2. *duobus nummis minus est.* Cic. Verr. 3, 48, 114. *si ostendo minus tribus medimnis in iugerum neminem dedisse decumae, concedes* etc. Caes. B. civ. 3, 28. *altera* (navis) *ex veterana paullo minus ducentis* (sustulerat). ibique Herzog. Ovid. Art. am. 2, 620. *aliquid luce patente minus* (quaerimus).

2. Haec substantivi vis et natura etiam efficit, ut *minus* cum verbo *esse* coniungatur.

Cic. in Verr. Act. 1, 13, 37. *ut ipse consul in hac caussa prae me minus etiam, si fieri possit, quam privatus videatur.* ad Fam. 15, 10, 2. *si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos.* Alia vide n. 1.

8. Alio modo hoc *minus* cum ablativo compositum videmus in iis, quae indicant, quanto quid minus sit quam aliud: ubi Germani loquuntur *um eine Zahl oder Gröfse weniger.* Vide Gronovii Observat. 2, 1. Zumptium ad Cic. Verrin. 1, 57, 149. *Dimidio minus* est *um die Hälfte weniger.*

Plaut. Asin. 2, 4, 35. *dimidio minus opinor.* Varro de Re r. 1, 22, 3. (facere) *furcas ferreas octo, sarcula totidem, dimidio minus palas.* Liv. 41, 13, 8. *sociis datum dimidio minus quam civibus.* Cic. Verr. 1, 45, 117. *si protulerit, uno signo ut sit minus, quam ex lege oportet, non des possessionem.* Ovid. ex Pont. 1, 7, 25. *uno nempe salutaris, quam prius, ore minus.* Columell. 5, 2, 9. Plin. Hist. n. 11, 40, 96.

Additur ablativo aliud nomen per appositionem. Cic. Verr. 1, 57, 149. *ut uno minus teste haberet Rabonio.* Ovid. Met. 12, 554. *bis sex herculeis ceciderunt, me minus uno, viribus.*

4. Hoc vero, quod modo dixi, a rerum numero vel mensura transfertur ad alias res, et id, quod excepta

alia re aut praeter aliam rem esse intelligunt, poetae et recentiores scriptores dicunt minus ea re. Vd. Gronov. l. l. Burmann. ad Ovid. Art. am. 1, 644.

Manil. 1, 776. *Tarquinio minus reges.* h. e. reges excepto Tarquinio. Ovid. ex Pont. 4, 15, 42. *meque tuum libra norit et aere minus.* i. e. tuus tantum non mancipio. Columell. 10. praef. 1. *nam superioribus novem libris hac minus parte debitum, quod nunc persolvo, reddideram.* Stat. Theb. 1, 535. *Pallados armisonae pharetrataeque ora Dianae aequa ferunt, terrore minus.*

Alio prorsus sensu Plautus Stich. 3, 2, 42. *uno Gelasimo minus est, quam dudum fuit.* h. e. hominum viventium numerus uno minor est.

5. Comica formula est *minus nihilo*, quae differt a *nihilo minus*, quod ad genus n. II. 4. declaratum pertinet. Dicimus *weniger als Nichts.*

Plaut. Pseud. 4, 1, 26. *nam si exoptem, quantum dignus, tantum dent, minus nihilo est.*

6. *Ne minus* reiiciendo id, quod minus sit, significat *ad minimum*, *wenigstens.* Et liberiori structura haec verba ita componuntur, ut adeo de singulis rebus haud absurde dicantur.

Varro de Re r. 2, 2, 20. *illud fere omnes in Epeiro facimus, ne minus habeamus in centenas oves hirtas singulos homines, in capras binos.* i. e. *auf hundert Schafe wenigstens ein Mensch.* Columell. 12, 38, 6. *custodiendum erit, ut ante quam buccae legantur, si fieri potest, septem diebus, sin autem, ne minus triduum serenum fuerit.*

II. 1. Sed etiam adverbialis est usus, in quo *minus* aut adiectivis et adverbiis aut verbis additur. Sequitur particula *quam* aut ablativus, aut comparatio ex universa sententia constituitur. Poetae vero accommodant indefinitum hoc *minus* etiam ad sententias, quae ut intelligamus, distinctiorem notionem nos substituere oportet; veluti *minus* dicitur pro *minus saepe.*

Contrarium est *plus.* Plaut. Asin. 4, 1, 28. *nec illa minus aut plus quam tu sapiat.*

Terent. Eun. 4, 6, 22. *minus potens quam tu, minus notus.* Plaut. Epid. 1, 1, 10. *minus iam furtificus sum quam antehac.* Liv. 3, 24, 11. *minus tamen quam alias infesta civitas fuit.*

Varro de Re r. 1, 7, 2. *minus multum et minus bonum faciebant vinum.* Cornel. Attic. 13, 1. *nemo illo minus fuit emax, minus aedificator.* Ovid. Am. 3, 11, 41. *aut formosa fores minus, aut minus improba, vellem.*

Plaut. Aul. 3, 2, 10. *quia minus, quam aequom erat, feci.*

Plaut. Stich. 5, 6, 2. *nunc minus gravate iam accipit.* Truc. 2, 3, 1. *pisces ego credo — minus diu lavere, quam haec lavat Phronesium.* Cic. p. Planc. 30, 72. *respondebo tibi nunc, Laterensis, minus fortasse vehementer, quam abs te sum provocatus, sed profecto nec considerate minus, nec minus amice.* Plin. 14, 22, 28. *solem orientem non vident ac minus diu vivunt.*

Terent. Heaut. 1, 2, 18. *miserum? quem minus credere est?* i. e. quam hunc. Caes. Bell. civ. 1, 85. *nulli omnium has partes vel querimoniae, vel miserationis minus convenisse.*

Caes. Bell. gall. 1, 47. *si id minus vellet, ex suis legatis aliquem ad se mitteret.* Ovid. ex Pont. 3, 1, 53. *si minus errasset, notus minus esset Vlixes.*

Cic. ad Fam. 12, 2, 10. *nam L. Cotta — fatali quadem desperatione, ut ait, minus in senatum venit.*

2. Additur hoc adverbium numeralibus, ut notentur numero inferiora. Id imprimis fit in nominibus temporis, intra quod aliquid fiat aut factum sit.

Cornel. Them. 5, 2. *itaque qua sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in Asiam reversus est.*

Ovid. ex Pont. 4, 5, 7. *luce minus decima dominam venietis in urbem, ut festinatum non faciatis iter.* i. e. ante decimam diem.

3. Sequitur etiam sententia conditionalis, ut fit in *magis* et in aliis comparativis.

Plaut. Men. 5, 7, 44. *ne minus imperes mihi, quam quum tuus servos fui.* Cato de Re r. 69. *minus quam si picare velis tepeat, satis est.*

Cic. de Div. 2, 72, 150. *qui* (metus) *quidem ipsi per se minus valerent et magis contemnerentur, nisi somniorum patrocinium philosophi suscepissent.*

4. Ex eadem illa ratione praemittuntur ablativi adiectivorum, quae magnitudinem constituunt, *multo, nimio, paullo, quantulo*, uti in aliis comparativis fit. De *nihilo minus* dicam in NIHIL et infra n. 13. de *quo minus* vide in QVO: de *eo minus* T. 2. p. 414. Nic. Heinsius in notis ad Ovid. Fast. 4, 765. et Burmann. ad Art.

am. 1, 644. opinati sunt *minus multo* dici etiam pro *paucioribus:* sed falsi sunt corruptis verbis.

Claudius apud Gellium 9, 1. *quare milites Metelli sauciabantur multo minus.* Plaut. Bacch. 4, 4, 21. *qui, malum, parum? immo vero nimio minus multo parum.* i. e. nimio multo minus. Rud. 2, 5, 3. *nimio minus altus puteus visus est.* Truc. 3, 2, 5. Apuleius Met. 1. p. 103. 36. dixit *minimo minus interii.*

Cic. ad Att. 11, 20. *in quibus omnia genere ipso praeclarissima fuerunt, moderatione paullo minus temperata.* Sueton. Tiber. 26. *civilem admodum inter initia ac paullo minus quam privatum egit.* h. e. pene privatum. c. 39. *quod paullo minus utrumque evenit.* i. e. non multum aberat, quin utrumque eveniret.

Plaut. Most. 2, 1, 47. *namque intus potate haud tantillo hac quidem caussa minus.* Quintil. Declam. 12, 18. *quantulo minus quam congesti frumenti pulverem vidimus?* h. e. quantulum abfuit, ne videremus. Vide Burmannum.

Ovid. Fast. 4, 765. *neve minus multo redigam, quam mane fuerunt.* Alii libri quum exhibuissent *multos*, critici scripserunt *multas*, admodum audacter: vix poterit nomen *oves* intelligi. Val. Max. 4, 4, 8. *unus in agro veiente fundus, minus multo cultores desiderans, quam dominos habebat.* In Ovidii loco Lenzius non inepte coniecit *mulctro redigam:* apud Valerium *multos* esse scribendum vidit Lipsius.

5. An cum comparativo componi *minus* posset, id quaesiverunt seduli grammatici, sed manifestum exemplum non invenerunt. Mirifico autem errore decepti sunt, qui uno exemplo Pomponii Melae demonstrasse sibi videbantur, etiam superlativis addi *minus.*

Celsus 6, 6, 29. *quantoque minor generi huic impetus, tanto finis minus expeditior est.* Antiquiores editiones *expeditus.*

Pompon. Mel. 3, 7, 2. *alit formicas non minus maximas canibus.* Explicant: alit formicas aeque maximas ac canes. Alii scripserunt *non minores maximis canibus.*

6. Pervagatum est inter grammaticos, *minus* pro *parum* usurpari, hoc est pro positivo comparativum. Tamen nusquam ratio deficit comparationis, etiamsi non verbis exprimitur. Intelligimus enim, minus quam par est, minus quam exspectatur aut requiritur. Ita fit, ut *minus* contrarium sibi habeat *satis*, et quum Latini hac dicendi forma negationem moderari consueverint, sententia parum differt a verbis *non admodum, non*

prorsus. Germani *nicht eben.* In ironia exsistit ea forma, quam rhetores λιτότητα appellant. Haec minuendo auget rem.

Plant. Mil. 3, 3, 2. *hanc fabricam fallaciasque minus si tenetis, denuo volo percipiatis plane.* Pseud. 1, 1, 122. *at hoc pervolgatúm est minus.*

Cic. p. Sext. 50, 108. *ne mea oratio, si minus de aliquo dixero, ingrata, si satis de omnibus, infinita esse videatur.* Liv. 1, 54, 8. *quidam, in quibus minus speciosa criminatio erat futura, clam interfecti.* Quintil. 9, 4, 106. *omnes ii, qui in breves excidunt, minus erunt stabiles.*

Minus multi nos reddimus *nicht so viele.* Plaut. Mil. 3, 1, 138.

Cic. de Amic. 7, 23. *id si minus intelligitur, quanta vis amicitiae concordiaeque sit, ex dissensionibus atque discordiis percipi potest.* 8, 26. *ut — quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio vicissimque redderet.*

Dolabell. ad Cic. 9, 9, 1. *Terentia minus belle habuit: sed certum scio iam convaluisse eam.* Cornel. Cim. 4, 2. *saepe, quum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit.*

Caes. B. gall. 1, 2. *his rebus fiebat, ut et minus late vagarentur et minus facile finitimis bellum inferre possent.* Cic. ad Fam. 7, 14, 3. *quodsi scribere oblitus es, minus multi iam te advocato caussa cadent.* i. e. nemo.

Minus valere de morbosis usurpatur. Vd. Plaut. Amph. 2, 1, 36. Bacch. 2, 2, 15. Truc. 2, 7, 24.

7. Iidem grammatici *minus* etiam pro *non* acceperunt, maxime in conditionali formula *si minus.* Tamen iam Schwartzius vidit, hoc adverbio minus quid significari quam negatione *non.* Coercetur enim negatio comparatione. Quare Cic. de Orat. 2, 74, 301. *saepe aliquis testis aut non laedit aut minus laedit, nisi lacessatur.* In familiari autem sermone haec modestiae inserviunt, nisi per negligentiam inter se commutantur: quemadmodum Germani verbis *dies weniger* rem negare solent.

Plaut. Merc. Prol. 24. *sed amori accedunt etiam haec, quae dixi minus, insomnia, aerumna* etc. h. e. nondum dixi, minus ac debui. Amphitr. 1, 2, 17. *nunc ne Alcumena, dudum quod dixi minus.* i. e. *was ich schon längst hätte sagen sollen.* Plena est dictio in his Capt. 2, 3, 70. *quod minus dixi quam volui de te.*

Terent. Eun. 4, 5, 10. *quia correxit miles, quod intellexi minus.* i. e. quam decuit, non satis. Plaut. Aul. 4, 10, 47. *si me novisti minus, genere qui sim gnatus.* i. e. *wenn du nicht recht weifst.* Cic. de Div. 1, 14, 24. *at nonnumquam ea, quae praedicta sunt, minus eveniunt.* ad Fam. 11, 22, 4. *quare etsi minus veram caussam habebis, tamen vel probabilem aliquam poteris inducere.* Vix dici poterat *non veram.*

Cic. Verr. 5, 27, 70. *si minus supplicio affici, at custodiri oportebat.* Vide SI.

Familiaris sermonis et modestiae exempla haec sunt: Plaut. Curc. 1, 1, 45. *minus formido ne exedat.* Cas. 5, 4, 19. *monebo, si quidem meministi minus.*

Locus est Cic. p. Arch. 10, 23. in quo optimi critici negarunt veritatem scripturae codicum, quae haec est: *quare si res eae, quas gessimus, orbis terrae regionibus definiuntur, cupere debemus, quo minus manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare.* Triplici argumento Stürenburgius absurdam esse hanc sententiam demonstrare nuper conatus est. Primum enim repugnare videbantur verba *si res eae — definiuntur.* At haec non repugnant: nam ipse his verbis Cicero non contendit res gestas inveniri in omnibus terrae regionibus, sed concedit regionibus orbis terrae certis definiri, h. e. determinari, res gestas. Deinde barbarum criticus appellat *eodem* pro *eo tamen* positum. Quid vero, si non esset pro *eo tamen* dictum? Denique non recte collocatum ille existimat *minus*, quod ante verbum *pervenerint* interponendum esset. At quaeritur, an *minus* non ad verbum, sed ad nomen referendum sit. Ciceronis sententia haec est: si in rebus gestis nostris terrae regionum ratio haberi debet, cupere debemus, in eas regiones, in quas minus manuum tela quam ingenii perferuntur, certe gloriam famamque rerum extra has regiones gestarum per graeca carmina penetrare. In his recte additur *minus* nomini, non verbo, quemadmodum Quintil. 7, 1, 14. *minus dicto audientem filium liceat abdicare*, nec idem valet quod *non:* alioquin ante *pervenerint* esset collocandum: nec me offendit illud, in quo non sine caussa Stürenburgius haesit, res gestas non una cum gloria penetrare in suas regiones. Quod vero *eodem* dicitur, recte se habet, quum posito *minus* alterum non negetur, sed minus esse affirmetur. Si quis vero, omisso illo vocabulo, statuat in illas regiones iam arma Romanorum pervenisse, quomodo is verba, quae sequuntur, conciliare poterit? Dicitur enim famam illam maximum esse invitamentum periculorum. Redde igitur verba: *wir müssen wünschen, dafs, wo-*

hin weniger unserer Hände Waffen dringen, eben dahin unser Ruhm und Namen gelange.

8. Ob structuram notandus mihi videtur ille dicendi modus, in quo rei, quam minorem aut incertam esse concedimus, aliud quid non minus, sed certius opponitur. Id fit per coniunctiones *sed*, *tamen*, *at*, praesertim praemissa sententia, quae incipit a *si minus:* de quibus vide SI et ETIAMSI. In priori membro saepe inseritur *fortasse*.

Cic. p. Planc. 30, 72. *respondebo tibi nunc, Laterensis, minus fortasse vehementer, quam abs te sum provocatus, sed profecto nec inconsiderate minus, nec minus amice.* Plaut. Rud. 1, 3, 13. *nam me si sciam fecisse aut parentes sceleste, minus me miserer: sed herile scelus me sollicitat.* Cic. de Orat. 2, 14, 58. *vehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen est, ut mihi quidem videtur, dulcior.*

Cic. ad Fam. 4, 3, 14. *quae etiamsi minus prodessent, animum tamen a sollicitudine abducerent.* Quintil. 4, 1, 71. *id minus favorabile, aliquando tamen non inutiliter assumimus.*

Cic. Phil. 1, 7, 15. *peto, ut, etiamsi sequi minus audebitis orationem atque auctoritatem meam, benigne tamen me — audiatis.* de Nat. d. 3, 1, 4. *a Balbo autem animadvertisti, credo, quam multa dicta sint, quamque, etiamsi minus vera, tamen apta inter se et cohaerentia.* Inverso ordine sententiarum Cic. de Fin. 4, 1, 1. *tam enim diligenter, etsi minus vere.*

9. *Magis* vel *plus* et *minus* ex adverso collocantur, ut declaretur, eo magis alteram rem imminui, quo magis altera crescat.

Plaut. Trin. 3, 2, 44. *minus placet, magis quod suadetur.* 4, 2, 19. Bacch. 5, 1, 16. *atque ego si alibi plus perdiderim, minus aegre habeam minusque id mihi damno ducam.*

10. Bis posita particula rem usque decrescentem indicat, quemadmodum *magis magis*, *magis magisque* crescentem: interponi solent copulativae particulae *et*, *que*, *ac*. Cf. Vorstium de Latin. falso susp. c. 25. Omissae particulae nullum exemplum reperi.

Terent. Heaut. 3, 3, 33. *nam mihi iam minus minusque obtemperat.*

Virgil. Aen. 12, 616. *iam minus atque minus successu laetus equorum.* Liv. 26, 17, 12. *minusque ac minus, cum timore simul*

fide decrescente, conveniebat. **Plin. Hist. n. 11, 10, 10.** *in alveo strepunt minus ac minus.*

Horat. Carm. 1, 25, 6. *audis minus et minus iam.* **Ovid. ex Pont. 2, 8, 73.** *minus et minus est facies in imagine tristis.* **Her. 2, 129.** *quo magis accedunt, minus et minus utilis adsto.* **Met. 11, 722.** *quod quo magis illa tuetur, hoc minus et minus est mentis.*

11. Per disiunctivam *ve* componuntur *plus* et *minus*, et eo quidem ordine, ut *plus* primum locum obtineat, ad indicandam incertam magnitudinem vel numerum. Omitti potest etiam particula. Aliquanto diversam rationem in iis videmus, quibus optio datur, sed diversis rebus maius aut minus tribuitur. Hoc exprimitur particula *aut*.

Terent. Phorm. 3, 3, 21. *nequid plus minusve faxit, quod nos post pigeat.*

Hirt. Bell. gall. 8, 20. *quae non longius ab ea caede abesse plus minus octo milibus dicebantur.*

Quintil. 11, 1, 66. *magis aut minus* (custodiendum est), *ut cuique personae debetur reverentia.*

12. Iam de negativis sententiis. Ac primum *non minus* significat *item*. Per *nec minus* coniunguntur aequalia, ut intelligatur *atque*, *itemque*.

Terent. Hec. 4, 2, 30. *haec res non minus me male habet, quam te.* **Sulpic. ad Cic. 4, 5, 3.** *ea nobis erepta esse, quae hominibus non minus quam liberi cara esse debent, patriam, honestatem.* **Liv. 2, 61, 6.** *adeo ut magna pars plebis Appium non minus reum timeret, quam consulem timuerat.* **Cic. p. Sext. 12, 28.** *exanimatus evolat ex senatu, non minus perturbato animo atque vultu, quam si annis ante paucis in creditorum conventum incidisset.*

Ovid. Her. 19, 85. *quum te saevum veniente minaxque non minus aut multo non minus aequor erat.*

Cornel. Alcib. 5, 6. *Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas praeterea urbes graecas, quae in ora sitae sunt Asiae —: neque minus multas consilio ad amicitiam adiunxerant.* **Ovid. Am. 3, 9, 15.** *nec minus est confusa Venus moriente Tibullo, quam iuveni rupit quum ferus inguen aper.* **Quintil. 4, 1, 56.** *nec minus diligenter, ne suspecti simus illa parte, vitandum.*

Cornel. Attic. 12, 4. *quem post Lucretii Catullique mortem*

multo elegantissimum poetam nostram tulisse aetatem vere videor posse contendere, neque minus virum bonum. i. e. aeque optimum.

Propert. 1, 3, 3. *qualis et accubuit primo Cepheia somno — Andromede: nec minus assiduis Edonis fessa choreis.* h. e. item. 1, 15, 7.

Alia est ratio verborum apud Vlpianum in Dig. 21, 1, 1, 9. *et ait Vivianus nihilo minus hunc sanum esse: neque enim nos, inquit, minus animi vitiis aliquos sanos esse intelligere debere.* Coniungenda enim sunt verba *minus sanos.* Cf. Gronov. Observat. 2, 1.

13. *Nihil minus* contrarium est verborum *nihil magis.* Pertinet *minus* ad verbum. Sed his vocabulis absolute positis respondentes cum asseveratione negant. Est *minime.* Ironica forma negationis est *multo id minus.*

Cic. ad Att. 2, 4. *his temporibus tam dubia vita optimi cuiusque, magni aestimo unius aestatis fructum palaestrae palatinae, sed ita tamen, ut nihil minus velim, quam Pomponiam et puerum versari in timore ruinae.*

Terent. Eun. 3, 1, 44. *purgon ego me de istac Thaidi, quod eam me amare suspicatast?* GN. *Nil minus.* 3, 3, 29.

Cic. de Fin. 2, 17, 55. *num igitur eum postea censes anxio animo aut sollicito fuisse? Nihil minus, contraque illa hereditate dives.*

Cic. de Off. 3, 20, 81. *cadit ergo in virum bonum mentiri emolumenti sui causa, criminari, praeripere, fallere? Nihil profecto minus.*

Plaut. Most. 4, 3, 20. *quid? a Tranione servo* (accepisti quadraginta minas)? SI. *Multo id minus.*

14. *Nihilo minus* quomodo dicatur, vide in NIHIL. Hic tamen eam formulam commemoro comicis usitatam, qua interrogatione *num qui minus* id exprimunt, quod recta in oratione *nihilo minus* dicitur. In aliis idem est, quod extra interrogationem *non minus.*

Plaut. Pseud. 1, 2, 27. *num qui minus ea gratia tamen omnium opera utor.* i. e. *gebrauche ich etwa deshalb euch irgend weniger?* Rud. 4, 3, 81. *num qui minus — ego qui inspectavi procul, te hunc habere. fur sum quam tu?* 3, 4, 31. *num qui minus hasce esse oportet liberas?*

Plaut. Rud. 4, 3, 37. *qui minus hunc communem quaeso mihi*

esse oportet vidulum? 1, 3, 37. *num qui minus servio, quam si forem serva nata?* Ita est scribendum, non *nunc qui.*

15. Schottus ad Cornel. Att. 13, 1. ait, uti *magis* sequente *quam* omitti possit, etiam omitti *minus.* Illa vero, quae p. 571. de omisso *magis* explanavi, confirmantur eo, quod *minus* numquam desideratur, uti Bremius iam ad Cornel. Dat. 8, 1. monuit. Apud Cornelium in verbis, *neque vero minus ille vir bonus paterfamilias habitus est quam civis*, codices, qui non habent *minus*, non tantae sunt auctoritatis, ut non de integritate dubitemus.

MIRE.

In adverbio MIRE non significatio est, quae explicatione indigeat, sed ratio, qua cum aliis nominibus coniungitur. Atque *mirum* adiectivum, verbo *est* vel expresso vel intellecto, cum vocabulis *quantum* et *quam* ita componitur, ut in unam quasi notionem coalescant, et ut in altero membro, tamquam non pendeat ex antecedente sententiae parte, indicativus sequatur, veluti apud Liv. 2, 1, 11. *id mirum quantum profuit ad concordiam civitatis.* Hoc etiam fieri dicunt in *mire*, quod, ut alia, cum *esse* ad modum rei indicandum collocetur. Sed unum modo exstat exemplum apud Cic. ad Att. 1, 11. *mire quam illius loci non modo usus, sed etiam cogitatio delectat.* Bentivolio ex ascensiana editione restituendum videbatur *mirum quam:* quemadmodum 13, 30. *mirum quam inimicus ibat.* Orellius ad analogiam provocat verborum *sane quam:* quae tamen diversa sunt. Nec exemplis aliis confirmari potest formula *mire est.* Quare de integritate verborum illorum dubitare licet.

Cum adiectivis componitur *mire* in modum verborum *bene*, *male*, et dicitur de re eximia et nimia. Sed hic usus non attinet ad antiquiora tempora et videtur e provinciarum regionibus in Latium delatus. In primis Plinius delectatus est hoc vocabulo.

Plin. Hist. n. 29, 1, 6. *mireque gratum adventum eius initio* (fuisse). Saepe ita cum *gratum* composuit. 19, 5, 24. *in priore mire tenui pediculo libratur pondus immobile aurae.* 20, 9, 41. *vulneribus mire utilis dumtaxat recentibus.* Poetica licentia utitur Persius 6, 3. *mire opifex.*

Plin. Hist. n. 14, 3, 5. *quae* (vanitas) *nota mire in illo fuit.*

Cic. Verr. 2, 35, 87. *capella quaedam est ea quidem mire, ut etiam nos, qui rudes harum rerum sumus, intelligere possimus, scite facta et venuste.* Non puto Ciceronem dixisse *mire scite*, sed *mire* referri debet ad verbale *facta.*

MODO.

Particularum, quae notionibus aut iudiciis singularem ac definitam rationem iniungunt, nonnullae factae sunt e substantivis, quorum significatio in usu adverbiorum non tam ipsa tenetur, quam id, quod in constituendas notiones inde redundat. Hoc autem eo fit, quod haec vocabula partes sunt sententiae non plene expressae. Atque id potest exemplo particulae *modo* demonstrari. *Modo* enim ablativus est nominis *modus*, et significat *in modo*, *cum modo.* Sententia fit: *ut cum modo cogitem*, sive *dicam:* ex qua unum vocabulum primarium retinetur ad notiones determinandas. Itaque adverbium habemus, etiam mutata extremae syllabae mensura signatum, quod quum in moderandis sententiis non uno modo adhibeatur, non uno vocabulo reddi potest, nec in aliis linguis invenimus nomen, quod omnem ipsius usum complectatur.

Perizonius ad Sanctii Miner. 4, 2. existimans, rationem adverbii *modo* explicari debere nomine ad ellipsis supplementum intelligendo, in significatione temporis sententiam esse dicit: *hoc temporis modo* seu *momento:* ubi pro *solum* ponatur, esse *quovis modo.* Bauerus autem desperans caussam nescire, quam falsam comminisci maluit.

Modo igitur vel rem vel notionem et sententiam ad modum et ad terminum revocat, et duplici quidem ratione constituit. Primum enim restringit, dum rem cohibet et ab aliis secludit ita, ut, quum in modi adhibendi notione cogitemus *non aliud quam*, *non magis quam*, accedamus ad *tantum*, quod ipsum a *modo* differt: nam *tantum* notat terminum in ipsa re conspicuum, *modo* autem pendet ex cogitatione loquentis. In multis idem est quod *admodum.* Deinde haec determinandi vis transit in demonstrativam, et ubi aliquid intra suum modum continetur, ipsum distinguitur et exacte definitur: veluti *nunc modo*, *modo denique* dicimus.

Accedit vero, quod nomen, cui adiicienda est particula, omittitur et *modo* vicem omissi explet, sicuti *modo* pro *nunc modo* et pro *si modo* ponitur.

Multiplex est usus, una tamen particulae significatio, quam primariam comparare possumus cum germanico *gewissermaſsen:* in reliquo usu aut per *nur* aut per *eben* reddimus. Nos vero in ordinandis exemplis duo genera constituamus, quorum alterum tempus complectitur, alterum alias res definiendas. Ceterum in hoc adverbio indicia substantivi, cui originem debet, ita evanuerunt, ut Cicero dicere posset de Div. 2, 44, 93. *coelum modo hoc, modo illo modo temperatur.*

I. 1. Modus, quo haec particula aliquam notionem restringit, primum in eo cernitur, quod res ab aliis rebus vel maioribus vel diversis distinguitur, et ipsa in se spectatur. Hoc dicimus nihil aliud esse, *nichts weiter, nichts anderes*, idque etiam exprimitur verbo *nur*. Grammatici omnia uno nomine comprehendentes docent, *modo* esse *tantummodo*, et temere miscent diversa. vd. Drakenb. ad Liv. 3, 53, 6.

Liv. 7, 2, 3. *nam circi modo spectaculum fuerat.* Cic. ad Fam. 6, 13 (12), 17. *sed est unum perfugium doctrina ac litterae, quibus semper usi sumus: quae secundis rebus delectationem modo habere videbantur, nunc vero etiam salutem.* Curt. 4, 13, 14. *nec ipsum ducem saniorem esse: quippe ritu ferarum praedam modo, quam expeteret, intuentem, in perniciem, quae ante praedam posita esset, incurrere.* Liv. 6, 40, 6. *qui modo me duobus ingenuis ortum et vivere in libera civitate sciam.* i. e. *nichts weiter als von freien Aeltern geboren.*

Liv. 9, 8, 13. *quum omnes, laudibus modo prosequentes virum, in sententiam eius pedibus irent, tentata paullisper intercessio est ab L. Livio et Q. Maelio.* h. e. nihil aliud agentes, quam ut laudibus virum prosequerentur. 32, 21, 8. *miramini, cur diffidenter Cleomedon legatus Philippi, ut pro rege arma caperemus adversus Romanos, modo egerit.* i. e. nihil aliud egerit, quam ut etc. Nam ad tempus relatum inanem praebet sensum.

2. Item dicitur, ubi aliquid per se valet aut in se consideratur: quod Germani dicunt *für sich, an sich, an sich betrachtet.*

Sallust. Iug. 75, 7. *deinde ubi ad id loci ventum, quo Numidis praeceperat, tanta repente coelo missa vis aquae dicitur, ut ea*

modo exercitui satis superque foret. h. e. ut non opus esset aqua ex flumine hausta, qua iumenta oneraverat Iugurtha.

Sallust. Iug. 88, 4. *quae postquam gloriosa modo, neque belli patrandi cognovit.* i. e. *ehrenvoll an sich.* Servius ad Virgil. Aen. 10, 118. *instant portis omnibus circum, id est circumcirca fusi: nam modo circum adverbium loci est.*

3. Facile intelligitur, qua via *modo* ad significationem *tantum*, *solum* accedat. Vna enim res tenetur: contrarium reiicitur aut negatur, aut reliquae res omittuntur. Ita ex *diefs eben*, quod in se habet *und nicht jenes*, fit *dies nur.* Id quod negatur vel excluditur, aut verbis negativis exprimitur aut cogitatione substituitur.

Terent. Adelph. 5, 3, 56. *hodie modo hilarum fac te.* i. e. *heute nur sey vergnügt.* Reliquos dies non curo. Sallust. Iug. 76, 5. *denique Romani — post dies quadraginta, quam eo ventum erat, oppido modo potiti: praeda omnis ab perfugis corrupta.* i. e. oppido sine praeda. Vide Cortium. 78, 4. Curt. 7, 11, 14. *gladiis modo atque hastis armati subire coeperunt.* i. e. non graves armis. Cic. de Orat. 2, 34, 146. *qui ea mediocriter modo consideraverint.* i. e. non accurate: *auch nur mittelmäfsig.*

Plaut. Pseud. 1, 2, 88. *tu autem, quae pro capite argentum mihi iam iamque saepe numeras, ea pacisci modo scies, sed quae pacta es, non scis solvere.* Quintil. 8, 6, 39. Sallust. 50, 4. *ipsi modo eminus sauciabantur, neque contra feriundi aut manum conserendi copia erat.* Cic. de Off. 3, 4, 18. *itaque existimo, Panaetium, quum dixerit homines solere in hac comparatione dubitare, hoc ipsum sensisse. quod dixerit, solere modo, non etiam oportere.* de Inv. 2, 23, 69. *quum — fere mos esset Graiis, quum inter se bellum gessissent, ut ii, qui vicissent, tropaeum aliquod in finibus statuerent, victoriae modo in praesentia declarandae caussa, non ut in perpetuum belli memoria maneret, aeneum statuerunt tropaeum.*

Sallust. Iug. 101, 11. *multi volneribus acceptis neque fugere posse, neque quietem pati, niti modo, ac statim concidere.* i. e. nec incedere poterant, nec stare, sed nitebantur tantum, ac statim concidebant.

4. Numerus et magnitudo esse potest, quam non excedens res se continet, ideoque ad certam mensuram revocatur. Hinc dicitur *unus modo* h. e. non plures, et *parva modo res.* Sed etiam verba *id modo* ponuntur pro id unum.

Quintil. 3, 3, 4. *nec audiendi quidam, — qui tres modo primas esse partes volunt.*

Plaut. Most. 1, 3, 43. *uni modo gessi morem.* Cic. Acad. 2, 32, 101. *hoc autem si ita sit, ut unum modo sensibus falsum videatur, praesto est qui neget, rem ullam percipi posse sensibus.* ubi Goerenzius non solum sententiam male percepit, quod c. 25. declarat, sed etiam particulam *modo* non cognovit. Orat. 9, 28. *hi unum modo quale sit suspicantur.* Sallust. Iug. 89, 6. *Capsenses una modo atque ea intra oppidum iugi aqua, cetera pluvia utebantur.* Quintil. 12. Prooem. 4.

Plaut. Poen. 1, 3, 30. *potin' ut semel modo, Ballio, huc cum lucro respicias?* i. e. *nur ein einziges Mal.* Ennius apud Varr. de Lat. l. 5, 8 (6, 81.) *ter sub armis malim vitam cernere, quam semel modo parere.*

Cic. ad Fam. 1, 5, 13. *quod sine ulla dubitatione, si Pompeius paullum modo ostenderit sibi placere, faciet.* Varro apud Gellium 13, 15. *Praxiteles, qui propter artificium egregium nemini est paullum modo humaniori ignotus.* Plaut. Capt. 5, 2, 74. *nae perpauxillum modo.* Caes. B. gall. 6, 35. *manus erat nulla, quae parvam modo caussam timoris afferret.*

Liv. 3, 52, 10. *victi consensu decemviri futuros se, quando ita videatur, in potestate patrum affirmant. Id modo simul orant ac monent, ut ipsis ab invidia caveatur.*

5. Quia haec particula modum addit et distincte determinat rem, non abhorrere videtur ab eius natura, ut in numero aut magnitudine designanda etiam exprimat certam et exactam terminationem, quam Germani per *eben* significant. Sed desunt huius usus exempla. Vnum tamen inveni apud Ciceronem Brut. 15, 60. *quaestor his consulibus* (fuit) *M. Cato modo plane annis CXL ante me consulem.* Et Orellius nullam adesse difficultatem dicit, reddens *nachgerade sind es eben* 140 *Jahre.* Equidem vero non tam in vocabulo *modo* haereo, quam in coniunctis particulis *modo plane*, quarum haec respondet nostro *entschieden* de re non incerta. Quare Manutius et Lambinus dubitarunt non sine caussa. Fortasse alia exempla aliquando dubitationem expellent.

6. Restrictivam suam vim particula eo etiam perfert, ut rem aliquam ad certum genus certamve rationem reducat et ab aliis rebus omnibus separet. Tum accedit ad similitudinem particulae *quidem.* Sed ubi universum aliquod genus complectimur, adhibita hac vocula

et rem terminis circumscribimus, et fines huius regionis longe proferimus, omne id, quod eiusdem est generis, comprehendentes. *Modo* igitur significat *ullo modo* sive *aliquo modo*. Germani dicunt *irgend nur*. Hoc praecipue apparet in relativis iis sententiis, quae genus aliquod universum constituunt, ideoque praecedentibus verbis *quisque*, *nemo*. Sed etiam *qui modo* cum coniunctivo compositum significat *quicumque: wer nur eben*. Cum indicativo est fere idem atque *qui quidem*.

Sallust. Iug. 11, 8. *itaque ex eo tempore ira et metu anxius moliri, parare atque ea modo in animo habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur.* **Id vulgo interpretantur: ea sola in animo habere: quod non est probabile: sed dicit Sallustius, ea imprimis, ea quidem in animo habere, quibus etc.**

Hirt. B. afric. 36. *M. Cato — dilectus libertinorum, Afrorum, servorum denique et cuiusque modi generis hominum, qui modo per aetatem arma ferre poterant, habere — non intermittit.* **Sallust. Cat. 39, 6.** *Lentulus — quoscumque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se, aut per alios sollicitabat, neque solum civis, sed cuiusque modi genus hominum, quod modo bello usui foret.* **Liv. 27, 14, 10.** *tum iam non unus manipulus, sed pro se quisque miles, qui modo assequi agmen fugientium elephantorum poterat, pila coniicere.* **6, 40, 6. Quintil. 6, 2, 25.** *satisfacerem huic parti, nihil eorum, quae legi vel didici, quod modo probabile fuit, omittendo.* **12, 10, 69.** *quum omnis species, quae modo recta est, habeat usum.* **Prooem. 6. 1, 10, 30.** *quum vero — apud omnes, qui modo legitimam disciplinam non sint perosi, duraverit* **etc.**

Cic. Catil. 4, 8, 16. *servus est nemo, qui modo tolerabili conditione sit servitutis, qui non audaciam civium perhorrescat.* **de Div. 1, 39, 86.** *nemo aliter philosophus sensit, in quo modo esset auctoritas.* **p. Flacc. 27, 64.** *quamquam quis ignorat, qui modo umquam mediocriter res istas scire curavit, quin tria Graecorum genera sint vere?* **Tusc. 5, 23, 66.** *quis est omnium, qui modo cum Musis — habeat aliquod commercium, qui se non hunc mathematicum malit quam illum tyrannum?*

Liv. 22, 2, 5. *primi qua modo praeirent duces per praealtas fluvii ac profundas voragines hausti pene limo immergentesque se, tamen signa sequebantur.*

Ovid. Am. 2, 14, 40. *et clamant merito, qui modo cumque vident.*

Phaedr. 4, 20, 1. *quid indicare cogitet livor modo, licet dissi-*

mulet, pulcre tamen intelligo. Nemo interpretum, quo *modo* referendum esset, perspexisse videtur. Burmannus coniungit cum *iudicare*, quasi significet *statim:* Schefferus componit *licet modo dissimulet:* alii pro *nunc* acceperunt: quorum aliud alio ineptius puto. *Quid modo* est idem quod *quidquid: was nur der Neid zu urtheilen hat.*

Critici videant, an librorum auctoritate confirmetur id, quod apud Caesarem haud male legitur de Bell. civ. 3, 31. *cuius modo rei nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur.* Est enim *cuiuscumque rei.*

7. His similia sunt, quae conditionem interponunt. Nam *si modo* etiam accedit ad *si quidem*, et quod Cicero dixit ad Att. 12, 44. *contudi enim animum et fortasse vici, si modo permansero*, eiusdem videtur esse formae, quae p. Planc. 8, 20. *deinde tui municipes sunt illi quidem splendidissimi homines, sed tamen pauci, si quidem cum Atinatibus conferantur.* Tamen differunt inter se. *Si quidem* conditionem singularem et necessariam supponit, quod dicimus, *wenn nemlich*, *si modo* opponit aliquid, quod ipsum dubium si ex altera parte negatur, omnis enuntiatio tollitur: veluti quum Cicero ait de Orat. 2, 38, 157. *in hac arte, si modo est haec ars, nullum est praeceptum, quo modo verum inveniatur:* significat, dubitari de arte illa, quam si quis esse negaverit, nullo pacto potest ars nominari. Germani *wenn anders.* Quae in praesenti per *quidem* exprimuntur, ad futurum tempus, quod incertum est, relata per *si modo* dici possunt. Saepe etiam fit, ut in hac conditione proposita id insit, quod optamus. Propriam sedem particula occupat in parenthesi, quae exceptionem interponit.

Curt. 7, 4, 8. *erat in eo convivio Cobares — magicae artis (si modo ars est, non vanissimi cuiusque ludibrium) magis professione quam scientia celeber.* Cornel. Alcib. 9, 5. *neque dubitabat facile se consequuturum, si modo eius conveniendi habuisset potestatem.* h. e. non dubitabat de amicitia concilianda, incerta autem erat occasio, quae tamen offerretur necesse erat. Quintil. 11, 2, 37. *certa sunt enim non solum digerendis quaestionibus, sed etiam in exsequendis, si modo recte dicimus, prima ac secunda.* 3, 8, 59. Cic. ad Att. 13, 19. extr.

Plancus ad Cic. 10, 11, 11. *do quidem ego operam, ut etiam Lepidum ad huius rei societatem incitem: omniaque ei obsequia polliceor, si modo rempublicam respicere volet.* Ad tempus prae-

sens relatum, diceretur *si quidem*. Cic. ad Quint. fr. 2, 12. *reliqua singulorum dierum scribemus ad te, si modo tabellarios tu praebebis.* ad Att. 12, 19. *si modo haec stabunt.* de Orat. 3, 50, 193. *duo enim aut tres sunt fere extremi servandi et notandi pedes, si modo non breviora et praecisa erunt superiora.*

Cic. ad Att. 5, 8. *tu si modo es Romae: vix enim puto: sin es, hoc vehementer animadvertas velim.* Propert. 1, 18, 3. *hic licet occultos proferre impune dolores, si modo sola queant saxa tenere fidem.* Notandus est coniunctivus.

Cic. ad Att. 12, 18. *tute scis (si modo meministi) me tibi tum dixisse, ut de tuis aliquos adduceres.* Horat. Art. poet. 270. *at vestri proavi plautinos et numeros et laudavere sales nimium patienter utrumque, ne dicam stulte, mirati: si modo ego et vos scimus inurbanum lepido seponere dicto.* i. e. εἴπερ, *wenn anders.*

8. Iurisconsulti, ut qui saepe vel poetarum vel plebis morem sequantur, *modo si* dixerunt pro *dummodo.*

Ovid. Trist. 2, 263. *persequar inferius, modo si licet ordine ferri, posse nocere animis carminis omne genus.*

Papinian. in Dig. 26, 2, 28. *qui tutelam testamento mandatam excusationis iure suscipere noluit, ab his quoque legatis summovendus erit, quae filiis eius relicta sunt, modo si legata filii non affectione propria, sed in honorem patris meruerunt.* Idem in Dig. 39, 1, 18. *nec ad rem pertinet, cuius solum sit, in quo opus fit, sed quis eius soli possessor inveniatur, modo si eius nomine opus fiat.* Idem apud Vlpian. in Dig. 19, 2, 19, 10.

Apud Cic. de Rep. 1, 27. leguntur haec: *Ac modo si Massilienses nostri clientes per delectos et principes cives summa iustitia reguntur, inest tamen in ea conditione populi similitudo quaedam servitutis.* Maius in indice *ac modo* interpretatur *iam vero:* quod absonum: alii *atque nunc:* quod nec sententia admittit, nec usus linguae. Ob particulae igitur significationem iamdudum emendavi coniungens verba antecedentis sententiae: *quum regeretur unius nutu ac modo.* Idem sagacissimo Orellio in mentem venisse nunc gaudeo.

9. Singula nomina per praefixum *modo* alicui sententiae apponuntur, quibus res dicta ad conditionem ita refertur, ut si contrarium adesset, enuntiatum non constaret, velut Cicero ad Att. 16, 13. scripsit: *itaque veniam, quo vocas, modo adiutore te:* hoc est, tamen non sine te adiutore. Idem fit in vocabulo *dummodo.* Vulgo illud *modo* accipiunt pro *tamen*, quod recte po-

nas affirmativa sententia in negativam mutata: in multis sententiis nihil impedit, quo minus *certe* intelligas. Nam opponi potest *quamvis*.

Cic. de Off. 1, 26, 92. *tum quam plurimis, modo dignis, se utilem praebent.* i. e. tamen non indignis. p. Rosc. Am. 48, 138. *decerne, modo recte.* de Off. 2, 17, 58. *bonis viris — faciendum est, modo pro facultatibus.* 1, 35, 127. 1, 44, 156. ubi vide Beierum. Rutil. Lupus 1, 12. *hunc tu frater eiusdem generis particeps, in hac fortuna deserere potuisti, cuius aerumnae quemvis etiam extrarium hominem, modo hominem, commovere possent?* Quintil. 12, 9, 10. *hoc quidem quis hominum liberi modo sanguinis sustineat?* Curt. 9, 10, 27. *mille hercule, viri modo et sobrii, septem dierum crapula graves in suo triumpho capere potuerunt.* i. e. si modo viri et sobrii erant.

Cic. Verr. 3, 97, 224. *atque utinam posset aliqua ratione hoc crimen, quamvis falsa, modo humana atque usitata defendere.*

10. Vsum vocabuli *dummodo* exposui Tom. 2. p. 327. Sed uti in aliis quoque coniunctionibus fit, omittitur *dum* et *si* non mutato sensu aut constructionis ratione, nisi quod plena forma maiorem vim conditioni interponendae affert. Est igitur *wenn nur*. Sequitur coniunctivus. Vtrum vero in primaria parte enuntiationis indicativus an coniunctivus ponatur, non usu constat, sed sententiae ratione, nec legitima est una forma, quam Wunderlichius ad Tibull. 1, 2, 33. existimat, ut aut coniunctivus aut futurum collocetur. Nihil enim obstat, quo minus indicativus praesentis antecedat, etiam si in conditionali sententia *modo* addatur.

Cic. Brut. 16, 64. *quos, valitudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat.* Orat. 9, 28. *putant enim, qui horride inculteque dicat, modo id eleganter enucleateque faciat, eum solum attice dicere.* de Off. 3, 6, 31. de Nat. d. 3, 8, 20. ubi nemo Heindorfii commenta probabit. Tibull. 2, 5, 105. *pereantque arcus, pereantque sagittae, Phoebe, modo in terris erret inermis Amor.* Virgil. Aen. 3, 116. *modo Iuppiter adsit, tertia lux classem cretaeis sistet in oris.* Georg. 3, 10. Quintil. 10, 1, 131. *multa enim, ut dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt: eligere modo curae sit.*

Tibull. 1, 2, 33. *non labor hic laedit, reseret modo Delia postes.* Cic. de Sen. 7, 22. *manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria.*

11. Grammatici plurimi tradunt *modo* etiam cum

ut et *ne* componi. At ubi praefigitur sententiae, quae ab *ut* incipit, elliptica est oratio nec *modo* pro *dummodo* ponitur. Plenam orationem exhibet Terentius Adelph. 5, 3, 59. *modo facito, ut illam serves.* *Ut* enim aut ab omisso verbo regitur, aut ipsum exprimit votum. Attamen alia prorsus est ratio, ubi *modo* additur ad indicandam conditionem necessariam.

Cic. ad Fam. 16, 11, 1. *modo fac, id quod humanitatis tuae est, ne quid aliud cures hoc tempore, nisi ut quam commodissime convalescat.* Hoc dici poterat *modo ne quid aliud cures.*

Terent. Phorm. 1, 2, 9. *modo ut tacere possis.* Cic. in Verr. 4, 5, 10. *concede, ut impune emerit, modo ut bona ratione emerit.* ad Fam. 14, 14, 3. *modo ut haec nobis loca tenere liceat, bellissime vel mecum vel in nostris praediis esse poteritis.*

Plaut. As. 2, 2, 8. *aetatem velim servire, Libanum ut conveniam modo.* i. e. ea conditione sola, ut conveniam: *damit nur.*

12. Alia est caussa in *modo ne*, quod dicitur pro *dummodo ne.* Negatio enim, quae coniunctioni adiuncta ad verbum referatur, *ne* est: ubi autem *non* ponitur, negatio ad aliud nomen pertinet. Sententia exprimitur verborum *excepto uno hoc*, *ne* etc. vel *ea conditione*, *ne* etc. Comparari ob structuram possunt *nisi forte.* Sed exceptio haec est necessaria. Cum imperfecto compositae particulae improbationi inserviunt. Cf. Beier. ad Cic. de Off. 2, 20. p. 137.

Cic. ad Att. 5, 4. *quae de Sicinio audisti, ea mihi probantur: modo ne illa exceptio in aliquem incurrat bene de nobis meritum.* de Off. 1, 30, 105. *si quis est paullo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere — occultat et dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam.* de Orat. 3, 49, 191.

Cic. de Amic. 17, 61. *his igitur finibus utendum arbitror, ut —, etiamsi qua fortuna acciderit, ut minus iustae amicorum voluntates adiuvandae sint, — declinandum de via sit, modo ne summa turpitudo sequatur.* de Off. 2, 20, 71. *quod si etiam bonus erit vir, ne impediant divitiae, quo minus iuvetur, modo ne adiuvent.* i. e. ea una conditione, ne adiuvent. Beierus non bene explicuit. ad Fam. 16, 22, 4. *Tertia aderit, modo ne Publius rogatus sit.* Liv. 32, 21, 5. *et modo postulat, ut secum stemus: modo ne intersimus armis, contentum ait se esse.*

Cic. Acad. 2, 43, 132. *ad vos nunc refero, quem sequar? modo ne quis illud tam ineruditum absurdumque respondeat: quemlibet, modo aliquem.*

Cic. de Off. 1, 25, 89. *quae* (mediocriter) *placet Peripateticis, et recte placet, modo ne laudarent iracundiam et dicerent utiliter a natura datam.* ubi Erfurdtius apud Gernhardum rationem imperfecti bene declaravit: nam qui *modo ne laudent* dicit, tolli vult id, quod fieri potest aut futurum est, qui autem *modo ne laudarent*, id, quod factum iam est et fit.

13. Sed *modo ne* non mutat formam suam. Quare errabant critici, qui *modo* etiam a *ne* remotum post verbum poni posse existimabant. Significat enim hoc *modo* transpositum *ullo modo.* Tamen poetae ab hac lege discesserunt.

Liv. 21, 52, 4. *id Romani, ne quid modo moverent, aequo satis, Poenus periniquo animo ferebat.* Cic. Acad. 2, 27, 87. *tractantur ista ingeniose: disputantur etiam eleganter: denique videantur sane, ne affirmentur modo.* Wopkensius in Lect. p. 53. (36.) haec interpretatur: probabilia sint, caveamus tantummodo, ne vera esse contendamus. At iam in notis ad hunc librum monui, sententiam esse: denique videamus sane, ne affirmentur ullo modo.

Tibull. 2, 4, 67. *o valeant fruges, ne sint modo rure puellae.*

14. *Modo non* pro *dumne* et *nisi forte* poni posse multi fuere, qui docuerunt. Id autem repugnat rationi grammaticae. Vbi ita legitur, aut negatio *non* ad aliud nomen, non ad verbum spectat, aut *modo non* pro *tantum non* dicitur, quod est *μόνον οὐχί*, *propemodum.* Ita vero praeter comicos nemo elegantiorum scriptorum loquutus est, sed infimae aetatis Latini, quales erat Valerius Maximus et Ammianus Marcellinus. Nec tantum tribuamus opinioni Valesii, qui ad Ammian. 14, 7, 8. *modonon* in unum vocabulum per hyphen componi debere existimabat, quantum tribuit ei Meyerus in Ephemerid. ienens. a. 1825. n. 72.

Quintil. 3, 11, 24. *nec est fere quisquam, modo non stultus atque ab omni prorsus usu dicendi remotus, quin sciat, et quid litem faciat* etc. Nemo non videt haec ad id genus referri, de quo n. 9. dixi. Caes. Bell. gall. 6, 8. *illi — impetum modo ferre non potuerunt ac primo concursu in fugam coniecti proximas silvas petiverunt.* Vide n. 16.

Terent. Phorm. 1, 2, 17. *is senem per epistolas pellexit, modo non montes auri pollicens.* ubi Donatus: *proverbialis ὑπερβολὴ facta per exceptionem aut per superlationem, aut aequam collationem. Eiusmodi est illud Demosthenis* (Olynth. 1. init.) *μόνον*

οὐχὶ φωνὴν ἀφιείς. Virgil. Aen. 9, 140. *sed periissse semel satis est. Peccare fuisset ante satis penitus modo non genus omne perosos femineum.* Libri aliquot praebent *modo nec*, et editio veneta *nunc*, quod quum Marklandus in notis ad Statii Silv. p. 284. restituendum censuisset, Heynius illud *modo non* hac interpretatione vindicavit: satis esse debebat ante semel peccare eos, perosos genus femineum tantum non omne. Quae sententia mihi inepta videtur. Nam si perosi fuissent genus femineum, ne semel quidem peccassent: sin nunc genus femineum perosi sunt, quidni omne genus, sed tantum non omne? Marklandus vero ita: satis fuisset Troianis semel peccasse olim, modo nunc penitus perosi sint omne genus femineum. Nos quomodo hunc locum expediamus, vide II. 5. ubi etiam de Tibulli loco dicemus. Quintil. Prooem. 16. *quis enim non de iusto, aequo ac bono, modo non et vir pessimus, loquitur?* Iam Spaldingius dubitavit, an *modo non* pro *modo ne* accipi posset hac in sententia: utinam ne pessimi etiam loquerentur. At nullo pacto potest. Sed alii *modo non* pro *tantum non* dictum esse contendunt: Sarpius in Analect. p. 11. mutatis verbis *quis enim* in *quid enim?* Meyerus, qui censuram Spaldingianae editionis in Ephemerid. ienens. a. 1825. n. 72. p. 92. scripsit, hac sententia exposita: *ein Jeder, fast sogar der Verworfenste spricht über das Gerechte, Billige und Gute.* Quis vero ita loquitur: omnis vir, modo non et pessimus? Particula *et*, quam codices duo parisienses non habent, omittenda erat, et locus cum iis conferendus, quos n. 9. exposui. *Et* enim, quod in reliquis libris exstat, esse debet *est*, quod librarii explicationis caussa adscripserunt. Nec satis concinna esset oratio, si quis scribere maluisset *modo non est vir pessimus.*

Valer. Max. 8, 45. Ext. 7. *praecipuae artis pictor equum ab exercitatione venientem, modo non vivum labore industriae suae comprehenderat.* i. e. non multum aberat, quin vivum exhiberet. Ammian. Marcell. 14, 7, 8. *duplexque iisdem diebus acciderat malum, quod et Theophilum insontem atrox interceperat casus et Serenianus dignus exsecratione cunctorum, innoxius modo non reclamante publico vigore discessit.* 16, 12, 16. 21, 14, 1. *in hoc rerum adversarum tumultu haerens eius fortuna iam et subsistens adventare casum vitae difficilem, modo non loquentibus signis aperte monstrabat.* 22, 6, 2. 29, 1, 25. 30, 1, 15.

Vix operae pretium est notare ea exempla, in quibus *non* ad verbum proprie pertinet, veluti Quintil. 5, 14, 34. *qui modo non obscuret.*

15. Ex ea vero, quam exposui, ratione particulae prodit duplex usus particulae ad stabiliendam rei vel sententiae veritatem per exceptionem. Additur enim conditio, quae praesumenda est, ut id, quod dicitur, locum habeat: quasi quis dicat: hoc verum aut iustum est ea conditione, ut alterum illud antea concedatur aut locum habeat: *unter der Voraussetzung, mit der Einschränkung.* Sed potest etiam hoc modo caussa pro conditione poni. Tunc *modo* significat *in so fern.* In his vero omnibus quum aliquid ex adverso ponatur, a grammaticis non paucis concepta est opinio, *modo* significare *sed.* Germani etiam *nur* ita loquuntur.

Quintil. 8. prooem. 12. exposita doctrinae ratione pergit: *credere modo qui discet velit, certam quamdam viam esse, in qua multa etiam sine doctrina praestare debeat per se ipsa natura.* 13, 9, 21. *modo sit caussae discendae tempus: nam cetera semper sciet.* Cic. de Off. 1, 15, 48. *demus necne, in nostra potestate est: non reddere viro bono non licet, modo id facere possit sine iniuria.* h. e. ubicumque reddere potest sine iniuria, non ei licet non reddere. Cf. Beierum.

Quintil. 1, 3, 12. *modo nulla videatur aetas tam infirma, quae non protinus, quid rectum pravumque sit, discat, tum vel maxime formanda, quum simulandi nescia est, et praecipientibus facillime cedit.*

16. Restrictiva illa potestas, quam n. 6. explanavi, in negativis sententiis efficit, ut *modo* cum *ne*, *non*, *nullum* compositum idem fere exprimat, quod *ne quidem.* Germani loquuntur *auch nur.* Negatio autem vel in eadem parte sententiae cum *modo* vel in praecedente ponitur. His vero negationibus similes sunt sententiae, in quibus dicitur *vix — modo.*

Caes. B. gall. 6, 8. *illi — impetum modo ferre non potuerunt, ac primo concursu in fugam coniecti proximas silvas petiverunt.* 7, 52. *ne parvum modo detrimentum in contentione propteri niquitatem loci accideret.* 7, 66. *nam de equitibus hostium quin nemo eorum progredi modo extra agmen audeat ne ipsos quidem debere dubitare.* 7, 77. *neque erat omnium quisquam, qui adspectum modo tantae multitudinis sustineri posse arbitrarentur.*

Plaut. Epid. 1, 1, 13. *vix adipiscendi potestas modo fuit.*

17. In iis, quae fieri iubemus, iussum ipsum intendimus alia omnia removendo. Dicimus enim, ut aliquid fiat aliis rebus omissis et uni, quam iubemus, rei suo

quasi modo vindicato. Atque hoc duplicem habet vim. Nam aut rem respicientes admonemus, ne quid aliud agatur, neu quid magis curetur, aut ob temporis moram aliquem cohortamur, ne cesset, neu remoretur. Vtrumque hoc germanice dicitur *ohne weiteres*, *nur*.

Plaut. Men. 4, 1, 4. *sequere hoc modo.* Asin. 5, 2, 26. Rud. 3, 3, 29. *sedete hic modo.* His reiicit Trachalio dubitationem a Palaestra obiectam. Ovid. Art. am. 1, 269. *prima tuae menti veniat fiducia, cunctas posse capi: capies: tu modo tende plagas.* Virgil. Ecl. 8, 78. *nectc, Amarylli, modo, et Veneris, dic, vincula necto.*

Liv. 8, 4, 10. *usurpate modo postulando eo, quod illi vobis taciti concedunt.* i. e. ne dubitate usurpare.

18. Haec eadem est ratio, qua admonitioni maiorem vim per particulam *modo* adiicimus, et vel acriter urgemus vel impatientius aliquid requirimus. Formulae sunt indignationis *i modo*, h. e. *geh nur*, *tace modo*, *age modo:* postulationis *mane modo* i. e. *warte nur*, *sine modo.* *Vide modo* loquitur is, qui alium admonet, ut sibi caveat, ne mendacio falsus deprehendatur. vid. Cort. ad Cic. Epist. 8, 2, 2. Similiter *cave modo.* Pronominibus *vos* et *tu* praemissis *modo* coniungitur saepissime, ut cohortatio gravior fiat.

Plaut. Men. 1, 4, 32. *propera modo.* Cic. Div. in Caecil. 14, 46. *vide modo: etiam atque etiam considera.* Ovid. Art. am. 1, 477. *Penelopen ipsam, persta modo, tempore vinces.*

Horat. Sat. 2, 3, 275. *adde cruorem stultitiae atque ignem gladio scrutare modo, inquam. Hellade percussa, Marius quum praecipitat se, cerritus fuit? an* etc. Heindorfius hanc verborum interpunctionem a Vossio factam existimavit necessariam esse. At falsa est, nec latina. Nam in hac sententia post *adde* nec verbo *inquam*, nec particulae *modo* ullus conceditur locus. Quis dixerit hic: *so wühle doch, sag' ich?* Optime vero coniunguntur verba: modo cerritus, inquam, fuit Marius: an absolves eum crimine commotae mentis? Prior enim pars enuntiationis non est interrogatio, in quam exit oratio inversa.

Plaut. Rud. 4, 4, 83. *cedo modo mihi istum vidulum.* Merc. 2, 2, 52. *vide sis modo etiam.* i. e. *so sieh mich doch auch an.*

Plaut. Trin. 2. 4, 182. *quin tu i modo.* Stich. 3, 2, 23. *i modo: alium convivam quaerito tibi in hunc diem.* Asin. 5, 2, 19. *tace modo.* De *age modo* vide Tom. 1. p. 210.

Plaut. Men. 5, 5, 23. *mane modo: etiam percontabor.* Curc.

5, 2, 55. *sine modo.* Pseud. 1, 3, 10. *sine modo ego abeam.* 1, 2, 86.

Coelius ad Cic. 8, 2, 2. *vide modo, inquis.* Petron. 51, 5. *numquid alius scit hanc condituram vitreorum? Vide modo.*

Plaut. Asin. Prol. 5. *age nunc reside: cave modo ne gratiis.* i. e. cave ne gratis egeris.

Virgil. Gc. 3, 72. *nec non et pecori est idem dilectus equino. Tu modo, quos in spem statues submittere gentis, praecipuum iam inde a teneris impende laborem.* Vbi Vossius miro modo interpretatur *aber, doch.* Propert. 2, 15, 49. *tu modo, dum licet, hunc fructum ne desere vitae.* Virgil. Aen. 4, 50. Phaedr. 2, 8, 8. *at ille supplex, vos modo, inquit, parcite.* ubi Burmannus pessime interpretatur *solum, tantum.* Curt. 9, 6, 24. 9, 2, 25.

19. Si agendi nullum obstat impedimentum, nec aliud quidquam reliquum est, provocationi propria est haec particula, sive cum coniunctivo, sive cum imperativo coniuncta. Dicimus *nur, immerhin.*

Cic. p. Rosc. Am. 35, 101. *veniat modo: explicet volumen suum illud* etc. i. e. *er mag nur kommen.* Liv. 9, 31, 12. *conniterentur modo uno animo omnes invadere hostem.* Virgil. Aen. 2, 160. *tu modo promissis maneas.*

Cic. Lael. 9, 32. *tu vero perge.* Codex gothan. *tu modo perge.* quod est: nihil impedit, quo minus pergas.

20. Vbi acquiescimus in aliqua re, quam primariam conditionem aliarum rerum putamus, particula *modo* coniunctivo adiecta indicamus aliis omnibus ante omnes hanc, quam dicimus, esse tenendam, et quae fiat, curandam: reliqua per se esse sequutura.

Plin. Epist. 3, 17, 2. *ego viaticum, ego etiam praemium dabo: nuntiet mihi modo, quod opto.* Hoc non est: praemium dabo ea conditione, ut mihi, quod opto, nuntiet. Cic. ad Fam. 9, 16, 22. *sed quid haec loquimur. Liceat modo isto venire.* 10, 10, 5. *quare sit modo aliqua respublica, in qua honos elucere possit: omnibus, mihi crede, amplissimis honoribus abundabis.*

21. Sed ipsum votum etiam per *modo* exprimitur, ut optata res tamquam primaria, reliquis vel exclusis vel exceptis, nuncupetur. Germani dicunt *möchte es nur geschehen.* Per *modo ut* interponi conditionem, supra iam monuimus. Atque his verbis, vel etiam

omisso *ut*, sollicitum animum significat, qui de re agenda dubitat.

Terent. Ad. 3, 4, 62. *utinam hic sit modo defunctum.* Propert. 1, 7, 1. *dum tibi cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae — atque — primo contendis Homero, sint modo fata tuis mollia carminibus.* Tibull. 3, 6, 9. *vos modo proposito, dulces, faveatis, amici.* Formula est *licent modo.* Ovid. Met. 8, 38. Cf. Markland. ad Statii Silv. 5, 3, 68.

Coel. ad Cic. 8, 14, 9. (video) *exercitum conferendum non esse. Omnino satis spatii sit ad considerandas utriusque copias et eligendam partem.* Quid coniunctivus sibi vellet, nemo declaravit. Tamen defendent hodierni huius formae patroni. Orellius scripsit *est*, nimis audacter. Sed Ascensius unde ea sumserit, quae interpretatur, nescio, tamen bona sunt: *exercitum conferendum non esse omnino. Modo satis spatii sit* etc.

Terent. Phorm. 1, 2, 8. *scies: modo ut tacere possis.* Cic. de Fin. 1, 8, 29. *probabo, inquit: modo ista sis aequitate, quam ostendis.*

Terent. Heaut. 4, 1, 4. *at ut satis contemplata modo sis, mea nutrix.* xv. *Satis.* i. e. *dafs du nur ja recht genau ihn angesehen hast.*

22. In familiari sermone Latini utuntur hoc vocabulo, uti Germani particula *nur*, ut indicent nihil aliud esse reliquum, vel iustum esse agendi tempus. Itaque caussa cum temporis notione congruit, quemadmodum *nur* et *nun* eiusdem sunt originis.

Terent. Andr. 3, 4, 15. *domum modo ibo: ut apparentur, dicam.* i. e. iam tempus est, ut domum eam: *ich will nur nach Hause gehen.*

23. De verborum *non modo* significatione et structura vide in NON.

II. Iam de tempore. Atque non magis ii errant, qui *modo* affirmant ipsum significare *nunc*, quam ii, qui negant *modo* de praesenti tempore dici. Nam haec particula non per se indicat tempus, sed supposita temporis notione, eam distinctius definit. Nimirum conveniunt in hoc usu multae linguae. Graeci enim habent ἄρτι, ab ἄρτιος factum, Germani *eben*. Latini vero *modo* dixerunt, quasi *cum modo*, quod etiam in formam *commodum* abiit. His vero omnibus significatur, hoc ipsum intelligi tempus, quod intelligendum sit distincte

determinatum: sed latinum vocabulum id exprimit restrictione quadam in opponendis diversis temporibus. Etenim quum aliquid modo factum esse dico, intelligo non olim esse factum, aut quum loquor de re modo futura, restringo notionem futuri temporis, et proximum eius initium indico. Similiter germanicum *nun* et temporis praesentis notionem alius temporis ratione statuit, et cognationem habet cum vocabulo *nur*.

1. Primum igitur dicunt Latini *modo* quasi pro *nunc modo*, i. e. hoc ipso tempore, quo res evenit: ut Germani vel *gerade*, vel *eben* pro *jezt eben*, Graeci ἄρτι: nec perspicio caussam, quapropter Hermannus contra Zeunium neget, hanc significationem primo loco posse collocari: nam ἄρτι et ἀπάρτι in se habet notionem apti, exacti, definiti. Donatus ad Terent. Ad. 3, 1, 2. *evidenter hic modo temporis praesentis adverbium est.* Priscianus 18. p. 1168. *Romani quoque adverbium modo in eadem utriusque significatione ponunt. Terentius in Phormione: modo apud portum meumne? modo dixit pro nuper. Idem in Eunucho: modo ait, modo negat pro nunc ait, nunc negat. Donatus in secunda arte de nomine: sed modo generaliter dicimus, pro nunc dixit modo.* Sed fortasse aliquis dicat in his praesens verbi pro praeterito poni. Tamen manet praesentis ratio in definitiva particula, quae proprie significat: eo ipso tempore, quo quid fit. Immo vero cum perfecto compositum *modo* etiam id exprimit, quod factum nunc adest. Vide n. 2.

Terent. Ad. 3, 1, 2. *modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.* Hec. 3, 5, 8. *advenis modo.* Quae Burmannus ad Phaedr. 2, 8, 8. contra Donatum disputat, speciosa subtilitate nihil efficiunt: neque tamen ea vera sunt, quae Vossius ad Catull. p. 39. monuit. Propert. 1, 11, 1. *ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Baiis — et modo Thesproti mirantem subdita regno, proxima misenis aequora nobilibus, nostri cura subit memores.* h. e. *eben.* In Liv. 38, 54, 4. varia est scriptura verborum *nunc* et *modo.*

Asconius in Cic. Orat. in Verr. 1, 3, 7. *de furtis tacet modo, quasi [non] idoneis ad furorem avaritiae.* Hic interpretantur *tacet nunc.* Ego vero intelligo affirmationem rei singularis.

Plaut. Epid. 5, 1, 43. *quid? ego modo huic frater factus, dum intro eo atque exeo?* Trin. 4, 2, 63. *devoravi nomen imprudens*

modo. Men. 5, 7, 31. *ne tibi suppetias tempore adveni modo.* i. e. adsum nunc.

2. Quoniam in constituendis temporum rationibus aut id respicitur, quod alii tempori opponitur idque ipsum excludit, aut ratio consideratur, quae inter diversa tempora intercedit, et qua transitus fit ex alio in aliud tempus, vocabula esse debent, quae utrumque exprimant. Atque regredimur per temporis spatium vocabulis *nunc*, *modo*, *paullo ante*, *nuper*, *olim:* in quibus *modo* indicat tempus tam proximum, ut pro praesenti haberi possit, tamen non est praesens, nec plane praeteritum, ut ipsum possit praeteritum vocari. Ex praesenti statu respicimus ad antecedens tempus. Ita fit, ut *modo* cum verbis perfecti temporis coniunctum significet proximum antecedens tempus, illis, quae dixi, nominibus *nuper*, *olim* oppositum. Plaut. Amphit. 2, 2, 60. *iamdudum*, *pridem*, *modo.* Terent. Eun. 4, 4, 30. PH. *Quando?* DO. *Hodie.* PH. *Quamdudum?* DO. *Modo.* Sed potest etiam hoc modo id significari, quod ex alio tempore in praesens perducitur, et quod *modo* factum dicitur, id in praesenti apparet esse. Nam quae cum praesenti verbi requirunt *nunc*, in perfecto habent *modo: nunc sum*, *modo factus sum.* Cum imperfecto componitur *modo* in relativis sententiis, ut exprimatur, quae improvisa et subita mutatio rerum facta sit. Sequitur enim *nunc:* sed omittitur etiam saepe. vd. Burmann. ad Phaedr. 1, 9, 9.

Opponitur *nuper*, h. e. tempori longius remoto: Cic. in Verr. 4, 3, 6. *nuper homines nobiles huiusmodi, iudices, et quid dico nuper? immo vero modo ac plane paullo ante vidimus, qui forum ac basilicas non spoliis provinciarum, sed ornamentis amicorum — ornarent.*

Opponitur *nunc.* Plaut. Amph. 2, 2, 63. *qui nunc primum te advenisse dicas, modo qui hinc abieris.* Cic. ad Fam. 4, 13, 7. *in qua urbe modo gratia, auctoritate, gloria floruimus, in ea nunc iis quidem omnibus caremus.* p. Mur. 40, 86. *modo maximo beneficio populi romani ornatus, fortunatus videbatur —: nunc idem squalore sordidus, confectus morbo — vester est supplex.* 41, 88. Propert. 1, 18, 7. *qui modo felices inter numerabar amantes, nunc in amore tuo cogor habere notam.* Curt. 4, 14, 21.

Sequitur *tunc.* Tacit. Ann. 2, 75. *miserantibus cunctis, quod femina nobilitate princeps pulcherrimo modo matrimonio inter ve-*

nerantis gratantisque adspici solita, tunc feralis reliquias sinu ferret.

Plaut. Aul. 5, 20. *quod modo fassus es esse in arca.* Amph. 1, 1, 254. *quin quae dixisti modo, omnia ementitus.* Poen. 5, 5, 45. Rud. 5, 1, 2. Ennius apud Cic. Tusc. 3, 18, 39. *hiccine est ille Telamon, modo quem gloria ad coelum extulit?* Cic. de Leg. 2, 2, 4. *quin ipse, vere dicam, sum illi villae amicior modo factus.* Liv. 22, 30, 2. *progressus ante alios magister equitum quum patrem Fabium appellasset, — parentibus, inquit, dictator, quibus te modo nomine, quo fando possum, aequavi, vitam tantum debeo, tibi quum meam salutem, tum omnium horum.* Vocabulum *meis* omisi post *inquit*, quippe quod sine dubio ex adscriptis verbis *vel diis* ortum sit, nec in libris non interpolatis legitur. 22, 29, 11. *vos, milites, eos, quorum vos modo arma dexteraeque texerunt, patronos salutabitis.* Cic. de Nat. d. 1, 21, 57. *quaeras, putemne talem esse, qualis modo a te sit exposita.*

Curt. 4, 1, 1. *Darius, tanti modo exercitus rex, — per loca, quae prope immensis agminibus impleverat, iam inania et ingenti solitudine vasta fugiebat.*

Liv. 22, 14, 7. *qui modo Saguntum oppugnari indignando non homines tantum, sed foedera et deos ciebamus, scandentem moenia romanae coloniae Hannibalem lenti spectamus.* Tacit. Ann. 2, 19. *qui modo abire, trans Albim concedere parabant, pugnam volunt, arma rapiunt.* Phaedr. 1, 9, 9. *qui modo securus nostra irridebas mala, simili querela facta deploras tua.*

Plin. Pan. 61, 8. *modo praetextas exuerant: resumant: modo lictores abire iusserant: revocent.*

Restituendum mihi videtur *modo* apud Livium 21, 17, 9. *duas legiones romanas et decem millia sociorum peditum, mille equites socios, sexcentos Romanos Gallia provincia modo versa in punicum bellum habuit.* Libri scripti omnes *eodem*, quod critici mutarunt in *eodem anno.*

3. Quum quod modo factum dicimus, manu quasi amplectamur aut ante oculos positum videamus, particula etiam sententiae addit affirmationem rei vere factae.

Petron. 42, 3. *homo bellus, tam bonus Chrysanthus animam ebullit. Modo, modo me appellavit. Videor mihi cum illo loqui.*

Cic. de Off. 1, 8, 26. *declaravit id modo temeritas C. Caesaris.* Locus est Virgilii, in quo grammaticis absurdae sententiae placuere, Aen. 5, 493. *quem modo navali Mnestheus certamine victor consequitur.* Urbanus, antiquus criticus, *modo* pro *propemodum*, *pene* accepit, quod prorsus falsum: Servius pro *nu-*

per, quod inane: alii aliter. Nominat poeta Maestheum *modo victorem*, ut qui sua virtute verus esset victor, etiamsi non primo praemio ornatus. 11, 141. *quae modo victorem Latio Pallanta ferebat.*

4. Offensionem praebuerunt criticis ii loci, in quibus *modo* de tempore aliquanto remotiore esset intelligendum. Quare Heusingerus et Beierus ad Cic. de Off. 2, 21, 75. Dukerus ad Flor. 1, 11, 8. et ante eos Gronovius Observ. 4, 18. exemplis demonstrarunt usum de longo tempore. Atque ratio in eo cernitur, quod, ubi ita loquimur, longinquitatem temporis non annis metimur, sed recentem rei memoriam tenemus.

Liv. 6, 40, 17. *si hodie bella sint, — quale gallicum modo, quum praeter Capitolium atque arcem omnia haec hostium erant* etc. Intererant viginti duo anni. Cic. de Div. 1, 44, 99. *Caeciliae, Q. filiae, somnio modo marsico bello templum est a senatu Iunoni Sospitae restitutum.* de spatio quadraginta sex annorum. ubi Giesius. Liv. 22, 14, 13. ubi Duker. Cic. de Off. 2, 21, 75. *modo enim hoc malum in hanc rem publicam invasit.* i. e. ante annos circiter centum, fortasse septuaginta.

5. *Modo denique* et *modo demum* fere idem significant atque *nunc denique* et *nunc demum*, ut sint *non antea*, *non olim*, nisi quod praesentia rei ex tempore proximo colligitur. Sed *modo nunc*, quod est *jezt eben*, potest etiam praeterito tempori directe opponi, ut sit *jezt eben*.

Ovid. Met. 7, 15. *cur quem modo denique vidi, ne pereat timeo.* Medea ait se nunc primum Iasonem vidisse. 3, 650. *tamquam modo denique fraudem senserit.*

Terent. Andr. 5, 3, 11. *modone id demum sensti, Pamphile?* Cf. Tom. 2. p. 252.

Tibull. 1, 1, 25. *iam modo nunc possum contentus vivere parvo.* h. e. nunc quidem, pace restituta, militia solutus: *nun kann ich jezt doch mit Wenigem zufrieden leben.* Cf. p. 154. Virgil. Aen. 9, 140. *peccare fuisset ante satis, penitus modo nunc genus omne perosos femineum.* h. e. eos, qui nunc demum totum genus feminarum perosi esse debeant.

6. Brevissimum temporis spatium intercedens in iis sententiis apparet, in quibus additur, quod repente et confestim subsequutum est. *Modo* enim significat *eben noch*.

Cic. Phil. 2, 27, 65. *modo egens, repente dives.*

7. Sed non tantum ad superius tempus particula respicit, sed etiam proximum tempus procedens et subsequens complectitur, ut germanicum *eben* de eo, quod statim fit, sive paullo post. Inde factum est *postmodo*, quod vide.

Plaut. Truc. 3, 2, 24. *Strabacem hic opperiar modo, si ruri veniat.* **Id alias** *nunc-opperiar* **dicitur. Liv. 26, 15, 13.** *quum Flaccus negaret, profecto satis compotem mentis esse, modo, prohiberi etiam se, si id vellet, senatusconsulto, diceret, tum Iubellius — inquit* **etc.**

Terentii verba, quae p. 641. ex Andr. 3, 4, 15. attuli, *domum modo ibo*, **etiam simul ad tempus referri possunt. Ovid. Met. 10, 522.** *nuper erat genitus, modo formosissimus infans.* **Tacit. Ann. 6, 32. vide n. 14.**

8. Hanc particulam non significare *nunc*, etiamsi pro eo ponatur, nec de tempore praeterito proprie dici, sed quodcumque iustum tempus, quo quid fiat aut factum sit aut futurum, id nullo alio argumento magis comprobatur, quam quod apparet in eo usu, quo *modo* cum aliis temporum nominibus confertur, et germanico *bald — bald* redditur. Significat enim *aliquo* sive *suo tempore*, *aliquando*, et de duobus pluribusve temporibus *alias — alias*. Quod Germani dicunt *zu Zeiten*, referebant Latini ad modum ita, ut notionem temporis praesumerent et solam definitionem tenerent. Itaque bis terve ponitur de rebus diverso tempore actis, sive de una actione ad diversas res commutata vice relata. Imprimis opponuntur ita verba *hoc — illud. Modo sic*, *modo sic* loquitur rusticus apud Petron. 45, 2. de inconstantia rerum humanarum: nos *bald so*, *bald so*. Sed *modo — modo* etiam de rebus ipsis earumque partibus alterna vice apparentibus dicuntur. Vid. n. 10: quae sententiae etiam per *quum — tum*, *et — et* enuntiari possunt. Ceterum nulla erat caussa, quapropter Doederlinus Synonym. T. 4. p. 276. contenderet, *modo — modo* legitime tantum de rebus praeteritis dici, sed hac proprietate oblitterata, etiam ad praesentes referri.

Cic de Nat. d. 1, 18, 47. *Cotta meus modo hoc, modo illud.* **2, 19, 49.** *primusque sol — ita movetur, ut, quum terras larga luce compleverit, easdem modo his, modo illis ex partibus opacet.* **de Div. 2, 44, 93.** *quodsi eorum vi coelum modo hoc, modo illo modo temperatur.* **ad Att. 13, 25.** *o academiam volaticam et sui similem, modo huc, modo illuc.* **Catull. 3, 9.**

Terent. Eun. 4, 4, 46. *modo ait, modo negat.* Liv. 9, 8, 11. Curt. 7, 1, 24. *modo Indium adire et oceanum libet: modo coniugum et liberorum patriaeque memoria occurrit.* Sueton. Aug. 83. *animi laxandi caussa modo piscabatur hamo, modo talis aut ocellatis nucibusque ludebat.* Ter positum *modo* vide apud Cic. p. Font. 1, 2. Liv. 22, 12, 7. *et modo citato agmine e conspectu abibat, modo repente in aliquo flexu viae — occultus obsistebat.* Ita enim est restituendum.

Cels. 7, 14. *Meges tres has posuit: modo intestinum eo irrumpere, modo omentum, modo humorem.* Plin. Hist. n. 2, 9, 6. *et modo curvata in cornua facie, modo aequa portione divisa, modo sinuata in orbem.* Curt. 6, 1, 9. *diei quoque unius tam multiplex casus modo spem, modo metum utriusque partis augebat.* Lactant. 7, 12, 39. *easdem semper renasci modo in homine, modo in pecude, modo in bestia.*

Sallust. Cat. 15, 5. *citus modo, modo tardus incessus:* Nonius Marcellus mutato verborum ordine *modo citus, modo t.* Sed particulae iuxta positae non modo nullam habent offensionem, sed magnopere placuerunt veteribus hominibus. Vide Popmam. Iug. 60, 4. *laetos modo, modo pavidos animadverteres.* Cf. Kritz. ad Cat. 56, 4. Liv. 38, 56, 6. *nebulonem modo, modo nugatorem appellat.* ubi defendenda est librorum scriptura. Vide n. 14.

9. In secundo atque in tertio membro aliae particulae, imprimis a poetis et scriptoribus recentioris aevi ponuntur, quae sunt *aliquando*, *interdum*, *nonnumquam*, *saepe*, *rursus*, *nunc*. Quibus omnibus aliae res aliis temporibus factae notantur. Graeci opponunt verba ποτὲ μὲν — ἄλλοτε δὲ vel ἐνίοτε δέ. Vbi duplex *modo* praecedit, *interdum* et *nonnumquam*, quod tertio membro adiicitur, non vices rerum mutatas, sed accedentem rem diversam indicant. Cf. Doederlini Synonym. Tom. 4, p. 275. Sed sequuntur etiam nomina nullis particulis distincta. Vide Toepferum in Actis Soc. Icuens. Tom. 3. p. 174.

Tacit. Ann. 6, 35. *variae hinc bellantium species, quum — Sarmatae omisso arcu — contis gladiisque ruerent: modo equestris proelii more, frontis et tergi vices, aliquando, ut conferta acies, corporibus et pulsu armorum pellerent, pellerentur.* 16, 10. *modo muliebri ciulatu, aliquando sexum egressa voce intensa clamitabat.* Hist. 2, 74. *Vespasianus modo in spem erectus, aliquando adversa reputabat.* Ann. 1, 81. 11, 34.

Sallust. 42, 1. *nobilitas noxia atque eo perculsa modo per*

socios ac nomen latinum, interdum per equites romanum — Gracchorum actionibus obviam ierat. 55, 9. *modo se Metello, interdum Mario se ostendere.* 62, 9. ubi Kritzius. 74, 1. Horat. Sat. 1, 9, 9. *ire modo ocius, interdum consistere.* ubi Heindorf. Ovid. Met. 13, 541. Sueton. Cal. 43. Curt. 10, 7, 12.

Sueton. Ner. 49. *ac modo Sporum hortabatur, ut lamentari ac plangere inciperet: modo orabat, ut se aliquis ad mortem capessendam exemplo iuvaret: interdum segnitiem suam his verbis increpabat.* Aug. 75. Columell. 11, 1, 32. Cornel. Att. 20, 2. *quum modo aliquid de antiquitate ab eo requireret, modo aliquam ei quaestionem poeticam proponeret, interdum iocans eius verbosiores eliceret epistolas.*

Sueton. Tib. 66. *quibus quidem* (libellis) *diversissime afficiebatur: modo ut prae pudore ignota et celata cuncta cuperet, nonnumquam eadem contemneret.* Claud. 15. *in cognoscendo autem ac decernendo mira varietate animi fuit, modo circumspectus et sagax, modo inconsultus ac praeceps, nonnumquam frivolus amentique similis.* Aug. 41. Calig. 52. vide Tom. 1. p. 249. Oudendorp. ad Bellum Hispan. 5.

Horat. Sat. 1, 10, 11. *sermone opus est modo tristi, saepe iocoso.* Sallust. Iug. 45, 2. *item in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse.* Tacit. Hist. 4, 84. *qui versus animi modo numen pavescere, modo minis adversantis populi terreri: saepe donis promissisque legatorum flectebatur.*

Tacit. Ann. 11, 16. *celebrari, coli, modo comitatem et temperantiam nulli invisam, saepius vinolentiam ac libidines, grata barbaris, usurpans.* 14, 10.

Taciti Hist. 3, 83. *aderat pugnantibus spectator populus, atque in ludicro certamine hos modo, rursus illos clamore et plausu fovebat.* Sed abest *modo* a codicibus, et eiecit Gronovius. Propert. 1, 3, 41. *nam modo purpureo fallebam stamine somnum, rursus et orpheae carmine fessa lyrae.*

Ovid. Met. 13, 922. *nam modo ducebam ducentia retia pisces, nunc in mole sedens moderabar arundine linum.* Fast. 4, 643. *nam modo siccus erat gelidis aquilonibus annus: nunc ager assidua luxuriabat aqua.* Trist. 1, 2, 27. Tacit. Hist. 2, 51. *ad Verginium versi, modo ut reciperet imperium, nunc ut legatione apud Caecinam ac Valentem fungeretur, minitantes orabant.* Inverso ordine Liv. 8, 32, 9. *quum — nunc quereretur —, modo — vociferaretur.*

Rhetor. ad Herenn. 3, 14, 24. *deinde modo acriter, tum cle-*

menter, moeste, hilariter in omnes partes commutabimus, ut verba, ita pronuntiationem.

10. Quae in tempore fiunt diversa, vicem mutant, et quod modo apparuit, postea aliter se habet. Hac ex caussa componuntur sententiae per *modo — deinde*, sive *postea*, sive *tum*, ubi Germani dicunt *erst — dann*, sive *einmal — dann*. Sic factum est, ut *modo — tum* apud recentiores scriptores pro *modo — modo* diceretur. Sequitur tertio loco *postremo* vel *postremum*. Quae forma adeo ad res earumque partes transfertur, in quibus ab inferiore parte ad superiorem adscendere videmur. Plinius *modo — modo* scripsit pro *modo — deinde*.

Cic. de Nat. d. 1, 12, 31. *facit enim* (Xenophon) *in iis, quae a Socrate dicta retulit, Socratem disputantem, formam dei quaeri non oportere: — et modo unum, tum autem plures deos.* 2, 40, 102. *sol — modo accedens, tum autem recedens binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit.* 1, 13, 34. *et modo mundum, tum mentem divinam esse putat.* 1, 13, 35.

Valer. Max. 7, 4, 5. *modo hos obsidebat montes, paullo post ad illos transgrediebatur.*

Sueton. de Rhet. 6. *declamabat autem genere vario: modo splendide atque adornate: tum — circumcise ac sordide.*

Tacit. Hist. 4, 46. *modo Mucianum, modo absentem principem, postremum coelum ac deos obtestari.*

Tacit. Hist. 3, 85. *Vitellium infestis mucronibus coactum modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque rostra aut Galbae occisi locum contueri, postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini iacuerat, propulere.*

Sallust. Iug. 93, 4. *et forte in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa paullum modo prona, deinde flexa atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert: cuius ramis modo, modo eminentibus saxis nisus Ligus in castelli planitiem pervenit.*

Plin. Hist. n. 35, 10, 36, 12. *ne dilectae quidem respectu motus, ut quae modo regis fuisset, modo pictoris esset.* i. e. *erst des Königs — dann des Malers Geliebte.*

11. Liberior est compositio, quando in altero membro locum vocabuli *modo* aliud nomen occupat, quod vicissitudinem significat.

Cic. de Leg. 2, 17, 43. *quid agerent, modo timentes: vicissim contemnentes religionis.* i. e. alias contra. *Invicem modo — mo-*

do quomodo Celsus coniunxerit, vide p. 452. Tibull. 4, 1, 91. *quis equum celerem arctato compescere freno possit — inque vicem modo directo contendere passu, seu libeat, curvo brevius compellere gyro.*

12. Graecos, qui post ποτὲ μὲν in altero membro καὶ interdum posuerunt, Latini poetae imitabantur.

Propert. 1, 1, 11. *nam modo partheniis amens errabit in antris, ibat et hirsutas ille videre feras.* Vbi non opus est correctione: at *videre* non dicitur de venatore, sed de eo, qui in silvis puellam suam quaerit: *videre* enim est adspectum non perhorrescere, accedere.

13. Particula, quae tertium membrum adiungit, est *autem:* quemadmodum dicuntur *modo — modo autem*, *modo — tum autem.* Vide Tom. 1. p. 586. Nec praetermittenda est forma, qua *etiam* in altera parte additur.

Cic. de Nat. d. 1, 13, 35. *nec vero Theophrasti inconstantia ferenda est: modo enim menti divinum tribuit principatum, modo coelo, tum autem signis sideribusque coelestibus.* Celsus 5, 28, 14. *modo unum, modo autem plura nascuntur vel in palmis vel in inferioribus pedum partibus.* Editores mutarunt ordinem verborum: *modo autem unum, modo plura n.* non cognito particularum usu.

Celsus 5, 28, 15. *et modo tantum cum prurigine, modo etiam cum inflammatione.* Quintil. 9, 4, 3. *modo magis naturalem, modo etiam magis virilem esse contendunt.*

14. Novum usum critici in eo observasse sibi visi sunt, quod Tacitus in priori membro sententiae omiserit *modo*, in altero adiecerit. Vid. Iac. Gronov. ad Tacit. Hist. 3, 83. Wopkens. in Actis Soc. Traiect. T. 2. p. 125. At falsa erat haec opinio. In iis enim exemplis, quae afferuntur, unum *modo* de subsequente tempore dictum est, et *tum* significat. Vide n. 7.

Tacit Ann. 4, 50. *et ingruebat nox nimbo atrox, hostisque clamore turbido, modo per vastum silentium, incertos obsessores effecerat.* 6, 32. *Artabanus tardari metu, modo cupidine vindictae inardescere.* Non dicitur Artabanus modo metu, modo cupidine vindictae fuisse affectum, sed primum metu, paullo post cupidine vindictae. Apud Livium 38, 56, 6. recte se habet duplex *modo.* vide n. 8. De loco 26, 15, 13. vide n. 7. Apud Aurel. Vict. de Caes. 42, 20. bene intellexit Gruterus scribendum esse: *dum externis motibus modo, modo civilibus exercetur.*

15. Coniunctionibus, quae tempus significant, *quum*, *ubi*, additur *modo*, ut distinctius definiatur rei cum tempore convenientia. Est enim *ipso eo tempore, gerade als, damals eben. Tantum quod*, h. e. vixdum, a Plauto etiam *modo quod* dicitur. Cf. Guilielm. in Plaut. Asin. c. 4. Tom. 3. Gruter. Thesaur. p. 336.

Plaut. As. 5, 2, 77. *modo quum dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram.* Stat. Silv. 3, 5, 37. *qualem te nuper, stygias modo raptus ad undas, quum iam lethaeos audirem comminus amnes, adspexi.* Ita est interpungendum, ne *nuper modo* coniungas, neu cum Marklando corrigendum censeas *prope raptus.*

Terent. Andr. 1, 2, 1. *non dubiumst, quin uxorem nolit filius: ita Davum modo timere sensi, ubi nuptias futuras esse audivit.*

Plaut. Asin. 1, 3, 16. *modo quod accepisti, haud multo post aliquid, quod poscas, paras.*

III. 1. De sede, quam particula in sententiis occupet, critici varias opiniones conceperunt. Sed potest ea et ante vocabulum, quod moderatur, poni et post. Ab initio sententiae collocatur cum maiori vi, praesertim in interrogatione.

Terent. Andr. 5, 3, 11. *modone id demum sensti?* Liv. 22, 14, 13. *modo C. Lutatio quae alia res quam celeritas victoriam dedit?* Horat. Sat. 2, 3, 276. *modo — cerritus fuit?*

Cic. de Off. 2, 8, 29. *itaque parietes modo urbis stant et manent.* Alios libros sequutus Schützius scripsit *parietes urbis modo.* Beierus, praeposito nomine *urbis*, necessarium putat hunc ordinem: *urbis parietes modo.* Hoc esset *die Stadtmauern nur stehen.* Melior igitur vulgata lectio est, nec tamen prorsus falsa ea, quam Schützius elegit. Tacit. Agr. 8. *sed primo Cerealis modo labores et discrimina, mox et gloriam communicabat.* Cod. vatican. *labores modo*, uti Ann. 1, 71. *armis modo et equis ad bellum sumptis.* Neutrum praestat alteri.

2. De mensura vocabuli *modo* exstant praecepta veterum grammaticorum. Probus p. 1424. *modo adverbium constat pyrrhichio: ut: tu modo nascenti puero: at si nomen fuerit, iambo.* Paull. Diacon. ex Festi libr. *modo quum per correptam o dicitur, significat et tempus, ut modo venit, et ponitur pro tantum, ut tace modo. Quodsi producta posteriore syllaba enuntietur, dativus vel ablativus est casus ab eo, quod est modus.* Sed Cicero in Arateis de Nat. d. 2, 42, 107.

huic non una modo caput ornans stella relucet. Schellerus hoc excusavit eo, quod Cicero adverbium non a nomine distinxisset. In Virgilii Aen. 1, 389. cod. parrhas. et edit. venet. *perge modo teque hinc reginae ad limina perfer.* Sed Wagnerus iam observavit huius mensurae nullum apud Virgilium inveniri exemplum. Nec Gesnerus emendationem in Horatii Epist. 2, 2, 199. a se factam, *pauperies immunda modo procul absit*, audacter defensurus esset. Nam in versibus a Cicerone compositis alia quoque reperiuntur, quae a bonorum poetarum usu ac diligentia abhorrent.

*) In scriptis libris commutari videmus ob simile compendium scribendi *modo* et *non*: cf. Lambin. ad Cic. Partit. Orat. 33, 114. ad Epist. ad Att. 12, 30. Drakenb. ad Liv. 4, 56, 6. 9, 11, 11. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 448. Omissum saepe est alterum ex binis. vid. Kritz. ad Sallust. Iug. 93, 4.

MORDICVS. MORDICITVS.

MORDICVS ex stirpe verbi *mordere* esse profectum, per significationem constat. Sed obsolevit verbum *mordico*, quod analogia requirit. Nam ii scriptores, qui *mordicare*, *mordicans* dixerunt, infimae sunt aetatis. Forma autem eadem est, quam habet *secus*, adiectivis communem: quamquam etiam huius adiectivi exempla antiqua desunt. Nam quod legitur apud Hyginum Fab. 273. de Glauco: *quem equi mordici distraxerunt.* ob ipsam sententiam auctoritate caret.

1. Significatio una est propria, altera per metaphoram translata. Nam *mordicus* fit, quod dentibus et mordendo fit, ὀδάξ, *mit den Zähnen.*

Lucilius apud Nonium 2, 539. *mordicus petere aurum e flamma expediat, e coeno cibum.* **Plaut. Menaech. 1, 3, 12.** *nam si amabas, iam oportebat nasum abreptum mordicus.* **Curc. 5, 1, 7.** *ut eum eriperet, manum arripuit mordicus.* **i. e. dentibus. Varro de Re r. 2, 7, 9.** *ille impetum fecit in eum ac mordicus interfecit.* **Cic. de Nat. d. 2, 49. 124.** *usque eo premere earum capita mordicus, dum illae captum amitterent.* **ad Quint. fr. 3, 4.** *auriculam fortasse mordicus abstulisset.* **Plin. Hist. n. 8, 37, 54. 9, 15, 17. Columell. 7, 13, 14. Sueton. Caes. 64. Apulei. Met. 9. p. 233, 11. Florid. p. 366, 14.**

2. Cadentis latinitatis auctores unam notionem tenacis complexus huic adverbio tribuerunt, non dentium ratione habita: quod vix probari poterit.

Apulei. Met. 3. p. 132, 1. *ac mox alium pedibus meis mordicus inhaerentem — peremi.*

3. Transfertur ad animum, qui aliquid tenaciter apprehendit et retinet. Qui hodie scribunt latine, male uti solent hoc adverbio de mordaci invidia et pro eo, quod Lactantius et Macrobius dixerunt *mordaciter*.

Cic. de Fin. 4, 28, 78. *verba tenent mordicus.* i. e. nullo pacto mutant, sed omni ratione sibi vindicant. Acad. 2, 16, 51. *nam ab omnibus eiusdem visis perspicuitatem, quam mordicus tenere debemus, abesse dicemus.*

4. Aliam formam lexicographi dicunt esse *mordicitus*, quam quum Gruterus in Plauti Aulularia edidisset, variae excitatae sunt opiniones, a nemine satis declaratae. Duo tamen nuper exstiterunt huius vocabuli patroni, Goellerus et Lindemannus. Hic in Comm. 4. de Adverbio p. 13. auctorem adducit Nonium, apud quem 2, 549. legitur: *mordicibus et mordicus pro morsu, pro morsibus:* id enim scribi debere *mordicitus*. Codices vero in Aulul. 2, 2, 57. habent: *asini me mordicus scindant, boves incursent cornibus:* tres codd. palat. et gud. *morsibus*. Apud Apulei. Met. 3. p. 140, 23. duo codd. praebent *mordicitus appetens*, unus florent. praestantissimus *mordicibus*, reliqui omnes *mordicus*. Multi igitur critici utroque in loco *mordicibus* restituendum existimarunt, et *mordices* appellari dentes monstrarunt. Hoc Lindemannus ridiculum monstrum vocat: quod equidem non dixerim, nec tamen nego *mordicitus* fuisse nomen latinum. De significatione syllabae extremae *tus* exposui p. 444. sed cum reliquis exemplis non exacte convenire videtur *mordicitus*, quod ex Lindemanni sententia esset *inde a morsu, vom Bisse her*. Affert tamen ille etiam *pugnitus*, quod Nonius explicat per *pugnis*. Atqui bene dici poterat a Caecilio *qui se malit pugnitus pessumdari*, non item bene *asini me mordicitus scindant*. Quare amplius dubitare liceat. Etiam in Plaut. Capt. 3, 4, 72. cod. palat. sec. praebet *os denasabit tibi mordicibus*, reliqui *mordicus*.

MOX.

Non multum profecisse hucusque videntur etymologi in eruenda origine huius vocabuli. Perottus enim et Vossius haud male *mox* a verbo *movere* deducentes unam notionem celeris motus supposuerunt, et Martinius comparavit *cito* ex *cieo* natum. Alii autem e graeco μόγις factum dixerunt, quod significat *aegre*, *vix*. Doederlinus in Synonym. Tom. 2. p. 137. et T. 3. p. 95. positivum nomen appellat, cuius comparativus sit *ocius*, et iam Schellerus in ὠκέως quaesivit fundamentum. At quae ratio communis vocabuli *mox* et celeritatis et laboris esset, aut quibus aliis exemplis comprobaretur littera *m* praefixa latinis verbis (nam alia est caussa in peregrinis vocabulis, uti ex Ἄρης fit *Mars*), id nemo illorum virorum docuit. Sed ut chaldaicas radices a quibusdam olim effossas praeteream, Hartungius de Casib. p. 229. *mox* cognatum vocat vocabulo *modo:* Ramshornius in Germania invenisse sibi visus est incunabula particulae: nam *mox* factum esse ex *mögen*, ut significaretur *was möglich ist.* Equidem sequor analogiam verborum *frux* a *fruo*, *vix* a *vico*, unde *vices*, *fax* a φάω, atque *mox* a *moo*, quod in *moveo*, uti *boes* in *boves* et contra *movementum* in *momentum*, mutatur, deducendum puto et notionem temporis moti sive promoti teneo.

Ii igitur, qui praecipiunt *mox* proprie significare *statim*, duplici errore falluntur: nam et usu haec vocabula differunt et primitiva significatione, qua *statim* de re stante et se non movente dicitur, ut sit non mutato loco, hoc ipsō tempore. Sed *mox* magis respondet germanico *straks*, a *strecken* facto, et comparari etiam potest saxonicum *fluks* (*flugs*). Prope ad notionem eamdem accedit *actutum*, cui tamen etiam *mox* opponitur (Plaut. Amph. 1, 1, 204.): contrarium est *nunc*. Nam significat *mox* procedens tempus, quod esse potest proximum tempus, in quod ex praesentia transitur, et posterum tempus quodcumque. Quare Festus *quam mox significat quam cito, sed si per se ponas mox, significabit paullo post vel postea.* Germani dicunt *bald*, *bald darauf*, et *späterhin*. Celeritatis notio nec inest in ipso vocabulo primitus, et per speciem brevitatis interdum adhaeret.

1. Vt proximum tempus insequens significetur, *mox* cum omnibus iis verbi formis componitur, quae ad illud tempus indicandum sunt idoneae, et quidem ex praesentis ratione cum futuro. Intellige *nächstens* et *alsbald*. In altera parte sententiae interdum *iam*, saepe apparet *nunc*, et opponitur *ante*. Sed etiam praesens collocatur pro futuro, vel ob brevitatem temporis, vel ob certum eventum.

Plaut. Capt. 1, 2, 91. *ad fratrem, quo ire dixeram, mox ivero.* Merc. 4, 4, 62. *eadem licebit mox coenare rectius.* Quintil. 1, 2, 15. *sit incommmodum: — mox illud comparabimus commodis.*

Cic. ad Att. 10, 4. *praeteriit villam meam Curio, iussitque mihi nuntiari, mox se venturum.* Horat. Epist. 2, 2, 161. *quum segetes occat tibi mox frumenta daturas, te dominum sentit.*

Virgil. Ge. 3, 46. *mox tamen ardentis accingar dicere pugnas Caesaris.* Servius: *id est, postquam Georgica conscripsero.*

Terent. Andr. 3, 2, 5. *mox ego huc revertor.* cf. Cic. de Div. 1, 23, 47. vd. n. 3.

Terent. Eun. 2, 1, 13. *nam aut iam revertere, aut mox noctu te adiget horsum insomnia.* Quae verba adhibeas ad defendenda illa Plauti Cist. 1, 1, 45. *nupsitque hodie, nubet mox noctu.* Cic. de Orat. 1, 32, 148. *verum illa mox: nunc, de ipsa exercitatione quid sentias, quaerimus.* Orat. 49, 163. *de numero mox, nunc de sono quaerimus.* de Fin. 4, 4, 8. *sequitur disserendi ratio cognitioque naturae: nam de summo bono mox, ut dixi, videbimus.* Plin. Hist. n. 2, 107, 111.

Lucret. 5, 1134. *nec magis id nunc est, nec erit mox, quam fuit ante.*

2. Cum praeterito coniungitur in narratione rerum proximo tempore sive non multo post factarum. Est igitur *bald darauf*. Tamen antiquiores scriptores non videntur ita loquuti esse. In ipsis vero posterioris aevi exemplis plurimis non proximum tempus intelligitur: de qua re n. 5.

Curt. 10, 10, 18. *haec, utcumque sunt credita, eorum, quos rumor adsperserat, mox potentia exstinxit.* Tacit. Ann. 1, 67. *equos — fortissimo cuique bellatori tradit, ut hi, mox pedes, in hostem invaderent.*

3. Atque in hac rerum consequutione saepe ad unam brevitatem temporis respicimus, et *mox* dicimus

pro *brevi*, vel etiam pro *cito*, ita tamen, ut duae res consequutionis ratione conferantur. Germani loquuntur *in kurzem*. Ita potest *mox* cum *statim* componi, ubi proximum tempus speciem praesentiae habet.

Cic. de Div. 1, 23, 47. *discedo parumper a somniis, ad quae mox revertar.* Horat. Epist. 1, 17, 55. *nota refert meretricis acumina, saepe catellam, saepe periscelidem raptam sibi flentis, uti mox nulla fides damnis verisque doloribus adsit.* Tacit. Hist. 1, 72. *Sophonius Tigellinus — praefecturam vigilum et praetorii et alia praemia virtutum quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam et virilia scelera exercuit.*

Plin. Paneg. 8, 6. *simul filius, simul Caesar, mox imperator et consors tribunitiae potestatis et omnia pariter et statim factus es.*

Virgil. Ge. 1, 24. *tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum concilia, incertum est.* Charisius p. 184. narrat Gnifonem *mox* pro *cito* accepisse, alios pro *paullo post*. Et Servius tradit exstitisse, qui Virgilium aviditate laudandi citum interitum Augusto optasse dicerent: sed *mox* aut pro *post* accipi debere, aut ad brevitatem vitae humanae referri. I. Henr. Vossius ut ambiguitatem removeret, reddidit *mox* verbis *nur zu bald*, *wenn auch spät:* cui sententiae unum vocabulum non sufficit. Poeta autem ipsa brevitate temporis designari voluit, quam prope Augustus ad divinitatem accessisset.

4. Comici et reliqui poetae interdum *mox* dicunt de rebus pene eodem tempore factis, aut de brevissimo tempore, quod etiam germanicum *alsbald* designat.

Plaut. Men. 2, 3, 76. *ergo mox auferto tecum, quando abibis. nimm also ihn alsbald mit dir, wenn du weggehst.*

Horat. Art. poet. 221. *mox etiam agrestis Satyros nudavit.* Inane erat negotium, quo critici Horatium in satyrici dramatis origine post tragoediam ponenda pugnare cum Aristotele demonstrarunt, aut eum excusare conati sunt. Vtrumque genus antiquissimum fuisse ait Horatius. Redde igitur *mox etiam* verbis *alsbald auch.*

Stat. Theb. 2, 262. *in regem conversi omnes formidine prima, mox audisse negant.* Propert. 4, 6, 37. *mox ait.*

5. Sed non semper breve intelligitur intervallum, quum quid longum, quid breve sit in tempore, ex cuiusque mente atque animo constituitur. Itaque fit, ut

mox etiam longiorem temporis tractum et plures annos comprehendat, et reddi debeat *in den nächsten, folgenden Jahren.* Cf. Broukhus. ad Propert. 2, 2, 11. Inveniuntur autem loci, in quibus modo procedens tempus intelligas: *procedente tempore, im Laufe der Zeit.*

Sueton. Ner. 6. *C. Caesar, rogante sorore, ut infanti quod vellet nomen daret, intuens Claudium, patruum suum, a quo mox principe Nero adoptatus est, eius se dixit dare.* Intererant undecim anni. Lucan. 6, 419. *turbae sed mixtus inerti Sextus erat, — qui mox scyllaeis exsul grassatus in undis polluit aequoreos siculus pirata triumphos.* Quintil. 3, 7, 25. *idem praecipit* (Aristoteles) *illud quoque, quod mox Cornelius Celsus prope supra modum invasit.*

Sueton. Tiber. 26. *nec amplius quam mox tres consulatus — gessit.* h. e. *im Laufe der Zeit:* intelligitur tempus ab anno 771 usque ad annum 784. Aurel. Vict. de Viris illustr. 74, 2. *mox per Murenam in Asia classem Mithridatis et Ptolomaeum regem Alexandriae consuli Sullae conciliavit.* Nunc non haerebimus in rerum falsa, quae visa erat, dispositione.

6. Interdum non tam temporis successio, quam rei continuatio et ordo consideratur: unde Schwarzius et Gierigius ad Plin. Paneg. 8. concluserunt, *mox* significare *porro, praeterea.* Sed ponitur pro *deinde* atque ordinem, quo res factae succedunt, constituit cum aliis huius generis vocabulis *deinde, tunc,* praemisso eo, quod prius aut primo tempore factum sit. At recentioris aevi erat hic usus, non antiqui.

Tacit. Hist. 3, 34. *mox rediit Cremonam reliquus populus.*

Liv. 40, 48, 6. *nam extemplo fusi, fugati, mox intra vallum paventes compulsi, postremo exuuntur castris.* Tacit. Ann. 12, 36. Plin. Hist. n. 6, 30, 35. *simili modo et de mensura eius varia prodidere. Primus Dalion ultra Meroen longe subvectus: mox Aristocreon.*

Plin. Hist. n. 8, 40, 61. *cuius specie delectatus iussit ursos, mox apros, et deinde damas emitti.* Curt. 9, 9, 25. Tacit. Ann. 11, 22. *primum — deinde — mox — post.* Germ. 13. Quintil. 10, 6, 3. 1, 9, 2. Eutrop. 1, 18.

Plin. Hist. n. 24, 12, 67. *spissatur succus ex folliculis aqua coelesti perfusis: mox in pila tusis exprimitur organis: tunc densatur in sole mortariis in pastillos.*

Vellei. Pat. 2, 14, 3. *quae* (domus) *quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Siscnnae est.*

7. Sed in aliis quoque scriptores, qui post Livium vixerunt, usum immutarunt, et per *mox* quodcumque tempus posterius, non distincte definiendum, designarunt. Germani dicunt *späterhin*, *in der Folge*. Cf. Torrent. ad Sueton. Aug. 47. Opponuntur hac ratione indefinita etiam *ante* et *mox*, *primum* — *mox*, *olim* — *mox*. Tum enim *mox* non differt a *post*, *postea*. Quare haud raro librarii *mox* et *post* commutarunt. Vide Virgil. Georg. 1, 260. Broukhus. ad Propert. p. 102.

Sueton. Aug. 47. *nec est, ut opinor, provincia, excepta dumtaxat Africa et Sardinia, quam non adierit. In has fugato Sexto Pompeio traiicere ex Sicilia apparantem continuae et immodicae tempestates inhibuerunt: nec mox occasio aut caussa traiiciendi fuit.* Tiber. 93. *nec ullo mox sermone dignatus est.* Oth. 10. Tacit. Germ. 34. *mox nemo tentavit.* Quintil. 5, 10, 120. *sed dicta sunt omnia, antequam praecipercntur: mox ea scriptores observata et collecta ediderunt.* 12, 10, 18. *tertium mox — adieecrunt genus rhodium.* 12, 10, 42. Florus 3, 19, 2. *primum servile bellum inter initia urbis Herdonio Sabino duce in ipsa urbe tentatum est: — sed hic tumultus magis fuit quam bellum. Mox, imperio per diversa terrarum occupato, quis crederet Siciliam multo cruentius servili quam punico bello esse vastatum?* Plin. Hist. n. 18, 35, 73. *in Hispania et Africa ante omnia ut sicco solo fiant, curant: mox, ut palea substernatur.* 33, 1, 6. *multis hoc modis, ut cetera omnia, luxuria variavit, gemmas addendo exquisiti fulgoris censuque opimo digitos onerando —: mox et effigies varias caelando.* Columell. 11, 3, 9.

Quintil. 1, 1, 21. *ut corporum mox etiam fortissimorum educatio a lacte cunisque initium ducit, ita futurus eloquentissimus edidit aliquando vagitum.* i. e. qui posthac fortissima sunt.

Tacit. German. 13. *ante hoc domus pars videntur, mox rei publicae.* Ann. 12, 29. *prima imperii aetate clarus acceptusque popularibus, mox diuturnitate in superbiam mutans.* Epitom. Liv. 59. *C. Sempronius consul contra Iapydas primo rem male gessit: mox victoria cladem acceptam emendavit virtute D. Iunii Bruti.* Tacit. Ann. 1, 53. *Iulia — ob impudicitiam olim a patre Augusto Pandateria insula, mox oppido Reginorum — clausa.* Hist. 1, 67. Multa alia collegit Herelius in Commentat. philolog. a Rupertio editis Tom. 5. p. 221.

8. Iidem scriptores etiam alias adiecerunt particulas, ut quae breve tempus distinctiore modo definirent,

et *mox* pro *post* positum moderarentur, veluti *paullo mox*.

Plin. Hist. n. 21, 2, 3. *sic coronis e floribus receptis, paullo mox subiere, quae vocantur aegyptiae, ac deinde hibernae.* 28, 11, 49. *medetur dentibus et fabrile glutinum in aqua decoctum illitumque et mox paullo detractum.* 4, 16, 30. *de quibus mox paullo dicemus.* 14, 16, 19, 3.

Plin. Hist. n. 18, 35, 78. *paucis mox horis saevo imbre vaticinatione approbata.*

9. Probabilior et antiqua est ratio, qua tempus posterius per adiectam sententiam describitur, ideoque post *mox* vel *quum* vel *ubi* sequitur. Interdum *mox quum* idem valet quod *simulac*.

Plaut. Poen. 3, 4, 16. *isthaeo volo ergo vos commeminisse omnia, mox quum ad praetorem usus veniet.* Liv. 38, 41, 13. *eumdem mox, quum iam Mutines — manum cum hoste conseruisset, terrorem ab tergo praeuuisse.* Columell. 2, 11, 9. *curandumque, ne florentem segetem tangamus, sed aut antea, aut mox, quum deflorauerit.* Sueton. Aug. 26.

Horat. Carm. 2, 1, 10. *mox, ubi publicas res ordinaris, grande munus cecropio repetes cothurno.* Liv. 3, 52, 7. *quid, si plebs mox, ubi parum secessione moueamur, armata veniat?* Plin. Hist. n. 8, 24, 36. *mox ubi pluribus eodem modo se coriis loricauit, in dimicationem pergit.* Columell. 5, 5, 13. *mox ubi materias vitis exigit, insequitur pampinator.* 11, 3, 5.

Plaut. Cas. 2, 2, 39. *mox magis quum otium mihi et tibi erit, igitur tecum loquar.* Poen. 1, 2, 193. *mox dabo, quum ab re divina rediero.*

10. Cadentis latinitatis sunt formae *mox ut*, *mox quam* pro *simul atque*, quod etiam Germani dicunt *so bald als*.

Flor. 2, 4, 2. *quam mox ut caluere pugna statim in sudorem eunt.* Iulian. apud Paullum in Digest. 7, 4, 13. *fructuarii fructus tunc fieri, quum eos perceperit, bonae fidei autem possessoris, mox quam a solo separati sint.* Vlpian. Fragm. 1, 22. *qui testamento liber esse iussus est, mox quam unus ex heredibus adierit hereditatem, liber fit.* Sulpitii Apollin. Perioch. in Terent. Ad. 10. *mox tamen ut veritas patefacta est, ducit Aeschinus vitiatam.*

11. Vulgus duplicare solet aequales particulas. Itaque comici dicebant *post deinde* (Terent. And. 3, 2, 3.)

et similia. Ex hoc vulgari usu poetae etiam et recentiores oratores *mox deinde*, *mox post* assumsere, vel servata proximi notione vel ea neglecta.

Curt. 10, 3, 12. *mox deinde quum stirpem generis mei latius propagare cuperem, uxorem Darii filiam duxi.* Tibull. 1, 5, 73. *et simulat transire domum, mox deinde recurrit solus et ante ipsas exsercat usque fores.* Ovid. Met. 9, 142. *flendo dolorem diffudit miseranda suum, mox deinde, quid autem flemus? ait.* Columell. Praef. 15. *omnes enim, sicut M. Varro iam temporibus avorum conquestus est, patresfamiliae falce et aratro relictis intra murum correpsimus, et in circis potius ac theatris quam in segetibus et vinetis manus movemus. — Mox deinde ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem laconicis excoquimus.* Gesnerus in vetere libro legi narrat *mox vero:* atque bene Schneiderus monuit, *mox deinde* non apta esse isti sententiae. Neque enim referri possunt ad tempora antiquiora antea commemorata, neque intelligi diei tempus proximum. Corrupta videntur esse. 9, 14, 5. olim legebatur: *sed ii quemadmodum tolli debeant, mox deinde, quum de confectura mellis praecipiemus.* Nunc ex antiquis libris revocarunt *mox dicetur.* Vide Schneiderum p. 499. 3, 12, 5. *Saserna maxime probante solis ortum, mox deinde meridiem, tum occasum.*

Plaut. Cas. Prol. 84. *mox hercle vero post, transacta fabula, argentum si quis dederit, — ultro ibit nuptum.*

12. *Quam mox* de brevitate temporis constituenda usurpatur pro *quam cito*, *quam brevi tempore.* Vide Festum p. 654. memoratum. Et dicitur *quam mox* vel in interrogatione recta, vel in obliqua sententia post verba, imprimis exspectationis. Interdum idem fere significat quod *nunc*, et in admiratione rei citissimae valet idem quod *statim.*

Terent. Eun. 4, 7, 18. *quam mox irruimus?* THR. *Mane.* Plaut. Bacch. 4, 6, 6. *quam mox navigo in Ephesum, ut aurum repetam ab Theotimo domum?* Cas. 3, 6, 16. Men. 1, 2, 44.

Plaut. Amph. 1, 1, 204. *vide sis, quam mox vapulare vis, nisi actutum hinc abeas.* Trucul. 4, 3, 46. *timeo, quam mox nominer.* Terent. Ad. 5, 6, 1. Vlpian. in Digest. 28, 3, 6, 9.

Terent. Phorm. 1, 3, 9. *dum exspecto, quam mox veniat qui adimat hanc mihi consuetudinem.* Cic. p. Rosc. Com. 1, 1. *exspecto, quam mox Chaerea hac oratione utatur.* 15, 44. de Inv. 2, 28, 5. egregiam Ernestius coniecturam fecit, quae nunc antiqua auctoritate firmatur. Nec aliter Ennius apud Cic. de Div. 1,

48, 107. *exspectant, veluti consul quum mittere signum volt, omnes avidi spectant ad carceris oras, quam mox emittat pictis e faucibus currus.* Giesius haud prudenter haec mutavit in *qua mox*, quod etiamsi in libris quibusdam antiquis exstaret, compendium scribendi esset, lineola superimposita. Liv. 3, 37, 5. 5, 45, 1. *corpora curant, intenti quam mox signum daretur.* Optime Gronovius restituit verba. 34, 11, 4. *et quam mox signis collatis dimicandum sibi in dies exspectet.*

Plaut. Rud. 2, 3, 12. *quam mox coctum est prandium?* i. e. *ist das Mittagsmal nun bald bereit?* Stich. 4, 1, 28. Rud. 4, 7, 1. *quam mox licet te compellare, Daemones.* i. e. *wenn eher kann ich dich sprechen?* Idem fere est quod *nunc.*

Plaut. As. 2, 4, 43. *quam mox mihi operam das.* Eodem verba Pseud. 4, 7, 70. Sententia est: quam gratus es. Bacch. 4, 8, 39. *quam mox dico, dabo.* h. e. statim.

13. Recentiores scriptores in usu huius particulae non pauca novarunt, et ita quidem, ut *mox* non tantum de quocumque tempore posteriore, sed etiam de rebus per omne tempus mansuris dixisse viderentur. Veluti Quintil. 12, 10, 49. *quocirca mihi ne hic quidem locus intactus est omittendus, quod plures eruditorum aliam esse dicendi rationem, aliam scribendi putaverunt: ideoque in agendo clarissimos quosdam nihil posteritati mansurisque mox litteris reliquisse.* Gesnerus non sine caussa de integritate vocabuli *mox* dubitavit: nam quod Spaldingius monet esse *deinceps, postquam detonuerunt verba et voces*, propterea non potest approbari, quod *mox* non ad *reliquisse* spectat, et litterae exprimunt id, quod nos Germani *die Litteratur* appellamus. Litterae mox mansurae igitur sunt, quae apud posteros per omne tempus insequens manebunt. Plin. Hist. n. 2, 47, 46. *veteres quatuor* (ventos) *omnino servavere per totidem mundi partes — hebeti, ut mox iudicatum est, ratione.* i. e. a posteris. Sed fortasse negligentior erat Plinius in hac dictione, ut exprimeret sensum verborum *in der Folge.*

14. Grammatici quidam, etiamsi non nescirent, tempus non retro moveri, tamen *mox* etiam de praeterito tempore dici in universum affirmant. Sed quae afferunt exempla vix sufficiunt. Nam in Statii Theb. 12, 815. sive scribas *mox tibi si quis adhuc praetendit nubila livor, occidit et meriti post me referentur honores:* sive cum aliis libris *occidet*, intelligendum est futurum

tempus. Quod vero apud Columellam 3, 20, 4. legitur *de altero, quod mox proposueram, nihil dubito*, non cessabimus emendare *quod modo proposueram.* Addo Ammian. Marcell. 14, 10, 16. *mox dicta finierat, multitudo omnis — consensit in pacem.* Ernestius explicuit *vixdum*, Wagnerus desiderat *vix.*

Veerburgius in Chrestomathia Petronio-Burmann. p. 192. Burmannum castigavit, quod scripserat *ut mox diximus* et alia huius generis multa.

15. Comicis proprium est, quod post *ne* addunt *mox*, cuius significatio non mutatur, sed per proximi temporis notionem exprimitur diligentior cautio vel admonitionis intentio.

Plaut. Men. Prol. 47. *ne mox erretis, iam nunc praedico prius.* Mil. 2, 1, 72. *et mox ne erretis, haec duarum hodie in vicem et hinc et illinc mulier feret imaginem.* In editionibus ita haec verba interpunguntur, ut *mox* ad *hodie* referatur. 4, 4, 32. *ne ille mox vereatur introire in alienam domum.*

16. Temporis, in quo quid observamus, ratio transferri potest ad res observatas. Itaque *mox* de ordine et situ rerum dicitur, et rem post aliam vel infra positam significat. Exempla huius dictionis tantum apud Plinium exstant.

Plin. Hist. n. 6, 30, 35. *ultra eos Dochi, deinde Gymnetes semper nudi: mox Anderae Mathitae.* 6, 10, 11. *rursus ab Albaniae confinio tota montium fronte gentes Silvorum ferae et infra Lubienorum, mox Diduri et Sodii.* 6, 11, 12. 6, 26, 30. *mox in campestribus oppida, Diospage, Polytelia.* 5, 13, 14. 5, 27, 29.

Tacit. Ann. 1, 51. *pars equitum et auxiliariae cohortes ducebant, mox prima legio et mediis impedimentis sinistrum latus unetvicesimani, dextrum quintani clausere.* Haec vel ad ordinis vel etiam ad temporis rationem sunt dicta, nec locum significant.

17. Idem Plinius denique *mox* usurpavit in descensu ad res ignobiliores et minores. Particula enim designat secundum et inferiorem locum.

Plin. Hist. n. 16, 6, 8. *glans optima in quercu atque grandissima, mox esculo.* 25, 13, 95. *maxima vis natae Susis Parthorum, mox laconiae, creticae, asiaticae.* 18, 7, 17. 19, 6, 33. 11, 41, 96. *tenuissimum camelis, mox equis.*

*) *Mox* cum *vix* a librariis commutabatur. Vide Burmann. ad Lucan. 3, 646.

MV.

De voce *mu*, ex qua *mutire* et *mussare* factum esse narrat Charisius p. 213. disputarunt Scaliger ad Varron. de Ling. lat. 6, 5. Gruterus ad Plauti Stich. 1, 3, 102. Guilielmus ad Truc. 4, 2, 11. Lindenbrog. ad Terent. Andr. 3, 2, 25. Nos hic id tantum notamus, apud Charisium exstare verba ex Plauti Coeco sive ex Praedonibus: *quis tu es, qui ducis me? mu! peri hercle! Afer est.* Haec interiectio an dolorem, an stuporem, an desperationem exprimat, hoc uno exemplo non satis constat.

MVLTIFARIAM.

Quid in hac accusativi forma ad sententiam explendam intelligi debeat, facilius cognoscitur in *bifariam.* Adiectivum *multifarius*, quod Festus apud Paullum Diaconum et Priscianus 15. p. 1013. ex *fari* factum esse monstrant, iam antiquo tempore obsoleverat, et in dialecto africana ex adverbio renatum videtur. Quemadmodum vero *magnam partem* Latini dicunt, ita etiam *multifariam*, et in adverbii speciem, sicut *promiscam.* In usu erat etiam *aliquotfariam*, de quo vide Tom. 1. p. 266. *plurifariam* et numeralia *bifariam*, *trifariam* etc. Vide Scaliger. et Gothofred. ad Festum l. l.

Festus: *multifariam dixerunt antiqui, videlicet, quod in multis locis fari poterat.* **Paullus Diac. addidit** *id est dici*, **et omisit** *videlicet.*

Significatio ubicumque una est de partibus aut locis multis, nec ullum exemplum aliam sibi vindicat interpretationem. Tamen non modo scriptores nostri aevi, verum etiam grammatici acceperunt saepe pro *multis modis*, *varie.* Quod quidem barbarum est. Vide Torrent. ad Sueton. Cal. 18. Burmann. ad Ner. 43.

Sisenna Histor. 3. apud Nonium 2, 562. *quod loca palustria quae erant et alte multifariam confossa.* **Cato apud Gellium 3, 7.** *quum saucius multifariam ibi factus esset, tum vulnus capiti nullum evenit.* **Cic. de Leg. 1, 14, 40.** *quae* (iudicia) *quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt.* **de Orat. 2, 41, 174. Liv. 3, 5, 1. 3, 50, 3. 37, 5, 1. 33, 18, 7. Plin. Hist. n. 29, 1, 1. 36, 26, 67. Sueton. Galb. 19. Tib. 52. Gellius 18, 2.**

Plinius hoc adverbium praemittere solebat nominibus terrae, cuius in locis multis aliquid fieri dicendum erat. Hist. n. 18, 18, 57. *multifariam in Italia.* 9, 57, 83. *multifariam in Ponto.*

Idem Plinius *multifarie* semel dixisse videtur 18, 7, 10, 3. *panis multifarie et e milio fit, e panico rarus.* quod esse potest et *multis in locis* et *multum.* Apud Solinum 11. (18.) nemo mirabitur hoc adverbium, cuius adiectivo Gellius utitur 5, 6. In Plinii loco dubitare licet.

MVLTO.

1. Rationem, qua ablativus *multo* adiectivis et adverbiis adiicitur, et speciem adverbii ad augendam vim verborum comparationis induit, non operae pretium videtur multis exponere. Vnum, de quo agam, in compositione verborum positum est. Atque legitime coniungitur *multo* cum nominibus comparativis. Germani loquuntur *um Vieles* et *bei weitem*, quod est *longe.*

Terent. Eun. 4, 5, 5. *certe tu quidem pol multo hilarior.* **Cic. de Orat. 1, 3, 12.** *multo tamen pauciores oratores quam poetae boni reperientur.* **Quintil. 10, 1, 74.** *ut multo infirmior, ita aliquatenus lucidior.* **12, 10, 37.** *ego aliquid, non multo tamen, altius — inveniam.* **Cic. de Div. 2, 15, 35.** *illud vero multo etiam melius.* **Liv. 38, 49, 11.** *plura multo.* **vd. Drakenb. ad 1, 48, 3.**

Terent. Ad. 4, 2, 41. *sane hac multo propius ibis.* **Cic. de Nat. d. 2, 22, 57.** *id multo artificiosius naturam efficere.* **Caes. Bell. gall. 6, 42.** *multo etiam amplius.*

Lucilius apud Nonium 4, 250. *improbior multo, quam de quo diximus ante.*

De verbis *multo magis, multo minus* **vide in his verbis.**

Plaut. Pseud. 4, 6, 32. *is secum abduxit mulierem haud multo prius.*

Liv. 1, 23, 11. *postulare multo minaciter magis quam supplici-ter, ut senatum vocarent.*

Lucret. 5, 545. *laedunt permulto saepe minora.* **Macrob. Somn. Scip. 1, 20.** *Posidonius dicit multo multoque saepius multiplicatam* **(mensuram terrae)** *solis spatium efficere.*

2. Sed etiam cum superlativis *multo* componere solent optimi scriptores, quemadmodum *longe* dicunt. Graeci *πολλῷ μέγιστον*, Germani *bei weitem der gröste.* Kritzius ad Sall. Iug. 7, 5. *multo* et *longe* significare dicit, quantum id, quod summum est, a reliquis rebus, e quibus eminere dicatur, distet. Immo vero indicant eminen-

tiam admodum magnam esse. Sed Herzogius ad Sallust. Cat. 36, 4. in constituendo discrimine verborum *longe* et *multo* nihil effecit: nam quae sit subiectiva mensura in voce *longe*, quae obiectiva et relativa in *multo*, nemo intelligit. Cf. Spalding. ad Quintil. 10, 1, 41. Insolens nec elegans videtur ea forma, in qua *multo* ad vocabulum *maxime*, quod superlativum format, adiicitur.

Lucil. apud **Non. 4, 413.** *et saevo et duro in bello multo optimus hostis.* **Plaut. Truc. 1, 1, 62.** *quod amantis multo pessumum est pecuniae.* **Terent. Heaut. 4, 8, 1.** *multo omnium me nunc fortunatissimum factum puto esse.* **Cic. p. Lege Man. 1, 1.** *quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus — est visus* etc. **Verrin. 4, 23, 50. Liv. 1, 11, 5.** *novissimum ab Sabinis bellum ortum multoque id maximum fuit.* **Cornel. Alcib. 1.** *omnium aetatis suae multo formosissimus.* **Quintil. 2, 10, 1. 9, 4, 26. Horat. Sat. 2, 3, 82.** *danda est ellebori multo pars maxima avaris.* Alia vide apud **Bynkershoekium Praetermis. p. 83.**

Terent. Hec. 1, 2, 85. *atqui ea res multo maxime disiunxit illum ab illa.* **Rhetor. ad Herenn. 4, 44, 58.** *multo maxime per eam exercemur ad eloquutionis facultatem.* **Sallust. Cat. 36, 4.** *ea tempestate mihi imperium populi romani multo maxume miserabile visum est.*

3. Etiam cum positivo componi *multo*, tradunt grammatici, et afferunt Terent. Hec. 1, 2, 83. *postquam hunc alienum ab sese videt, maligna multo et magis procax facta illico est.* At in his *magis* semel positum etiam ad antecedens nomen respicit. Apud Sallust. Iug. 1, 5. scribarum est lapsus.

4. Si quando adverbium post suum nomen ponitur, nec significatio nec grammatica ratio mutatur, sed eo, quod seorsum positum graviore accentu intenditur, etiam oratio maiorem vim obtinet. Goerenz. ad Cic. de Fin. 3, 12, 41. Kühner. ad Tusc. 5, 36, 104.

Terent. Heaut. 5, 2, 4. *scio tibi esse hoc gravius multo ac durius.* **Ad. 4, 5, 71.** *quo vir melior multo es quam ego, obtemperaturos magis.* **Phorm. 5, 3, 8. Cic. de Orat. 2, 46, 192.** *sed alia sunt maiora multo.* **2, 42, 178.** *plura enim multo homines iudicant odio.* **de Fin. 3, 12, 41. Alia vide apud Ottonem ad Cic. de Fin. 1, 20, 69.**

Cic. Tusc. 5, 36, 104. *vir sapiens multo arte maiore praeditus.* **de Nat. d. 3, 27, 69.** *nec vero scena solum referta est his sceleribus, sed multo vita communis pene maioribus.* **Etiam hac collocatione gravior vis et lumen affertur vocabulo *multo*.**

5. Comici componebant verba *multo tanto*, quae significant *tam multo*. Acidalius ad Plauti Stich. 2, 2, 15. in qua forma, inquit, sunt aliquot gradus augmenti: *plus*, *tanto plus*, *multo tanto plus*, *nimio multo tanto plus:* frequentius tamen haec iunguntur *nimio tanto plus*, frequentissime *multo tanto* cum gradu comparativo. Hunc usum comicum oratores postremae aetatis restituerunt. Gronov. ad Gellium 4, 9. extr. Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 382. 474. 717.

Plaut. Rud. 2, 6, 37. *ego multo tanto miserior, quam tu.* Bacch. 2, 3, 76. *ne ille hercle mihi sit multo tanto carior, si me illoc auro tanto circumduxerit.* Men. 5, 2, 49. Apulei. Apol. p. 300, 41. *accipe aliud pari quidem stultitia, sed multo tanto vanius et nequius excogitatum.* Met. 7. p. 194, 25. *humana facie recepta multo tanto pluribus beneficiis honestarer.* Alia multa commemorat Oudendorpius.

Plaut. Stich. 2, 2, 15. *nimio impertior multo tanto plus quam speras.*

6. Nomina, quae diversitatem vel dissimilitudinem vel distantiam significant et differentiam comparatione constituunt, veluti *aliud*, *aliter*, *secus*, *infra*, assumunt *multo*, ut alia huius generis vocabula.

Quintil. 10, 1, 41. *nec multo aliud de novis sentio.* Alii ediderunt *multo aliter.* Vide Spalding. Terent. Andr. Prol. 4. *verum aliter evenire multo intelligit.* Alia vide Tom. 1. p. 274.

Cic. ad Fam. 4, 9, 6. *quod non multo secus fieret, si is rem publicam teneret, quem sequuti sumus.* vide SECVS.

Plin. Hist. n. 19, 3, 15. *diuque iam non aliud ad nos invehitur laser, quam quod in Perside aut Media aut Armenia nascitur large, sed multo infra cyrenaicum.*

7. Vocabulis *ante* et *post*, ubi longior distantia est exprimenda, etiam *multo* praefigitur. Intellige *longe ante, longe post.*

Exempla verborum *multo ante* et *ante multo* vide Tom. 1. p. 374. Adde Terent. Eun. 4, 5, 7. *sed Thais multo ante venit?* ubi Bentleius praeter necessitatem interposuit *me.* Vterque vero ordo verborum optimis auctoribus probatur. Quare ubi codices variant, vel praestantia librorum vel vis orationis, quae in postposito *multo* maior est, argumentum praebent. Cf. criticos ad Cic. de Sen. 2, 6.

Terent. Phorm. 5, 6, 39. *haud multo post cum patre idem recipit se intro denuo.* Liv. 5, 13, 12. *nec ita multo post iam palantes — reliquias pugnae absumsere.* Cornel. Pelop. 2, 4. *neque ita multo post.* Paus. 3, 1. *at ille post non multo sua sponte ad*

exercitum rediit. ubi Bremius. Cim. 8, 4. *post, neque ita multo, Cyprum — missus.*

8. Haec ratio etiam ad verba transfertur, et quum ea, quae antecedere aut praestare dicuntur, etiam longa aut magna distantia possint ab aliis discedere, id vocabulo *multo* exprimitur, quasi sit *multo ante*, *multo magis*. His accedit unum verbum *malle*, in quo inest *magis velle*. Quare dicitur *multo magis velle* et *multo malle*.

Cic. de Fin. 4, 18, 51. *virtutem omnibus rebus multo antoponentes.* ad Att. 12, 25. Tacit. Hist. 4, 13. *Iulius Paulus et Claudius Civilis, regia stirpe, multo ceteros anteibant.* Sallust. Iug. 31, 28. *ad hoc in republica multo praestat beneficii quam maleficii immemorem esse.*

Plaut. Most. 1, 3, 22. *equidem pol vel falso tamen laudari multo malo quam vero culpari.* Poen. 1, 2, 88. Terent. Hec. 1, 2, 35. *quasi tu non multo malis narrare hoc mihi quam ego, quae percontor, scire.* Heaut. 5, 1, 55. ubi vide Bentleium. Cic. ad Att. 12, 21. *meorum iudicio multo stare malo quam omnium reliquorum.*

*) Librarii verba *multo* et *tanto* mutare solebant: vide Heinsium ad Ovid. Fast. 5, 693. et Drakenb. ad Liv. 29, 17, 8.: et *multo* addere comparativis. vide Beierum ad Cic. de Off. 3, 5, 24.

MVLTOPERE.

Multopere quamquam lexicographi nominant, nullo exemplo veterum scriptorum potest comprobari. Nam quod legitur apud Plautum Merc. 1, 1, 65. *multo opere immundo rustico se exercitum*, nemo non videt esse adiectivum.

MVLTOTIES.

Multoties sive *multotiens*, quod significat *vielmals, saepe*, nemo antiquorum scriptorum usurpavit, sed novum vocabulum a iurisconsultis recentissimae aetatis factum et postea a tam multis, qui latine scribebant, est adhibitum, ut omnes fere grammatici, qui in vitiis latinae linguae coarguendis versati sunt, de eo verba facerent. Vide Gerh. Vossium de Vitiis serm. p. 109. et p. 815. Scioppium de Stilo histor. p. 218. 222. Borrichii Cogitation. p. 32. Cellar. Antibarb. p. 76. (74.) Cur. post. p. 279. (312.).

Quod in Epitom. Liv. libr. 57. olim legebatur: *multotiens adversus eruptiones hostium feliciter pugnavit.* iamdudum codicum auctoritate est emendatum.

Interpres Novell. Iustin. Constitut. 29. Praef. de Aquileia: *quae multoties cum ipsis etiam regiis certamen susceperit.* Novell. 125. *mulier licet pro marito multotiens in privato aut in publico debito intercedat, tamen non teneri sancimus.*

MVLTVM.

De significatione et usu adiectivi *multum* non est nobis hic dicendum. Sed neutrum etiam pro adverbio habemus ea ratione, qua accusativi adverbialem speciem et vim recipiunt. Cf. Priscian. 15. p. 1013. extr. Kritz. ad Sallust. Iug. 5, 4. p. 34. Itaque cum aliis nominibus componitur. Atque haec vocabulorum consociatio est, quae etiam significationem immutare possit.

1. Componitur igitur *multum* cum *saepe* et *diu*, modo ut frequentatae rei adiiciat copiosam et multiplicem, modo ut ipsum significet rem saepe et diu factam. Hinc quaedam pleonasmi oritur elegantia. Kritzius ad Sallust. Iug. 1, 5. de caussa quaerens, dicit accusativo exprimi sententiam *respectu multarum rerum, ut in multis fit:* quo parum aut nihil declaratur: nam *multum* non proprie significat, quanta sit res, sed quotuplex, idque duplicem habet rationem, et rerum ipsarum quae sunt et quae apparent. Illae enim sunt multae et copiosae, hae autem saepe fiunt.

Cic. Brut. 34, 128. *P. Scipio, qui est in consulatu mortuus, non multum ille quidem, nec saepe dicebat.* i. e. non copiose, non multis verbis. 90, 310. *idque faciebam multum etiam latine, sed graece saepius.*

Cic. de Inv. 1, 1, 1. *saepe et multum hoc mecum cogitavi.* p. Cluent. 71, 201. de Leg. 3, 15, 33. *multum et saepe quaesita.* p. Quint. 1, 3.

Cic. Orat. 1, 1. *utrum difficilius aut maius esset negare tibi saepius idem roganti, an efficere id, quod rogares, diu multumque, Brute, dubitavi.* Agrar. 2, 32, 87. *de Capua multum est et diu consultum.* Liv. 42, 25, 9. *multum ac diu vociferatum reverti postero die iussisse.* 23, 26, 2. Cf. Oudendorp. ad Cic. de Inv. 2, 19.

2. Cum *longe* coniungitur ea ratione, quam p. 550. exposui.

3. Adiectivis et participiis praeponitur, ut idem sit

quod *valde*, *vehementer*. Participia autem interdum verbali vi valent, ut *multum* dicatur pro *diu*.

Plaut. Stich. 1, 3, 53. *qui ut multum miseri sunt, laborent, nihil moror.* Aul. 2, 1, 5. *nam multum loquaces merito omnes habemur.* Horat. Sat. 2, 3, 147. *hunc medicus multum celer atque fidelis excitat hoc pacto.* Epist. 1, 10, 3. *hac in re scilicet una multum dissimiles.* Sat. 2, 5, 92. Plin. Epist. 1, 9, 7. *multum ineptos labores — relinque.* Male Cortius ad Sallust. Iug. 1, 5. haec interpretatur *saepe ineptos.*

Horat. Epod. 17, 20. *amata nautis multum et institoribus.*

Horat. Sat. 2, 5, 67. *multum Nasica negatas accipiet tandem.* i. e. diu.

4. An etiam cum adverbiis consociari potuerit, non satis constat exemplis. Apud Livium et Plinium legitur *multum infra*, apud Tacitum *multum post*. Est igitur pro *multo* dictum.

Liv. 5, 37, 7. *haud multum infra viam Tiberino amne miscetur.* Plin. Hist. n. 9, 8, 7. *nisi multum infra rostrum os illi foret.* Tacit. Ann. 5, 3. *haud enim multum post mortem eius recitatae sunt.* Apud Cic. Epist. ad Fam. 3, 11, 2. admodum dubia est haec scriptura: *de qua etsi permultum ante certior factus eram litteris, nuntiis.* Lambinus et Martyni ediderunt *permulto*, ut videtur, non de coniectura.

5. Pro *multo*, quod adiicitur comparativis, poetae et antiqui et recentiores etiam *multum* dixerunt. Vid. Oudendorpius et Burmannus et Cortius ad Lucan. 2, 225. Burmann. ad Phaedr. 3, 10, 5. ad Ovid. Heroid. 18, 71. Cum superlativo coniunctum apud unum Gratium inveni Cyneg. 133. *mater odorati pulcherrima turis.*

Plaut. Most. 3, 2, 139. *quin multum improbiores sunt quam a primo credidi.* Iuvenal. 10, 197. *multum hic robustior illo.* ubi quinque codd. *multo.* Statii Theb. 6, 701. *multum felicior exit.* 9, 559. *multumque aliis iactantior umbris.* Alia collegit Cortius ad Lucan. 2, 225. Sil. 13, 707. *martia facta multum uno maiore viro.* Quintil. 10, 1, 94. *multum et est tersior et purus magis Horatius.* 9, 2, 68. *multum ad agendum difficiliorem.* Sed in his locis consensus librorum desideratur: in utroque enim boni quidem libri exhibent *multo*, quod Frotscherus debebat defendere, uti fecerat Burmannus. Variant libri etiam in Ovidii Trist. 5, 11, 7. ubi Burmann. De loco Ciceronis vide n. 8.

6. Cum verbis componitur de quacumque aucta conditione pro *valde* (Cf. Ruhnken. ad Terent. Hec. 3, 5, 10.), sed etiam de frequentata re et de tempore, ut

pro *saepe* et *diu* positum videatur. Cave tamen, ne adiectivum, quod substantivi locum obtinet, pro adverbio accipias: interdum adeo ambigua manet ratio. Apud prosaicos scriptores non frequens est hic adverbii usus.

Plaut. Stich. 3, 2, 40. *multum vale.* Terent. Hec. 1, 2, 7. *salve multum.* Liv. 3, 11, 5. *multum et consules se abstinebant.* ubi Drakenb.

Sallust. Iug. 1, 5. *multumque etiam periculosa petunt.*

Sallust. Iug. 108, 1. *ubi cum Boccho Numida quidam, Asper nomine, multum et familiariter agebat.* Estne adiectivum, an adverbium? Virgil. Aen. 3, 348. *multum lacrimas verba inter singula fundit.* uti Propert. 2, 20 (16), 7. *tantum lacrymas depluit.* Vide Iahnium ad h. l. et Heineckii Animadv. in Iuvenal. p. 105. *Lacrymas fundere* instar unius sunt verbi, cui additur adverbium. Cic. p. Planc. 42, 104. *quas* (lacrymas) *pro me saepe et multum profudistis.* ubi vide Wunderum.

7. Multum esse in aliqua re vel cum aliquo Latini eo modo dicunt, quo Germani *viel in etwas, mit einem seyn.*

Caes. Bell. gall. 4, 1. *multumque sunt in venationibus.*

Cic. ad Fam. 4, 13, 18. *qui me admodum diligunt, multumque mecum sunt.* 13, 16, 8. *nam domi meae cum Diodoto Stoico multum a puero fuit.* de Fato 1, 2. *multum una eramus.*

Cic. ad Fam. 4, 7, 3. *neque tu multum interfuisti rebus gerendis.*

8. *Non multum* et *haud multum* in eum modum formantur, quo *non nihil, non numquam.* Sed usurpatur haec formula non modo ad negandam magnam vel multiplicem rem, sed etiam, quod Graeci dicunt *κατ' ἀντιστροφὴν* sive *κατὰ λιότητα*, plus valet in affirmandum contrarium, ut fere idem sit quod *nihil.*

Caes. Bell. gall. 4, 1. *non multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vivunt.* 3, 25. *quibus ad pugnam non multum Crassus confidebat.*

Cic. ad Fam. 7, 23, 17. *sed opinor Cassium uti non ita multum sorore.* Terent. Hec. 3, 5, 10. *haud multum heredem iuvant.*

Cic. de Orat. 3, 24, 92. *illud rursus ipsum, quod tradunt isti, qui profitentur se dicendi magistros; non multum est maius quam illud vulgare ac forense.* Manutius et Lambinus, ne Cicero *multum maius* pro *multo maius* dixisse videretur, hoc ipsum reposuerunt, nec sine auxilio codicum: nam unus oxoniens. habet *multo.* Fortasse tamen etiam *non multum* defendi poterit coniunctum ita, ut sit *nihil.* Male autem cod. bernens. de Off. 3, 13, 56. *multum minus.*

9. Formula *ut multum* quid significet, expositum videmus a Salmasio ad Vopisci Aurelian. 46. Est enim quod alias *ut maxime, ad summum,* veluti *ut minimum* dicitur.

Martial. 10, 11, 4. *donavi — lotam, vel multum, terque quaterque togam.* Vopisc. Aurel. 46. *quum antea coloreas* (vestes) *habuissent et ut multum oxypaederotinas.*

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File"
Made by LIBRARY BUREAU